
V
B J
C
18017



REPERTORIUM IURIS PRUTHENICI,

NIMIRUM

MUNICIPALIS, CULMENSIS

EMENDATI, CORRECTI ET REVISI

UT ET

IURIS TERRESTRIS

TERRARUM PRUSSIAE,

SINGULARI STUDIO COLLECTUM,

COMBINATUM ET SUB COMPETENTES

TITULOS REDACTUM

AB

IOAN. HEINRICO DE HAVENSTEIN,

ICti.

DANTISCI, 1745.

APUD GEORGIUM MARCUM KNOCHIUM.


BIBLIOTHECA
UNIV. IAGELL.
CRACOVIENSIS.



BENEVOLE LECTOR!



Jure consulto quam plurimum conducit ut ſit certus, quo Jure in foro utatur. Nos in Pruſſia profecto confuſum chaos Jurium habemus: Gedanum & omnes minores Civitates utuntur Jure Reviſo Culmenſi, cujus exemplaria, quia conſiſtunt in MSctis, unum ab altero diſcrepant, quaſi cum loco etiam Jus ſit mutatum. Nam in transcopiando multi erro-

res interlabuntur, qui transplantantur, conſervantur & in diem ampliantur, tandem propter obſcuritatem alium inferunt ſenſum. Similiter ſe res habet cum Jure Correcto, quod ab initio non ſuas obtinuit approbationes, quapropter per recentem Commiſſionem Mariæburgi enucleatum prodiit Jus Reviſum; Utrumque vero in Curiæ Regni nullum habet valorem; Nam habemus præjudicatum, in quo utrumque pro nullo eſt declaratum, & non pœnitet hoc præjudicatum hic apponere: Quod de Jure Culmenſi antiquo, uterinus Frater ad ſucceſſionem ſit proprior, quam liberi fratris Germani, tum, quod Jus Culmenſe Reviſum & Correctum nullum ſit. Inter Hæredes Jacobi Heidemann,

mann, & Georgium Ludovicum Hutfeld. Leopoli feria tertia post F. D. Annæ, Anno MDCLIII. Propterea operæ pretium est indagare quod genuinum sit Jus Culmense? Jus antiquum ab omnibns Statibus Terrarum Prussiæ abrogatum invenimus, Jus Emendatum vero, quod nihil aliud est, quam emendatio & purgatio errorum & nævorum, Juri antiquo proximior est, nisi quod tituli in competentem seriem librorum sint redacti, loca obscuriora sunt ex antiquo more Germanico loquendi, secundum hodiernum stilum aliquantisper lucidata, & tria vel quatuor capita in essentialibus mutata, quia contra rationem communem niti videbantur. Hoc Jus in Curia Regni allegatum, nunquam

fuit reprobatum, ſed ad id pronuntiatum uti totam philuram præjudicatis implere poſſem. Et hoc Jus Emendatum introductum ſolummodo Thorunii. Interim ego inficias ire poſſum neutiquam, quod Jus Reviſum propter eximium ordinem, politam combinationem, & materiarum ſufficientem exhauſtionem mihi maxime arrideat. Adhæc omnia quæ forſan ſunt addita, ſunt vel deſumpta ex Juribus Noſtris fundamentalibus Terrarum Pruſſiæ, vel ex laudis publicis, ſive uti lib. V. videre eſt, ex Jure Saxonico, ut de valore eſſentialium aliquorum, imo plurimorum, nullum ſubſit dubium, dolendum eſt quod univerſalium authentica & competens deficiat approbatio, interim valet quantum eſt Jus Culmenſe, & ubi

ab antiquo Jure Culmensi, deviat, valet tamen ut Jus receptum, nisi aliqua controversia de super devolvatur post Curiam. *Benevole Lector*, hic habebis in præsenti opere omnia tria corpora Juris in speculo, in quo Tibi statim harmonia & inconvenientia in uno conspectu apparebunt. Ex probatissimis exemplaribus textus sumpsi, & in Jure Correcto editionem Thomasetti, quippe quæ typis Brunsbergæ in folio impressa est, secutus sum. Sub titulos competentes simul redegi totum Jus Terrestre & omnia Jura fundamentalia Terrarum Prussiæ. Et sic Tibi *Candide Lector*, exhibetur parvum volumen in quo universa Jura Forensia Pruthenicalia continentur. Hoc opus non nisi gratum

Tibi venire poterit, non ſolum, quia ante me nemo hunc laborem ſuſcepit, ſed etiam quia multum facit ad Tuam commoditatem. Tuas cenſuras, quas precor ut modeſtæ ſint, libenter perferam, mihi non ſtolidum principium perſuadens, quaſi ego a declivitate humana facillimorum errorum ſim exemptus. Et nihil in hac rerum machina & univerſitate eſt adeo perfectum, quod non inhærentem errorem & defectum poſſideat. Interra, *Candide Lector*, vale & fave.



De



De ABIGEIS. o bydłokradzcach.



Qui equum, bovem vel aliud magnum pecus de pratis vel armentis vel è ſtabulo furatur, is committit furtum ſtrangulo & vita eluendum: facto vero tali furto in ovibus, ſuibus, vel reliquis minoribus pecudibus & in numero 10. ovium vel 5. porcorum tranſcenderet, tunc æq; eadem pœna ſtatuitur. Qui etiam tales fures occultat & hoſpitat vel receptat, perpetuo relegari debet. Jus Culm. Reviſ. Lib. 5. part. 2. t. 16. Art. 11. 1. Pœna Abigeatus.

ABORTUS. poronienie

Mulier quæ per potum vel alia media partum ſui uteri abigit, ſi embrio vitalis jam jam fuerit, tunc gladio plectenda eſt, ſi vero partus nondum fuerit animatus, mulier in perpetuum releganda. Jus Culm. Rev. Lib. 5. pars. 2. tit. 7. art. 5. Vid. plura Infanticidium. 1. Pœna abortum cauſantis

ABSENTIA.

niespozytomności

1\. Quotuplex sit absentia?

SEcundum Jus Culmense duplex habetur absentia, nimirum legitima, & illegitima, seu necessaria vel voluntaria, utraque vel laudabilis vel vituperabilis, vel indifferens; necessaria laudabilis est legatorum, militum &c. seu qui Reipublicæ causa absunt; necessaria vituperabilis est eorum qui propter delictum absunt, scilicet banniti, proscripti incarcerati; necessaria indifferens est, si quis vi, exorbitante fluvio & tempestate aut alio casu fortuito detineatur. Voluntaria laudabilis est studiorum, piorum locorum; vituperabilis, quando per contumaciam abest; indifferens, qui lucri causa extra suum forum degunt. Absentia legitima, necessaria laudabilis & indifferens nemini fieri debet detrimento, neque in contumaciam pronunciari a Judicibus, tanto minus executio fieri debet; verba textus talia habentur: Si quis casus impediatur legitimis, quo minus ad Judicium venire possit, easq; causas per nuncium Juris ordine probaverit, extra noxam est, & Judicii dies tantisper prorogatur, quo istoc impedimento solutus fuerit. Jus Culm. Emend. Libr. 2. c. 41. Correct. l. 3. c. 83. Revis. l. 2. t. 8. art. 1. it. t. 24. art. 2. eod. legitima causa seu impedimentum vero dicitur, cum quis Reipublicæ causa abest, vel operas domini præstat antequam in Jure conveniretur. Legitimum etiam impedimentum datur, si quis morbo laboret, in tantum ut ob valetudinem in Jure adesse non possit. Et si quis extra Provinciam abiit, priusquam in Jus vocaretur. Et si quis Patri, Matri, Uxori, liberis, fratri & sorori defunctis funus facit. Et si quis eodem tempore in alio judicio majori Actioni, majoribusve negotiis obnoxius est. Huc etiam referuntur carcer, aquæ periculum, cultus Divini & peregrinationes Religionis ergo susceptæ, priusquam lis denunciaretur. Vid. Jus Culm. Emend. l. 2. c. 42. Rev. l. 2. t. 6. art. 10. tit. 8. art. 2. eod. Correct. l. 3. c. 71. quando itaque non notorium est, quod quis legitimè abfuerit, probatio requiritur. Ista vero expeditur & ex Juris præscripto docetur, si alii non subsint testes, per absentis nuncium,

2\. De legitimo impedimento.

3\. Quodnam sit legitimum impedimentum?

qui pro animi illius religione juret, niſi ejus exiſtimationis ſit, cui fides etiam injurato debeat adhiberi. Si nuncium non habeat, ipſemet jusjurandum ea propter præſtabit, quamprimum ad Judicium venerit. Jus Culm. Emend. l. 2. c. 42. & l. 4. c. 71. Correct. l. 3. c. 71. Rev. l. 2. t. 8. art. 1. 2. & 3. Abſentiam vero quod attinet, illegitimam, voluntariam & vituperabilem, illa priori eſt contraria ex fundamento allegatorum, & quemadmodum legitime abſens reſtituitur in integrum. Jus Terreſtre tit. 7. §. 17. Jus Culm. Rev. l. 2. t. 24. art. 1. t. 24. art. 2. eod. Correct. l. 3. c. 83. Emend. l. 4. c. 71. Sic illegitime vel propter delictum abſens in contumaciam condemnatur. Jus Culm. Correct. l. 2. c. 9. Correct. l. 3. c. 89. Rev. l. 2. t. 9. art. 2. 3. Plura vid. infra de Contumacia. Interim in condemnatione abſentis etiam ordine eſt procedendum, debet enimvero edictaliter citari Jus Culm. uti ſequentem in modum diſponit: Si cujus bona, cum domi non eſſet, vel in alio foro domicilium haberet, in controverſiam vocentur, vel arreſto obſtringuntur, quæſitum eſt quo juris remedio bona poſſideri debeant, & an non conveniens ſit dicere, quod in Jus vocandus ſit. Hoc caſu defenditur juris eſſe rationem, ut iſte in Jus vocari debeat, & ſiquidem non conſtet, ubi locorum commoretur, vel conveniri poſſit, more tamen cujuscunque loci recepto ſolennibus edictis abſens vocetur. Sin autem in abſentis vel extranei, qui non hujus Jurisdictionis eſt, bona, agatur Jure, eorumque poſſeſſio evincatur, ſic ut arreſti nexus ipſo inſcio peractus ſit, eorumque poſſeſſionem occupare poteſt, quatenus jurare poteſt ſe tam procul extra provinciam abfuiſſe ut intra diem annuam, ex quo ſcire cœperat ad bonorum defenſionem adcurrere nequiverit. Sin autem gravioris cauſæ neceſſitas obſtiterit, ejus fidem faciat, ut Jus præſcribit, ac nihilominus actori pro debito reſpondeat, ſi is juſtam conveniendi cauſam habere judicabitur. Jus Culm. emend. l. 4. c. 71. Rev. l. 2. t. 6. art. 6. Rev. l. 5. part. 1. t. 8. plura vid. ſub v. Edictualis citatio. Quod attinet abſentis Fidejuſſo-

4. Abſens edictaliter citandus eſt.

5. Abſentia Regis. res. Vid. infra ſub verbo Fidejuſſores. In abſentia Regis, vi privilegii incorporationis, D. Epiſcopus Varmienſis, vel in defectum hujus prope ſubſequens ſpiritualis vel ſecularis terreſtris Dominus, quibuscunque caſibus & defectibus requirentibus, mediante ſua prudentia & autoritate conſilioque, his terris Pruſſiæ ſubvenire atque præſidere tenentur. Vid. Jus Culm. Reviſ. l. 1. t. 2. art. 4.

6. De Prætoris abſentis Succedaneo. Si Prætor abſit, cum maleficium committitur, Judex vicarius in ejus locum ſubſtituitur, qui de quovis maleficio recenti cognoſcendi poteſtatem habeat. Jus Culm. Emend. l. 5. c. 8. Correct. lib. 2. c. 20. & neque in defectu Judicis aut aliquot Scabinorum Judicium vacare debet ib. c. 11.

7. Abſentia & præſentia Partium coram Judicio. Sed Judicium, quando utraque pars litigantium eſt præſens, & non abſens, quotidie ad poſtulata ſedere tenetur Jus Culm. Emend. l. 2. c. 10. & præſentium, non abſentium rationem habere debet. ib. de abſentia Debitoris, vid. Executio. Creditor.

ABSOLUTIO. wypuszczenie z prawa

1. Quando Conventus ab inſtantia & termino abſolvatur. Actore prima vel ſecunda vice citante, & ad conſtitutum terminum ipſomet non comparente, tunc Reus conventus, ad inſtantiam ſui ipſius a termino, nec non etiam ab inſtantia Judicii abſolvitur eo modo: ut Actor inpoſterum ad renovationem ſeu reaſſumptionem litis non ſit admittendus, donec Reo convento factas expenſas hucusque Judiciales refuſurus ſit, ſi vero in termino tertio contumax fuerit, nec comparuerit, tunc Reus a cauſa abſolvitur, & Actor ad agendum ulterius non admittitur. Jus Culm. Rev. lib. 2. t. 9. art. 3.

ACCUSATIO. obwinienie

1. De accuſationibus proſequendis & non per transactionem finiendis. Si quis ſponſionem Judici fecit, in actionem, puta rapinæ, vulnerationis vel homicidii jure proſequatur, cum vero neglecta ſponſione citra Judicis conſenſum cum adverſario transegerit, tam ei, qui vices Principis gerit, quam Judici mulctam

mulctam committit, ea de causa, quod nec sponsioni satisfecerit, nec actionem ad exitum perduxerit. It. Jus Culm. Corr. lib. 2. cap. 51. Em. l. 5. c. 1 & 17. it. Corr. l. 3. c. 1. 3. 8. 13. 16. 27. 30. 31. 51. Si causam Actor ad finem prosecutus fuerit, & deinde cum adversario sine Judicis permissu transegerit, uterque, tam Actor quam Reus Judicis mulctam incurrunt. Jus Culm. Emend. lib. 2. c. 27. Jus Corr. vero, tantum mentionem facit de Actore c. l. Item circa accusationem Criminalem partibus omnis transactio & processus destitutio sit interdicta, Jus Revis. lib. 5. part. 1. t. 4. art. 4. & Correct. lib. 2. cap. 32. imo criminaliter offensus seu vulneratus ad accusandum cogi potest, præsertim cum vulneratus clamore solenni fuisset injuriam contestatus. Is enim clamor Actionis est initium, & hoc facto necessario de jure procedendum est, nec absq; Judicis voluntate silentio supprimi debet, alias in defectu clamoris cum vulneratus agere noluerit, nec vulnera sua testato comprobaverit, regulariter læsus per Judicem ad agendum cogi haud potest Jus Culm. Emend. lib. 2. c. 28. Jus Culm. Revis. lib. 5. part. 1. t. 4. art. 2. Correct. lib. 2. cap. 49. Possunt vero accusare omnes qui annos suos perfectos attigerunt, & infamia non notati, quibus etiam alias in Jure non est interdictum criminaliter ob maleficium accusare. De his personis, quibus in Jure prohibitum est, non opus est prolixius hic disserere, quia Judicium inquisitionem ubique locorum ex Officio instituit, & pro delicti meritis procedere potest. Olim omnes causæ Criminales cum clamore & vociferatione in Judicium deducebantur, & clamor iste Accusatoris initium erat, vid. Jus Culm. Corr. lib. 2. cap. 17. Quod vero in bene constitutis Judiciis nunc merito sublatum est, & in eo sufficit, ut accusatio ordine producatur; id circo Actor Accusati, seu delinquentis nomen & cognomen, facinus cum suis circumstantiis, utpote loco, tempore & persona in qua perpetratum est, recensere & ad pœnam debitam, vel etiam ubi reus conventus maleficium confiteri noluerit, ad torturam suam accusationem

2. An vulneratus ad accusandum cogi possit?

3. De his qui accusare possunt.

4. Quomodo accusatio sit prosequenda.

onem concludere debet, & id omne oretenus fieri, & a Notario diligenter connotari & concipi oportet. Neutiquam enim in causis criminalibus & capitalibus accusare, nec respondere in scriptis licet nec debet. Jus Culm. Rev. lib. 5. p. 1. t. 4. art. 1 & 3.

5. Si absens ob maleficium accusetur. Si quis absens accusetur ratione alicujus maleficii corpus & vitam concernentis in facto recenti & ferventi, is citandus tribus vicibus, postmodum tribus vicibus fidejussioni committi debet, si nemo ipsi fidejusserit, tunc in continenti proscribendus & banniendus est, ib. art. 5. Jus Corr. lib. 2. c. 9. Emend. lib. 5. cap. 4.

6. Si plures ob vulnerationem accusent. Compluribus hominibus unum ob maleficium distinctim accusantibus, ita ut quilibet causam singulariter & plenarie prosequatur, respondere non tenetur, antequam a priori accusatione absolvatur. Si vero conjunctim actionem instituerunt, de jure ipsis respondere tenebitur. Jus Rev. ib. art. 6. plura vide infra de vulneribus vid. plura infra Forum, Criminalia.

ACCESSORIUM. przydatek

1. Appellatio ab accessoriis. AB accessoriis & interlocutoriis vim definitivæ sententiæ non habentibus, ut quæ terminum saltem aut citationem, sine ipsius causæ amissione, proferunt, aut alias grave aliquod præjudicium Parti non afferentibus, tum omnibus a quibus directe in Jure hoc remota Appellatio est, nulla Appellatio admittenda est. Jus Terrestre Pruss. t. 6. §. 47. hoc idem innuit Jus Culm. Revisum lib. 2. t. 22. art. 3. cum alias neque in Emendato neque Correcto quicquam de hoc expressum inveniatur.

ACTA. księgi Publiczne

1. Acta Terrestria. ACtorum Terrestrium positio in singulis Palatinatibus observetur ordine subsequenti: In Palatinatu Culmensi Feria secunda post Festum S. Johannis Baptistæ, in Radzin, in Districtu Michaloviensi ejusdem Palatinatus, Feria secunda post sub-

ſubſequenti proxima. In Palatinatu Mariæburgenſi, Feria Sextumæ. In Palatinatu Pomeraniæ, Starogardiæ, prima die poſt determinationem Judiciorum poſt Feſtum S. Lucæ incidentium: ſimiliter etiam in aliis diſtrictibus hujus Palatinatus obſervari debet. Jus Terreſt. Pruſſ. t. 5. §. 24. Vid infra Protocollum. Notarius. Judicium, Forum, Condeſcenſio,

ACTIO. ACTOR.

CUm hoc verbum univerſum Jus comprehendat, & nil prorſus ſupereſt, quod ad eum non congruenter poſſit reduci, propterea propter amplitudinem areæ hujus digladiatoriæ operæ pretium eſſe in anteceſſum judicavimus, primo definitionem præmittere, ſecundo deſtinationes & diviſiones Actionum in medium ferre. Actio vero accipitur aliquando pro omnibus remediis, quibus vel ordinario vel extraordinario, publice vel privatim, civiliter vel criminaliter jus ſuum quis perſequitur: aliquando refertur ad cauſas civiles, aliquando ordinarias tantum, vel tantum perſonales complectitur. In genere autem definitur, jus ſive remedium perſequendi cum effectu in Judicio, quod ſibi (ſuo vel alieno, publico ſeu privato nomine) debetur ex qualibet cauſa vel ut quid detur, aut fiat aut præſtetur, vel ut quid reſtituatur. arg. lib. 178. §. 3. ff. d. verb. ſign. Sunt actiones vel Civiles, vel Criminales & Prætoriæ, perſonales ſeu reales & præjudiciales &c. Diſtinctio Actionis Civilis & Criminalis ex delicto eluceſcit ex Jure Culm. Emend. lib. 2. c. 19. in his verbis: Wergeldum vulgari vocabulo nuncupant mulctam, vel æſtimationem, qua quis actione ſe liberat vel exſolvit, quæ alioquin adverſus ipſum commiſſi facinoris cauſa Jure competat. Oritur autem hæc mulcta ex delicto civiliter intentato, quando enim actionem Civilem non habet in hujus æſtimationis rationem non deducitur. Exemp. gratia: Si quis aliquem alium non præmeditato, ſed caſu vel impru-

1. Definitio actionis & diſtinctio.

2. Per ſolutionem mulctæ eliberatio ab actione.

imprudentia occiderit: velut cum furiosus & mente captus, vel infans quem interfecerit, vel cum quis hominem fortuito, lapidis vel teli jactu percusserit, dum aliquid aliud eo jactu petit, vel cum in extruenda domo lapis, vel qua alia materia casu deciderit, quo periret homo, vel cum quis ob tutelam corporis sui quempiam ad mortem adegerit, his casibus mulctam solvendo, qua cæsi dignitas vel natales æstimantur, actioni Criminali quis semet exonerat. Verum ob homicidium, vulnus atrox, deformitatem ex læsione contractam, impotentiam membrorum, vel aliud delictum, quod ex proposito & animo deliberato committitur, quandoque pœna capitis vel manus sancita est, civili mulcta nemo delictum exonerat. Siquidem actio criminaliter intentetur, & reus sua confessione vel aliis modis legitime convincatur. Si quis autem ob homicidium factum civiliter accusetur, quod utique occisi propinqui licet, quatenus plene fortassis probationes deficiunt, & nihilominus actores præsumptionum quibusdam adminiculis utuntur, hoc casu, cum reus delictum fatetur, vel Jure convincitur, mulctam solvit. &c. Olim, omnis Actio Criminalis primordia sua capiebat clamore, uti in diversis locis Juris Culmensis leguntur vestigia. Vid. Emend. l. 5. c. 1. & 17. l. 2. c. 27. Corr. l. 3 c. 1. 3. 8. 13. 16. 27. 30. 31. 51. Quæ Solennitas, tametsi pro essentiali causa æstimabatur, hodie in desvetudinem venit, & in Praxi non observatur, uti etiam de hoc testatur Jus Revis. Culm. l. 5. p. 1. t. 4. art. 1 & 3. vid. plura supra de **Accusationibus.** In omnibus Judiciis, quæ Jure Culmensi censentur causæ lingua Germanica aguntur & judicantur. Omnes enim Judiciorum illorum actiones Idiomate Teutonico jam pridem expediri consveverunt, nisi prius in locis usus linguæ Latinæ frequentior causis agendis adhibeatur Jus Culm. Emend. lib. 2. c. 22. Jus Rev. l. 2. t. 4. art. 2. Corr. l. 3. c. 4. ad suam actionem instituendam regulariter nemo cogi potest, nisi in delictis quæ cum tumultu & clamore sunt patrata. Jus Culm. Emend. l. 2. c. 28. Rev.

3. Clamor in Criminalibus decessit in consvetudinem.

4. Qua lingva in foris utendum sit?

l. 5.

l. 5, p. 1. t. 4. art. 2. it. l. 2. t. 10. art. 6. Corr. l. 2. c. 49. Nam hodie Magiſtratus ex Officio in ejusmodi delictis, quæ cum tumultu exiſtunt, in delinquentes prævia inquiſitione animadvertunt, quia Reipubl. intereſt ne delicta maneant impunita, L. 51. §. fin. ff. ad L. Aquil. l. 94. §. tametſi ff. d. ſolut. ne ex delicto aliquis lucrum capiat l. 134. §. 1. d. R. I. & meliorem ſuam cauſam facere poſſit l. 134. §. 1. d. R. I. l. 3. §. ſi mecum ff. ad exhibendum l. 3. §. 1. ff. d. donat. Vir. Nemo alterum violenter ob quodvis debitum impedito, neve per vim in Judicium pertrahito, ſine Judicis permiſſu ac ſine miniſterialium ope, qui in Judicii functionem jurati ſunt. Qui ſecus fecerit, vel ſibimet ipſi Jus dixerit, æſtimationem injuriæ læſo, mulctam Judici dato. Judicis autem arbitrium eſt, pro conditione perſonarum & cauſæ, mulctam & injuriæ æſtimationem augendi; eo ſolum excepto, ſi debitor ex fuga retrohatur. Jus Culm. Emend. l. 2. c. 18. Correct. l. 2. c. 45. Unusquisque enim ante omnia eſt adcitandus, & deficiente citatione legitima, neq; Scabinus, nec Judex, nec alius quisquam in Jure reſpondere cogitur. Jus Emend. Culm. l. 2. c. 6. Reviſ. l. 2. t. 6. art. 1. diſſentit Jus Corr. l. 2. c. 13. Nimirum quod Scabinus reſpondere teneatur, ſive ſint per Pedellum citati, ſive non. Expedita itaque formalitate adcitationis progredimur ad Judicium & Judicem ipſum, & mentionem faciemus de Judicio bannito. Hic diſponit Jus Culm. Emend. l. 2. c. 7. Prætor in ſingulos annos tribus vicibus, ſtatisque temporibus Civile Judicium ſolenniter auſpicatur. Primum quidem die duodecima poſt diem Chriſti Natalem. Secundum ſexta die cum hebdomada feriarum Paſchalium exiverint. Tertium cum ſeptimana feriarum Pentecoſtalium finem ſortita fuerint. Ab his tribus temporibus ſemper poſt dies quatuordecim conſequenter exercitium Judicii Civilis indicetur. Si Judicii tempus feriæ vel dies nefaſtus eximat, Judicis arbitrio permittitur, diem definire, vel prorogare, quoad ipſi pro rerum temporumque ratione viſum fuerit. Diem exercendæ Jurisdictionis quem Prætor conſtituit, ſolus Judicii Mini-

5. Ad agendum nemo cogendus.

6. Ex & in actione nemo turbandus.

7. Citatio fundamentum actionis.

8. Bannitio Judicii.

Ministerialis publicus, sive præco juratus rite denunciat. Jus Culm. Rev. l. 2. t. 1. art. 3. Judex & Scabini matutino tempore faciunt initium, & tam diu cognitionem causarum exercent, quam diu litigantes præsto sunt, qui cognitionem desiderant. Evenit autem, ut cæteris expeditis unus supersit, qui petat Sessionis continuationem, forte quia causatur vel per Procuratoris vel testium absentiam, adversarius autem neget, continuationem Judicii oportere, quandoquidem nihil amplius præ manu sit quod cognitione indigeat. Hoc casu prudentum auctoritate constitutum est, ut, postquam Judex exercitium Jurisdictionis auspicatus est, jubeantur Scabini locum rapere, & sententias dicere, quam diu quisque præsto est, qui Jure disceptare cum adversario cupiat. Neque vero convenit Judicem aut Scabinos præstolare cæteros qui Juri suo ipsimet non invigilant. Sic enim moribus receptum est ut præsentium, non absentium ratio habeatur. Jus Culm. Emend. l. 2. c. 10. Jus Rev. l. 2. t. 1. Art. 4. Correct. l 2. c. 14. Judicium ipsum bannitur sequentibus Solennitatibus: Die Judicii existente Judex cum Scabinis tempore Judicii residere debet in Scamno, & unum inter Scabinos interrogare, an sit Judicii tempus? tunc Scabinus respondere debet; quod sit tempus Judicii: tunc Judex interroget eundem vel alium Scabinum, an posset Judicium banniri? Scabinus invenit, bannitionem evenire posse: porro ex alio interrogat, quid nam jubere aut prohibere debeat? Scabinus replicat: Judicis permissionem & Judicii fastidium, postmodo Judex pronunciat: qualiter mihi de Jure adinventum est, tunc Judicium cingo & bannio, prohibeo, quæ de Jure prohibere teneor, & permitto, ut quisque Jus suum prosequatur cum modestia & discretione, prout Juris est. Hoc itaque modo Judicium cinctum & bannitum est, & Judicium coram præsente populo pronunciari debet: Judicem cum Scabinis Judicium cinxisse & bannivisse, ut quilibet Jus suum prosequi modeste cum discretione possit, Jure mediante. Jus Revis. l. 2. t. 1. art. 5. De hac Solennitate neque in Jure Emendato, neque Correcto fit mentio, sed ex Jure Magde-

9. Tempus Judicii.

10. Pars proprio juri invigilare debet.

11 Solennitas banniendi Judicii.

Magdeburgico Quæſt. Part. 1. C. 2. diſt. 1. eſt deſumpta: interim tamen in omnibus Civitatibus terrarum Pruſſiæ obſervatur. De reliquis qualitatibus & requiſitis Judicii Vid. infra de Judicio. Nos progredimur interea indagaturi perſonas tam ex Actoratu, quam Reatu coram Judicio actuſras. Singularibus favoribus fruuntur hoſpites in terris Culmenſibus: Si hoſpitem Civis vel ſi quis hoſpes Civem in Jus vocet ob debitum, quod teſtibus præſentibus probari poſſit, cauſa hæc ſtatim & incontinenti poteſt decidi. Hoſpiti vero neceſſitas imponitur jusjurandum dare, niſi gratis illi remittatur, ſe peregrinum eſſe, & tam procul ab eo foro larem habere, ut intra diem unum ad Judicium legitime conſtitutum adventare nequeat. Qui vero in Civitate in dies converſatur publice, & negotia ſua gerit, is Jure hoſpitum non cenſetur. Jus Culm. Emend. l. 2. c. 39. Correct. l. 2. c. 22. it. Jus Reviſ. l. 2. t. 14. art. 4. ubi vero limitatur, ſcilicet quando hoſpes ratione immobilium agat, tunc ejus proceſſum ad Judicium ordinarium pertinere, quod ſemper poſt dies quatuordecim conſidet, & ſic hoſpes neutiquam gaudet proceſſu ſummariſſimo in hoc paſſu. Accinctus ad iter ſimili cum hoſpite gaudet privilegio: Si hoſpes quem conveniat, Jus illi dicendum eſt poſt noctis interſtitium, quatenus Jure hoſpitum uti velit. Si quis autem itineri faciundo jam accinctus hoſpitem vel Civem convenire velit, eum Judex per miniſterialem publicum ad Judicium vocet, ac Jure hoſpitum reſpondere jubeat. Si vocatus edictum neglexerit, ſive Civis ſive hoſpes, pro actore Jus dicetur, & pronunciabitur cauſam eum viciſſe, niſi conventus legitime teneatur impedimento. Ac ſi Civis vel Hoſpes conventus in eo foro bona poſſideat, in ea Actor committatur pro modo debiti ſui, ut Juris eſt. Si bona ibi non habeat, ſiquidem præſens eſt, in cuſtodiam detur, quoad Actori ſatisfecerit. Si vero Civis Civem convenire velit, qui Poſſeſſor ſit vel non ſit, ſeu hoſpitem in Jus vocet, extra diem Judicii legitime conſtituti, Actorem illum Judex ad ordinem Juris conſtituti committat. Quod ſi Civis Actori oppoſuerit, ſe

12. Jus hoſpitum.

13. Ad iter accinctus.

jam ad profectionem adcinctum esse, & commerciorum suorum, vel piæ peregrinationis ergo, vel etiam alia urgente causa extra provinciam abeundi, sic ut statum Judicii diem expectare nequeat, idque mediante juramento suo comprobaverit, eodem die responsum ejus audiatur. Quod si hospes adversus Civem Actorem excipiat, se non teneri Judicium ordinarium præstolari, & in eam rem Jusjurandum juret, causa ejus præsenti die ventiletur. Si inter litigatores convenerit, nullo discrimine Civis & hospitis habito ut utrinque in Jus eatur, eo casu debet conventus adversarium stato die in Jure præstolari, nec exceptionem profectionis ad commercia sua, vel peregrinationis ad pia loca, vel abitionis extra provinciam, ad quam modo accinctus sit, prætendere potest. Sin autem hospes vel accinctus itineri faciendo, fundos & possessiones petere seu vindicare velit, hi neque hospitum, neque peregrinantium Jure utuntur, sed statos Judicii dies secundum Juris ordinem obeunto. Jus Culm. Emend. l. 2. c. 40. Correct. l. 2. c. 41. Rev. l. 2. t. 6. art.
14. Quando mutus conveniatur? 10. it. l. 2. art. 4. Mutus cum in Jure conveniatur, qui lingvæ non potest Officio fungi, siquidem nutu gestuve Procuratorem petat, Procurator illi dandus est. Agetur cum eo Judicio, quoad ex signis & nutibus, quod velit, intelligi possit, eoque pacto, quanti Actoris intererit, quantumque sibi deberi palam fecerit, tanti Judex secundum Juris præscriptum litem æstimabit. Jus Culm. Emend. l. 2. c. 23. Revis. l. 2.
15. Quis secundum Jus Terrestre agere possit? t. 10. art. 4. Correct. l. 5. c. 43. Secundum Jus Terrestre standi locum in Judicio non habent: Liberi contra Parentes in personalibus Actionibus, subditi item contra Dominum & vice versa, cum ob potestatem, quam quisque in suos habere debet, nullum cum suis Judicium intercedere debeat; Proscripti item & infames. Muti autem, Surdi, Pupilli, Mulieres, mente capti, conveniri quidem, & convenire poterunt, non tamen absque Tutoribus, generaliter: Qui in Jus aliquem vocare voluerit, ante omnia ipse standi locum in Judicio habere debet, & eum in Judicium vocare, quem convenire Jure permissum est. t. 6. §. 1. & 2. Si Princeps acti-

actionem ſibi contra Civem ſubditum competere exiſtimaverit, & ejus ſit generis cauſa, quod ad Jurisdictionem Civilem pertineat, reus in domicilii ſui foro convenitur. Sin autem Dominus Subditum ob cauſam Feudi, vel ſimile quidpiam, in Jus vocare volet, non abs ratione cauſam ad Vaſallos rejiciet ac illorum cognitionem admittat, uti Jure cautum eſt. Culm. Jus Emend. l. 2. c. 33. Correct. l. 2. c. 59. Non poteſt agere in Jure Ceſſionarius, cui Actio in Jure cœpta, donata aut ceſſa eſt, niſi ad finem fuerit perducta & determinata, vel partium conſenſus ratione faciendæ ceſſionis intervenerit. Jus Culm. Emend. l. 2. c. 26. Reviſ. l. 2. t. 10. art. 7. Vid. plura Ceſſio. Correctum Jus vero de hoc nihil continet. plura vid. de Bannitis, Proſcriptis, Mulieribus, Minoribus, Mente captis, de actione ratione Mercedis ſervorum vide infra ſuo loco. Cum duorum controverſia ſtato die Judicii celebrandi, non abſente Judice, ac volentibus litigatoribus ad transactionis placitum remittitur, ſicut extra Judicium vel auctoritate Senatus, vel per litigantium Dominos aut eorum amicos amice componatur, nec amplius in diſceptationem Judicialem pertrahatur, ac nihilominus alteruter altercationem revocare non erubeſcit, alter nequaquam tenetur illi reſpondere, modo Judicis & Scabinorum teſtimonio conſtet, quod ad transactionem extrajudicialem cauſa rejecta fuerit, ea lege, ut utrinque compoſitum transactumque eſſe manereque debuiſſet. Si Scabini interim e vivis ſint exempti, teſtimonio aliorum, qui tum in Jure præſentes fuerant, res conſiſtit &c. Jus Culm. Emend. l. 2. c. 70. Correct. l. 2 c 46. & 47. it. l. 2. c. 56. Reviſ. l. 4. t. 13. art. 3. Si quis aliquem in alio foro maleficii convincere voluerit, cujus in alio foro inſtituta fuerit accuſatio, Judex & Scabini, pro quorum ſubſelliis prius Judicium inchoatum erat, quid actum ſit, ex libris Judicialibus ſuis in alienum Judicium liquido teſtentur. Jus Culm. Emend. l. 2. c. 13. Vid. plura infra de Litis pendentia, de Remiſſa

16. Non agere poteſt Ceſſionarius reſpectu certo.

17. De cauſa per complanationem amicabilem finitam.

18. Litis pendentia non alium admittit forum.

missa itidem & de Foro, libello, Litis contestatione, reliquisque partibus essentialibus Actionis. Actio semel incepta neutiquam est deserenda, imo Judex ad agendum cogere potest. Jus Culm. Emend. l. 2. c. 27. Rev. l. 2. t. 10. art. 6. Correct. l. 2. c. 35. it. l. 3. c. 76. Si quis causam ad finem vere perduxerit, & petierit, ut adversario pax & silentium imponatur, Judex pacis tenendæ legem præscribito, sic ut Auctoritate judiciali pacem litigantibus edicat, ac mandet, ne ob eam causam alter alteri molestiam exhibeat; qui secus fecerit pœnam in contemptores pacis constitutam committat. Alter vero, si recte consultum sibi voluerit, cautio est, ut Scabinis contestandi gratia sportulas præstet, ac petat rem Actis publicis adnotari. Hoc facto Scabini testimonium rei gestæ servabunt, ex quo hanc inposterum utilitatem illi consequitur, ut si deinceps adversarius negotium eam ob causam fecerit, alter testificatione Scabinorum evincat, pacem ac silentium actionis dictum impositumque. Ex quo consequenter adversarius parti læsæ æstimationem injuriæ, Prætori vero mulctam illi rei dictam, exsolvere cogetur, & inposterum ab molestia alteri temere inferenda merito temperabit. Jus Culm. Em. l. 2. c. 14. Correct. l. 2. c. 56. Rev. l. 2. t. 2. art. 5. Nemo alium in Judicio impediat vel obtundat in loco Judicii clamando, cursitando, convicium vel aliud quidpiam illiberaliter aut impudenter agendo, quod cum actionis ejus damno vel præjudicio sit conjunctum. Si quis secus maligno studio fecerit, ob eamque rem Judicis & Scabinorum duorum testimonio convictus sit, injuriam læso, mulctam Judici luat, si præsente Burggrabio deliquerit, trium librarum, si præsente Prætore, octo solidorum mulcta esto. Ex quacunque causa Actor damni vel injuriæ æstimationem adjudicatam obtinuerit, ex eadem Prætor etiam suam mulctam recte vindicabit. Jus Culm. Emend. l. 2. c. 17. Revis. l. 2. t. 1. art. 6. Correct. l. 2. c. 44. Si Judex vel Judicium aliquem turbet in sua actione, & illi injuste juridicam executionem renuat, vel Parti suam Jurisdictionem prorsus deneget, neque Jus & Justitiam communicare & administrare velit, quod

19. Actio incepta non est deserenda.

20. De pace tenenda propter litem finitam, & impositum silentium.

21. Ne quis alium in Jure impediat aut obtundat.

22. Quando Judex aliquem in Jure suo impediat.

quod facere ex Officio tenetur, & nil fecit; tunc Parti omnia sua damna ex pensas & interesse refundere tenebitur. Jus Culm. Rev. l. 2. t. 2. art. 6. Correct. l. 2. c. 43. & Emend. prolixe & cum plurimis circumstantiis l. 2. t. 16. De Actione petendæ hereditatis nihil Judici solvitur. Jus Correct. l. 2. c. 48. Actio Actore & Reo mortuo nihilominus tendit ad heredes. Jus Revis. l. 5. p. 1. t. 7. art. 2. Plura vid. Forum.

23 De Actione hæreditatis Judici nil debetur.

24. Actio tendit ad hæredes.

ADVOCATUS. Woyt.

SI quis ea prudentia & ingenio sit præditus, ut aliis recte consulere possit, atque aliquis ab eo in rem suam consilium petat, non utique tenetur gratis illud præstare, sed ob eam causam salarium recte postulabit, & qui ejus opera utitur, non gravate dabit, quo rectius in ejus rem consulat. Si vero ille in eadem causa adversario quoque consilium dederit, infamiam incurret, & Judici mulctam exsolvet. Pauperibus & egenis, intuitu pietatis, absque mercede consilium ferat. Hoc enim ipsius Dei mandatum est. Jus Culm. Em. l. 2. c. 44. Revis. l. 2. t. 5. art. 1. Correct. l. 5. c. 60. Advocati seu Procuratores integræ existimationis sunto, æque uti Judex, nisi quod illis fas sit pro labore mercedem accipere. Si peregrè eant, ejus sumptu, qui illorum opera utitur, commeanto. Nemini operas addicunto, nisi qui justam causam habere videatur. Si conscius sibi sit Procurator malam esse causam, operas ei ne accommodato. Judex tamen Procuratori mandare solet, ut alicujus causam agat, isque mandato parere cogitur, si moribus id receptum est, non amplius utique, quam quatenus causam Juri & æquitati conformem, experiatur. Procurator si negligentiâ vel maligno studio causam alicujus deteriorem fecerit, tanti erga Deum & clientem delinquit, quanto deteriorem ejus causam fecerit. Si Procurator causam alicujus agat, & interim muneribus corruptus adversæ parti consilium suppeditet, quo Clientis sui causam prodat, vel deteriorem faciat, quate-

1. Advocatus accipiat suum honorarium, pauperibus vero gratis patrocinari debet.

2. Advocati integræ sint existimationis.

3. Advocatorum Officium

4. Quando Advocatus per negligentiam causam perdit.

quatenus eum coram Judice accuſaverit quis, cujus negotium perfide geſſit, ac teſtibus factum convicerit, tenebitur convictus duplum damni profundere, æque ac ſi rem de qua agitur, jure obtinuiſſet vel accepiſſet. Mulcta ejus inſuper erit lingvæ mutilatio, quam ex cognitione Judicis, dimidio æſtimationis pretio redimere poterit. Pauperum cauſas contemplatione pietatis absque Salario agere debet, ſi invitus facit, in Deum delinquit, & Judex hoc illi per Decretum injungat. Si quis alium exoraverit, ut in Judicio cauſam ſuam agat, eique rationes ſuas bona fide concrediderit, poſtquam autem ad Judicem ventum eſt, ubi cauſa ventilari debuit, adverſarius eidem Procuratori rationes itidem ſuas bona fide commiſerit, dubitationis erat, utrum iſte Procurator prioris Clientis cauſam agere poſſit nec ne? Noſtri Juris eſto; Si prior Cliens Judici conqueſtus fuerit, Procuratorem ſuum, cujus fidei ſuas res commiſerit, ab adverſa parte ſeductum ſeu corruptum, idque ſi Judex credere nolit, religioſe probaverit, ut exinde Judex Procuratori interdicat, ne cauſam ejus agat, qui fidem ejus ſecutus rerum ſuarum rationes illi concrediderit. Et hoc itidem in Eccleſiaſtico atque in Civili Judicio pari lance receptum eſt. Præterea, ſi quis alicujus cauſam in Jure agat aut defendat, & Adverſarius ejusdem Procuratoris fidei rationes ſuas in eadem cauſa commiſerit, cum res defertur, neutri parti operam Procurator præſtato. Emend. l. 2. c. 45. Reviſ. l. 2. t. 5. art. 2. Correct. l. 5. c. 61. Si quis Procuratorem petit ordinarium agendis cauſis juratum, Procuratoris Officium eſt, ut cauſam illius agat, quantum Jure ſubſiſtit, niſi excuſationem prætendere poſſit talem, quæ de Jure ſit admiſſibilis. Jus Emend. l. 2. c. 46. Reviſ. l. 2. c. 5. art. 3. Correct. l. 2. c. 54. Si quis cauſæ Procuratorem habet, pro Tribunali palam ne interloquitor. Si vero Judex litigantem interroget, an Procuratoris verba, quibus ille præivit, rata habeat, interrogatus vel affirmato vel negato, vel ſaltem deliberandi ſpacium poſtulato. Emend. l. 2. c. 47. Reviſ. l. 2. t. 5. art. 6. Correct. l. 2. c. 26. Advocatus ſeu Procurator in

5. Pæna perfidi Advocati.

6. Pauperibus gratis ſubveniat.

7. Quando quis ab Actore & Convento ſimul de patrocinio ſollicitatur.

8. Uniuscujusq; cauſam agere tenetur

9. Quando quis habet Procuratorem, non ipſe niſi interrogatus, debet verba facere.

in Judiciis ſit modeſtus, omnibusque conviciis abſtineat. Vid. Reviſ. l. 2. t. 5. art. 5. Emend. l. 2. c. 17. Jus terreſtre terrarum Pruſſiæ addit: Si quis contumelioſa aliqua verba, ſine quibus res ipſa narrari poterat, citatione comprehenderit, producens citationem ejusmodi, tam Actor ipſe, quam Procurator ejus, unius ſeptimanæ Seſſione in turri mox puniri debebit. Reus autem a termino & citatione liber pronunciabitur. t. 6. §. 7. Advocati atque Procuratores in ſuis ſcriptis inidonea & impertinentia ne immiſceant, omnes ambages fugiant, & ſolummodo cauſæ merita & neceſſaria proponant rationabiliter. Quo contra facto, ejusmodi inutiles nugæ & ambages per cognitionem Judicialem aboleri, parti vero eapropter expenſæ refundi debent. Jus Reviſ. l. 2. t. 5. art. 4. Plura vide infra de Mandato, item de Juramento Calumniæ & Procurator.

10 Advocatus in foro ſit modeſtus.

11. Pœna injuriantis Procuratoris.

12. Tractent cauſæ merita, & ab impertinentibus abſtineant.

ADJUDICATIO. *przysądzenie*

ADjudicatio trahit originem ex contractu, cui non ſatisfacto, procedit adjudicatio bonorum rei, ſic tamen, ut reus intra annum & diem reluendi poteſtatem ſalvam retineat; hoc fit circa pignora atque omnia credita cujusvis generis. Jure noſtro receptum eſt, ut omnes Creditores, qui in terris Pruſſiæ domicilium habent conſtitutum, & bona debitoris intra diem annuam nexu pignoris obnoxia fecerint, ac Jus Pignorationis ordine ſuo produxerint, eodem Jure ſimul admittantur. Si non tantum in bonis eſſe appareat, ut omnium debitis plene luendis ſufficiant, pro rata portione ſolutionis modo conſtituetur, exceptis Fiſco Regio in debitis, non in pœnis, pupillis, piis locis & communitatibus privilegio utentibus, nec non iis, qui jam tum executionem rei judicatæ, vel pignoris prærogativam, vel inſcriptionem Judicialem in bona debitoris obtinuerunt. Jus Reviſum præ omnibus præferentiam attribuit mercedi ſervorum & expenſis funebribus. Si quis autem intra diem annu-

1. Natura adjudicationis.

2. Si bona a pluribus Creditoribus pignori nexa ſint, quis potior habeatur?

annuam neque pignoris nexum injecit, neque jure debitum exegit, non eſt quod deinceps deſiderium ejus audiatur vel admittatur. Quisquis creditor profugi bona nexu pignoris obſtrinxerit, & Jus pignorationis ſuæ per ſingulas Judicii conſtituti vices rite proſecutus fuerit, debitum ſuum ex iisdem bonis vel poſſeſſionibus primo loco recuperabit præ cæteris, qui poſteum pignori manum injicere voluerint, nec illi fraudi erit, ſi quid aliud debitor confeſſione ſua in cæterorum compendium prætendiſſet. Sin autem primus creditor unam ex conſtituti Judicii vicibus neglexerit, vel non obierit, ſic ut poſteriores qui pignoris eandem cauſam proſequuntur, actiones ſuas pro illo ad executionem rei judicatæ perducant, illi non injuria potiores erunt, qui priores litem evicerunt, ad bona æri ſui obnoxia poſſidenda. Emend. l. 4. c. 75. Correct. l. 3. c. 121. & 122. Reviſ. l. 2. t. 24. art. 3.

3. De diverſis debitis diverſo die condictis.

Si quis in Judicio conſtituto ſpoponderit, interpoſita bonorum omnium hypotheca, ſe debitum certo die exſoluturum, ac ab eodem debitore etiam alii creditores, tam ante, quam poſt ſponſionem æs ſuum Jure obtinuerint ac evicerint: hunc ſervabimus ordinem, ut illi primum ſolutionis locum ſortiantur, qui debita ſua primum jure decretoque adjudicata habent; deinde ſtipulatorem, cui in diem certum ſponſio ſub hypotheca bonorum facta eſt, vocabimus; tandem reliquos qui poſt ſponſionem æs ſuum evicerunt, in debitoris bona vel poſſeſſiones quas habet, vel poſt mortem relicturus eſt, admittemus. Emend. l. 4. c. 46. Correct. l. 3. c. 98.

4. De reali ſatis datione ex adjudicatione in contumaciam.

Si quis ob homicidium, vel vulnus illatum, conventus fuerit, & ædes ſuas hypothecæ dederit Judicio ſiſtendi cauſa, ac interim profugiat neque in Jure ſe ſiſtat, is tribus edictis evocandus eſt. Si tribus Juris conſtituti vicibus non comparuerit, tanquam in contumacem ſententia profertur, & ex hypotheca damni æſtimatio Actori, & Judicio mulcta per decretum adjudicatur. Emend. lib. 4. cap. 62. Correct. l. 3. c. 22.

5. De bonis in abſentis contumaciam pignorandis.

Si cujus bona cum domi non eſſet, vel in alio foro domicilium haberet, in controverſiam vocentur, vel arreſto obſtringantur, quæſitum eſt, quo Juris remedio

bona possideri debeant, & an non conveniens sit dicere, quod in Jus vocandus sit? Hoc casu defenditur Juris esse rationem, ut iste in Jus vocari debeat, & siquidem non constet, ubi locorum commoretur, vel conveniri possit, more tamen cujusque loci recepto solennibus Edictis absens vocetur. Sin autem in absentis vel extranei, qui non hujus Jurisdictionis est, bona, agatur Jure, eorumque possessio evincatur, sic ut arresti nexus ipso inscio peractus sit, eorum possessionem recuperare potest, quatenus juraverit, se tam procul extra provinciam abfuisse, ut intra diem annuam, ex quo scire cœperat, ad bonorum defensionem adcurrere nequiverit. Sin autem gravioris causæ necessitas obstiterit, ejus fidem faciat ut Juris ratio præscribit, ac nihilominus Actori pro debito respondeat, si is justam conveniendi causam habere judicabitur. Emend. l. 4. c. 71. Correct. l. 3. c. 83. Revis. l. 2. t. 24. art. 2. Si cujus fundus in Judicio solenni nexu Juris pignoretur, ratione debiti centum marcarum, qui ducentis vel trecentis æstimari posset, & creditor fundum singulis constituti Judicii diebus ordine Juris, præconio forensi inclamaverit, sic ut in possessionem mittatur, & per decretum illi fundus adjudicetur, arbitrium ejus erit, fundum porro vendendi, vel sibi retinendi. Liberum autem est debitori, fundum intra diem annuam tanti, quanti venditus erat, redimere ac liberare. Sin creditor fundum non quidem vendat, sed sibi retineat, ac illi fundus per Judicem arbitrio bonorum virorum in æstimationem addicatur; Jus itidem erit debitori, intra diem & annum; debito soluto, quod suum erat, recuperandi. Si intra diem & annum rei suæ liberandæ curam abjecerit, deinde nulla redimendi potestas relinquitur. Tenebitur autem Creditor fundi pretium, quod ultra debitum excurrit, illi restituere. Emend. l. 4. c. 72. Correct. l. 3. c. 84. Tres debitores creditorem unum in Jure solenni conveniunt, primus v. g. marcas petit decem, quas debitor fatetur. Secundus sex petit marcas, quas itidem ille sibi creditas affirmat, tertius quatuor asserit marcas, quas debitor non inficiatur, eaque omnia in Judicio constituto

6. De bonis a debitore redimendis.

7. Si tres Creditores simul debitum condicant, bona vero ad plenariam exso-

lutionem debitoris haud sufficiant, quomodo fieri debeat adjudicatio?

tuto solenniter aguntur. Itaque omnes in bona debitoris, ex ipsiusmet confessione, qua in Jure singulorum debita agnoverat, immittuntur, bona vero non omnium debito ferendo sufficiunt. Etenim si primus & secundus, quod in illorum est nominibus, integrum capiant, tertio nihil quo sibi consulat, erit reliquum. Proinde si tertius Judicis cognitionem interponi petat, quandoquidem debitor creditum ejus, confessione sua in Judicio constituto cum cæteris æque liquido testatus sit, an non teneantur cæteri tertium in viriles portiones admittere, & simul Jusjurandum dare, quod debitor tanti sit illis obnoxius, tantumque in ejus usum erogaverit, quanti actionem instituerunt? Quæstio sic deciditur: Cum tres creditores in unius debitoris bona Jure mittuntur, quo debiti nomine se teneri ipsemet in Jure confesso testatus sit, primus creditor debitum suum præcipiat, secundus porro sequatur, neque coguntur tertium in viriles portiones secum admittere. Sin autem tertio quicquam desit, quo minus debitum suum ex bonis iisdem consequatur, Jure decretoque primum & secundum adigere poterit, ut jurati fidem faciant, verum debitum se condixisse, & debitor juret non suo compendio in alicujus fraudem tantum se debiti summam agnovisse. Emend. l. 4. c. 76. Correct. l. 3. c. 123.

8 De nexu pignoris a Judice extra ordinem decreto.

Si quis alicujus bona extra Judicium constitutum auctoritate Judicis nexu pignoris obstrinxerit, ejusdem res erit momenti, ac si in Judicio solenniter acto decretum interpositum fuisset. Pignoris autem nexus cui Prætor suffragium tulit initium est actionis adversus eum institutæ, qui latitat, quique in Jus venire retractet, ita nimirum, ut Judex adversario postulante proxima quaque Judicii die, bona pignori nexa in Jure testetur, & creditor pignoris causam singulis ordinarii Judicii vicibus prosequatur, uti Jure jam pridem receptum est: quicquid Actor in bonis debitoris lucrifecerit, nisi conventus intra ternas Judicii constituti vices bona defendat, vel salva præstet, id edicto Judiciali in dominium & possessionem debitoris, quo redimendi Jus sit illi integrum, abnunciato. Quod ubi rite

abnun

abnunciatum fuerit, nec ad rem debitor reſponderit, bona pignori nexa Judex creditori per decretum mancipato, & quaſi pignus ſuum nominatim adjudicato, ille pignus manu captum tribus conſtituti Judicii diebus publice proclamato. Si conventus demum non adfuerit, neque pignus luerit, poteſtas actori eſto, pignus a Judice bonorum virorum arbitrio æſtimatum, vendendi, & inde debitum ſuum, quantum liquido probaverit, ex bonis mobilibus recuperandi. Sin autem bona ſint immobilia, debitori Jus eſto intra diem annuam ea redimendi. Si pignus manu captum ſolvendo non ſufficiat, Judex Actore poſtulante ad ulteriorem pignorum executionem progreditor, eodem quo jam dictum eſt modo, pignoribus capiendis authoritatem accommodato. Si pretium pignoris debiti æſtimationem excurrat, quod ſupereſt debitori reſtituatur. Emend. l. 4. c. 77. Jus Reviſ. hic addit, primo, quod Actoris prætenſio debeat eſſe liquida. 2. Debitor ad hunc proceſſum edictaliter debeat adcitari. 3. Convento ſpacium trium menſium concedatur, quo currente ex pignoratis immobilibus poſſit excedere & 4. Conſangvineis Jus interventionis, convento verò reluitionis intra annum & diem ſalvum maneat. l. 2. t. 24. art. 1. Si cui bona cujuſpiam ob debitum pignori data ſunt, atque is illa ſecundum Juris ordinem, eatenus evicerit, ut per decretum illi pro debiti modo tradantur & addicantur, poteſtas illi data intelligitur, pignora jure manucapta, poſt diem annuam ſuo arbitrio, ſuoque lubitu diſpenſandi. Emend. l. 4. c. 78. Correct. l. 3. c. 80. 85. Reviſ. l. 4. t. 4. art. 5. Vid plura ſub verbo: **Pignus, Arreſtum, Debitum, Executio.**

9. Alia diſpoſitio Juris Reviſi.

10. De pignoribus per decretum adjudicandis.

ADULTERIUM. *cudzołóstwo*

1. Quomodo ſe adulter defendat & quomodo convincendus ſit.

SI quis alterius uxorem legitimam ſtupraſſe deprehenſus, & in ipſo facinore captus, & in Judicium pertractus, & ibidem ab ea, quæ vim paſſa erat, de crimine & violenter illato ſtupro accuſatus fuerit, quatenus factum fatetur, capite multa-

mulctator, si neget, potior esto mulier ut illum facinoris convincat, quam innocentiam ille prætendat. Si adulter in carcerem conjectus, eoque modo actio in diem prolata fuerit, nihilominus mulieri Jus esto reum in Judicium protrahendi, & ob vim illatam accusandi. Si reus factum neget, innocentiæ rationem ostendito virorum bonorum, qui famæ sint inculpatæ, testimonio. Emend. l. 5. c. 54. Correct. l. 5. c. 39. it. l. 3. c. 31. Jus Revisum l. 5. p. 2. t. 8. prolixius & distinctius de hoc crimine verba facit, propterea totum titulum hic inserere operæ pretium judicavi: Quando maritus conjugatus cum fœmina æque conjugata impudice coit, tunc ambo rei adulterii judicabuntur, & pœnam gladii meruerunt. Itidem, si mulier maritata cum viro cœlibe adulterium commisit, ambo mortem gladio subeunt. Si vero vir uxoratus cum fœmina cœlibe scelus adulterii patraret, vir gladio, fœmina autem fustigatione & relegatione luere debet. l.c. Adulterium regulariter pœnam capitis importat; interim tamen, quando pars conjugum læsa adultero culpam remittit, & sic cum eo amicabiliter cohabitare vult, in honorem sancti matrimonii etiam pœna corporis remittitur, ea tamen conditione, ut ambo solum vertant, persona soluta, non obstante remissione conjugatorum, nihilominus est punienda. Probe vero notandum, quod prædicta remissio & condonatio culpæ nihil operetur, cum vir conjugatus cum alterius conjuge adulterium exercuerit, sed ambo, ut supra diximus, gladio puniuntur. Si vir eo tempore, quando sua uxor adhuc est in vivis, aliam fœminam sciens sibi matrimonio jungat, ille etiam fit adulter, & eapropter capite amputandus est. eod. Emend. l. 5. c. 56. Qui propter patratum adulterium cum adversario transigit, fit infamis R. l. 5. p. 2. t. 23. art. 1. Em. l. 5. c. 91. In adulterio apprehensus delinquens per maritum aut parentem fœminæ, sicuti in casibus moderaminis inculpatæ tutelæ, impune potest occidi Jus Revis. lib. 5. p. 2. t. 7. art. 15.

2. Illustratio Juris Revisi.

3. Adulterii pœna.

4. Bigamia species adulterii.

5. Propter adulterium transigens fit infamis.

6. In adulterio deprehensus impune occiditur.

ADMI-

ADMINISTRATIO. *Spravowanie*

Cum in negotiis hominis & omnimodis & variis mercaturis non solum in propria persona omnia expediri non possunt, ideo expostulat communis negotiatio & mercatura aliorum quoque hominum auxilium & assistentiam, quæ tum aliquem suis rebus & negotiis proponit, & illa per ipsum administranda venit, utpote cum navi maritimæ nauta præficitur, ad mercaturam certos factores & negotiorum gestores, & his similes; tunc Dominus, & eos constituens, qui illos talibus rebus proposuit, ex illorum contractibus obligatur, illud quod gesserint & fecerint, acceptum & ratum ferre tenetur, nisi negotiorum gestores cum certis mandatis & ad certas res & negotia constituti fuerint, tunc hasce excedere non debent nec possunt. Et si id fecerint, illorum propriæ personæ obligabuntur, nec ullus alius. Factoribus, vel aliis negotiorum gestoribus, cum negotiis, mercibus & bonis commissis seu creditis, perfide agentibus, & ex proposito dolo malo & fraudulento modo reliquos homines damnificantibus, id pro perfidia censendum esse, & infamiam & honorem ipsorum attingere, illorum etiam res & bona absque præcedenti processu eo casu arrestari possunt, & ubi exinde solutio fieri non possit, cum suis personis ad exemplum aliorum aqua & pane obstringi & carceribus detineri debent. Factore vel negotiorum famulo extra suum mandatum & famulitium singulare negotium habente, tunc propterea Dominus, qui eum suis negotiis præfecit, non obligabitur. Revis. l. 4. t. 9. art. 1. 2. 3. Correct. l. 5. c. 21. de Administratione tutelæ vid. Minor, Negotiorum Gestio,

1. De Factoribus, sociis mercatorialibus & negotiorum gestoribus.

2. Quando perfide administrant, eorum pœna.

ADIVTALITUIM, *Dożywocie*.

Advitalitium Jus mutuum in omnibus bonis liberum erit Conjugibus sibi inscribere. Si qua etiam nullam dotem a marito inscriptam habuerit, quartæ tamen partis bonorum

norum mariti defuncti uxor ſuperſtes uſum fructum percipiet, donec ad ſecundas nuptias transierit. Jus Terreſt. Terr. Pruſſ. t. 1. §. 10.

ADJUTOR. vid. Auxilium.

pomocnik *pomoc*

ÆDIFICATIO.

wystawienie

1. Ædificatio in alieno ſolo

SI quis in alieno ſolo ædificium faciat, vel ſerat, vel arbores plantet, quicquid ædificatam, ſatum vel plantatum erit ad ſoli Dominum pertinebit. Emend. l. 3. c. 3. Correct. l. 5. c. 76. Rev. l. 3. t. 1. art. 3.

2. Si aliquis ex alieno ligno navem conſtruat.

Si quis ex alienis tabulis navem, vel quid aliud fabricaverit, corpus ex iis tabulis perfectum ejus eſt, cujus erant tabulæ, niſi alter juramento ſuo comprobaverit, non ſecus ſibi conſcium fuiſſe quam quod ſuæ eſſent tabulæ, id eoque ſe per inſcitiam ex aliena materia ſpeciem feciſſe. Si ita juraverit tabularum pretium Domino reſtituet, vel alioquin illi ſatisfaciet, vel alias ſaltem tabulas illarum loco reponet Emend. l. 3. c. 5. Correct. l. 5. c. 71. Reviſ. l. 3. t. 1. art 3.

3. De puteis, foveis, cryptis viis & ſtratis publicis innoxie habendis.

Quicunque extruendis operibus damnum dederit, datum Jure compenſato. Qui puteos vel alias foveas egeſſerit, eas ita circumſepito, ut munitionis altitudo viri coxendicem attingat; niſi fecerit, quandocunque damnum inde naſcitur, præſtato. Qui cellam ſubterraneam, vel ejus generis foveam effodit, ita opus facito, ne quid noceat, nec in latitudinem plateæ patentis ultra ſeptem pedes, ſpecum concumeratam producito. Si anguſtior ſit platea, quam ut latum opus ferre poſſit, ſubtus viam publicam opus ne porrigito. Quælibet viæ, quo currus publice commeare ſolent latitudo 16. pedum eſto, quo currus commode currui cedere poſſit. Quilibet præ foribus ſuis ſtratam viam ſeptem pedes latam habeto, in id, quod excurrit, Reſpublica ſumptus impendito. Emend. l 5. c. 84. Correct. l. 5. c. 13. Reviſ. l. 5. p. 2. t. 19. art. 10.

4. De lumini-

Qui domum ædificat, quam volet altiſſime

ſime tollendi Jus habet, niſi vicinorum luminibus ita officiat, ut illam altius tollere Jure prohibere poſſint. Si cujus lumina alterius ædificio obſcuriora fiunt, Senatum adito, atque is luminis impedimentum ad Juris normam reducito. Emend. l. 3. c. 8. Correct. l. 5. c. 69. Reviſ. l. 3. t. 4. art. 3. Si cujus ex domo ſtillicidium in aream vicini defluere conſveverit, idque vicinus pati noluerit, documentis tabularum publicarum, vel alia re literarum, vel idoneorum teſtium, qui ſint homines integræ famæ, ætate & poſſeſſionibus prædìti, probandum erit, quod ſtillicidium iſtud antiquitus ita cadere ſolitum fuerit, quodque vicinus ſibi vel evictori ſuo patientiam ejus generis præſtiterit. Sic enim ſervitutem retinebit, modo per annos 30. & annuam diem ſine interpellatione uſurpaverit. Fiſtulam autem novam imponere, vel aliud ſtillicidium projicere, quo magis vel gravius nunc quam antea in aream vicini cadat, Jure prohibetur. Emend. l. 3. c. 7. Reviſ. l. 3. t. 4. art. 1. Correct. l. 5. c. 9. Si quis vicinum ideo in Jus pertrahat, quaſi in extruendo ædificio fines areæ ſuæ transcenderit, fortius dicemus, conventum qui poſſidet Juramenti religione Jus ſuum tueri poſſe, niſi Actor cauſam teſtibus fultum attulerit. Hoc nam caſu convento, licet poſſeſſor ſit, teſtibus ſi volet, Jus ſuum propugnandi neceſſitas incumbit. Emend. l. 3. c. 9. Reviſ. l. 3. t. 7. art. 5. Nemo aquam publicam aggeres coacervando altius cogito, neque in caſtellis exſtructis detineto, quod cum vicini damno fiat, neve immature, cum tempore interdictum eſt, emittito. Qui ſecus fecerit damnum æſtimatum reſarcito, & nihilominus loci Magiſtratui ob factum contra leges temerarium ex ejus arbitrio mulctam exſolvito. Emend. l. 5. c. 85. Correct. l. 5. c. 27. Reviſ. l. 5. p. 2. t. 19. art. 11. Qui alteri domum ſuam, vel alium fundum locaverit ad aliquod tempus vel annos, id præſtare tenetur, & locatum fundum cum neceſſaria ædificatione & reparatione ad debitam habitationem expenſis ſuis ſuſtentare. Ex adverſo Conductor moderate uſurpare, & penſionem promiſſam juſto tempore, prout promiſſum eſt & conventum, ſolvere tenetur:

bus non officiundis.

5. De Jure extruendi ſtillicidii.

6. De finibus areæ non excedendis.

7. De piſciniis & caſtellis arcendis.]

8. De ædificatione Conductoris in fundo locato.

quicquid etiam cum ſcientia & voluntate in fundo ædificaverit, id Dominus ſolvere vel inpenſione defalcare debet. Si vero absque vel contra Domini voluntatem & juſſum ædificaverit, illud Dominus ipſi refundere non tenetur. Reviſ. l. 4. t. art. 1. Qui alteri fundum ſuum pro cenſu hereditario ædificandum dederit, & poſtmodum illud ædificium abuſtum fuerit, vel ita interierit, ut una pars remanſerit, & ille ad eundem cenſum reædificare noluerit, tunc Dominus cenſus, cujus fundus eſt, & qui alteri ædificare permiſit, fundum & ædificium quod remanſit, cum omnibus attinentiis recipere poteſt, nec illi eapropter ſatisfacere tenetur. Reviſ. l. 4. t. 7. art. 11. Correct. l. 5. c. 9.

9. De fundo cenſuali ædificando.

ÆRARIUM.

De ærario publico ubique locorum in Jure Prutenico mentio invenietur, præcipue vid. **Fiſcus, Mulcta, Peculatus.** Palatinus quando in executione ſententiæ ſit remiſſior neque preſſis Juſtitiam adminiſtret, quinquaginta florenorum Hungaricalium pœna plectitur, cujus mulctæ medietas parti, cui Juſtitia denegata eſt, altera vero medietas ærario publico Terrarum Pruſſiæ cedat. Item ſi aliquis Executioni voluerit reſiſtere, aut jam factam violare convictus fuerit, Pœna banni ſive proſcriptionis ac bonorum confiſcatione irremiſſibiliter puniatur, ex quibus bonis parti læſæ primum fiat ſatis; quod reliquum fuerit, prædicto Fiſco addicetur. Conſtitut. D. Sigismundi Thorunii conciliatæ Anno 1538. §. 12. & 13. Bombardis nemo omnino nec in propriis nec in alienis ſylvis, ſub pœna centum florenorum Hungaricalium irremiſſibiliter ſolvendorum, amodo utatur, cujus mulctæ medietas Regi, altera ærario publico Terrarum Pruſſiæ proveniat. eod. §. 23.

1. Palatinus negligens in peragenda executione, quid debeat ærario publico.

2. Bombardæ interdicuntur.

ÆS ALIENUM. Vid. Creditor. wierzyciel.

ÆSTI-

ÆSTIMATIO, *Szacunek.*

ÆStimatio quadruplex in Jure Culmensi reperitur, nimirum: personæ, honoris, rei & delicti seu culpæ. Homo seu persona longe pluris æstimatur quam quivis thesaurus vel alia res pretiosa. Propterea qui hominem furatur sive plagium committit, furto manifesto semet obstringit, & si homo furtivus in ejus potestate inventus fuerit, eodem modo, quo de cæteris rebus furtivis furti convincitur, nec interest utrum minoris ætatis, an inopiæ excusationem opponat, sed Plagiarius in crucem agatur. Emend. l. 5. c. 69. Correct. l. 5. c. 30. Revis. l. 5. p. 2. t. 16. art. 10. Æstimatio honoris atque personæ plerumque in uno complectuntur; sic qui Scabinum in Judicio constituto inter cancellos tribunales verbis indignis convitiatus est, convitiator æstimationem injuriæ Scabino, Judici vero mulctam luito. Emend. l. 2. c. 2. Correct. l. 2. c. 2. Et quia hic initium feci de delictis, hac semita progressuri omnium delictorum, tam verbalium quam realium æstimationem per universum Jus Culmense inspiciemus, & quemadmodum de injuriis verbalibus jamjam aliqua verba fecimus, sic porro earum arridet sequens connexitas. Si quis Scabinum in Jure sedentem maligne reprehenderit ob sententiam dictam, quam cæteri Collegæ calculo suo comprobassent, singuli Scabinorum injuriæ æstimationem ab eo, qui convitium fecit exigant. Judex autem mulctam toties petat, quoties ille Scabinis injuriam æstimationem præstiterit. Emend. l. 2. c. 3. Correct. l. 2. c. 3. Si alicui parti pax & silentium est impositum, & nihilominus contraveniatur, adversarius parti læsæ æstimationem injuriæ, Prætori vero mulctam illi rei dictam, exsolvere cogetur. Emend. l. 2. c. 14. Correct. l. 2. c. 40. Revis. l. 2. t. 2. art. 5. Si quis alterum in loco Judicii obtundat clamando, cursitando, convitium vel aliud quidpiam illiberaliter aut impudenter agendo, quod cum actionis ejus damno vel præjudicio sit conjunctum. Si secus quis maligno studio fecerit, ob eamque rem Judicis & Scabinorum duorum testimonio convictus sit, injuriam læso,

1. Differentia æstimationis Juris Culmensis.

2. Æstimatio hominis.

3. Æstimatio honoris.

4. Scabinus injuriatus.

5. Æstimatio præcepti Pacis fracti & transgressi.

6. Æstimatio quando quis in Judicio læditur.

læſo, mulctam Judici luat. Si præſente Burggrabio deliquerit, trium librarum, ſi præſente Prætore octo ſolidorum mulcta eſt. Ex quacunque cauſa Actor damni vel injuriæ æſtimationem adjudicatam obtinuerit, ex eadem Prætor etiam ſuam mulctam recte vindicabit. Emend. l. 2. c. 17. Correct. l. 2. c. 44. Reviſ. l. 2. t. 1. art. 6. Si aliquis alterum violenter ob debitum impedit, ſeu per vim in Judicium protrahit, eapropter, quod ſibimet ipſi Jus dixerit, æſtimationem injuriæ læſo, mulctam Judici dato. Judicis autem erit arbitrium pro conditione perſonarum & cauſæ, mulctam & injuriæ æſtimationem augendi; eo ſolo excepto ſi debitor ex fuga retrahatur. Emend. l. 2. c. 18. Correct. l. 2. c. 45. Reviſ. l. 2. t. 6. art. 6. Wergeldum vulgari vocabulo nuncupant mulctam, vel æſtimationem, qua quis actione ſe liberat vel exſolvit, quæ alioquin adverſus ipſum commiſſi facinoris cauſa Jure competebat. Oritur autem hæc mulcta ex delicto civiliter intentato. Quod enim actionem civilem non habet, in hujus æſtimationis rationem non deducitur. Ex. gr. Si quis aliquem alium, non præmeditato, ſed caſu, ſeu imprudentia occiderit: velut cum furioſus & mente captus, vel infans quem interfecerit, vel cum quis hominem fortuito lapidis vel teli ictu percuſſerit, dum aliquid aliud eo jactu petit, vel cum in exſtruenda domo lapis, vel qua alia materia caſu deciderit, quo periret homo. Vel cum quis ob tutelam corporis ſui quempiam ad mortem adegerit, his caſibus mulctam ſolvendo, qua cæſi dignitas, vel natales æſtimantur, actioni criminali quis ſemet exonerat. Verum ob homicidium, vulnus atrox, deformitatem ex læſione contractam, impotentiam membrorum, vel aliud delictum, quod ex propoſito & animo deliberato committitur, quicquid pœna capitis vel manus ſancitum eſt, civili mulcta nemo delictum exoneret; Siquidem actio criminaliter intentetur, & reus ſua confeſſione, vel aliis modis legitime convincatur. Si quis autem ob homicidium factum civiliter accuſetur, quod utique propinquis occiſi licet; quatenus plenæ fortaſſis probationes deficiunt, & nihilominus actores præſumptionum quibusdam adminiculis

7. Æſtimatio, quando aliquis vi in Judicium protrahitur.

8. Qualis Wergeldum ſit æſtimatio.

niculis

niculis utuntur, hoc casu, cum reus delictum fatetur, vel jure convincitur mulctam solvit, quæ ex æstimato defuncti personæ debetur, marcas nimirum 24. (hæc æstimationis integra mulcta est) vicenos grossos, quorum singuli denarios octodecim in usu & foro versantes constituunt, in marcam Prutenicalem computando. Judicis autem mulcta hisce facti speciebus, secundum privilegium & libertatem Culmensem 30. solidorum, qui monetæ Prutenicalis quatuor marcas conficiunt, atque hanc maximam Judicis mulctam legislatoris constituerunt. Hinc illud nobis intelligendum erit, quod tres hujus generis mulctæ semissem æstimationis ejus (quam Wergeldi nomine vulgo censeri diximus) scilicet duodecim marcas Prutenicales adæquare consveverint. Omnes in universum mulctæ in diem istum luuntor, qui Judiciali decreto dictus est, ejus scilicet speciei nummis, qui usum & pretii functionem recipiunt, pœna æstimationis & damnorum Actori, mulcta Judici, nec enim refert superior an inferior sit, secundum municipii consvetudinem expenditor. Si dies adjecta non sit, pœna Actori, mulcta Judici intra diem decimum quartum, æstimatio vero cædis aut damni injuriæ intra mensem tertium exsolvuntor; ejusmodi scilicet nummis qui in ejusdem fori usu pretioque publice versantur. Emend. lib. 2. c. 19. Corr. l. 2. c. 28. Revis. l. 5. p. 2. art. 10. Hic intercidenter de mulcta inserui, quia non solum propter quascunque injurias, Civiles & Criminales ea debet exsolvi, sed etiam sæpius circa æstimationes obtinet, uti ex subsequentibus videre licebit: Si prætor quempiam in actione prosequenda impediverit, vel Jus non administraverit, siquidem hoc per injuriam admittat, coram eo, qui vices Principis gerit, seu coram Burggrabio conventus, in continenti respondere tenetur; præsertim eum ipsummet oportet esse, nisi legitimum causetur impedimentum, quod e vestigio probandum erit. Si non probet, sed per injuriam recuset, neque Juri parere velit, ei, qui Principis vicem sustinet ob injuriam in eum commissam, Prætor in mulctam decem librarum æris, quæ 13. marcas, & 20. solidos monetæ Prutenicæ adæquant, damnatus esto, & in

9. Æstimatio non administratæ Justitiæ per Judicem læso præstanda.

in ſolutionem debiti, cujus cauſa Jus denegaverat, actori condemnetur. Quamdiu debitum non eſt exactum nec ipſemet ſolverit, nec proximo Judicii die actionem a ſe propulerit; Interim illi Jurisdictionem in quempiam exercere fas non erit, prius quam ea cauſa ſe liberaverit, uti præmiſſum eſt. Sin autem agatur de maleficio, cujus vindicandi cauſa Prætor Jus dicere noluerit, utputa de homicidio, furto, ſacrilegio, latrocinio, incendio, rapina vel aliis ejus generis facinoribus, quæ capitalia ſunt, eandem pœnam Judex ſuſtinebit, quam accuſatus perferre debuiſſet; neque hoc caſu damni æſtimatione, vel mulcta effugere poterit, quatenus in ejusmodi cauſa neglecti Officii Juris ordine convincatur. Si quis poteſtati Judicis traditus fuerit, in cuſtodia ad Juris executionem aſſervandus, isque carcerem fregerit absque Judicis culpa, negligentia, ſeu ſcientia; ſiquidem cauſa maleficium concernat, quod capitale ſit, Judex integram æſtimationem (Wergeldum totum vocant) luito. Si manus mutilationem concernat, dimidium præſtato, ac inſuper Jusjurandum jurato, niſi id remitti placuerit, ſine culpa ſua captivum evaſiſſe. Tanti itaque æſtimatur Juſtitia denegata ſeu impedita Emend. l. 2. c. 16. Correct. l. 2. c. 43. Reviſ. l. 2. t. 2. art. 6 de æſtimatione mulctarum Judicis indelictis vid. infra **Mulcta.**

10 Æſtimatio libelli famoſi

Famoſus libellus, in quo innocenti delictum ſeu crimen commiſſum injuſte objicitur, tanti æſtimatur, ut, ſi iſta, quæ innocenti objiciuntur, vera eſſent, & læſus in ſuo corpore, vita & honore criminaliter puniendus foret: tunc malitioſus ille obtrectator, hac eadem pœna, in quam innocentem, cum ſua minus veraci famoſa ſcriptura traducere voluerit, coerceri & puniri debet, & præterea iſti famoſi libelli, quodquod fuerint reperti, publice per carnificem concremari debent, etiamſi diffamatio per ſe fuerit vera, attamen ratione ejusmodi inordinatæ & iniquæ attentationis propoſitæ, arbitrie pro contemplatione exceſſus puniri debet. Reviſ. l. 5. p. 1. t. 20. art. 3.

11 Æſtimatio delicti contra Conſules aut Plebiſcitum.

Si quis delinquit contra Conſules vel contra Jus Civitatis & Plebisſcitum, ejus delicti mulctam Conſules ſuo placito, ſuoque arbitrio exigunt, nec eam ob rem alteri

alteri cuivis obnoxii ſunt. Emend. l. 1. c. 10. Correct. l. 1. c. 7. & l. 1. c. 11. Reviſ. l. 1. t. 2. art. 11. Si quis Conſul, Scabinus, vel quis alius Civitatis Officiis vel Miniſteriis obnoxius vel juratus, in eodem Officio ſeu Miniſterio, corporis, vitæ, ſeu bonorum damnum perpeſſus fuerit; quatenus Conſules affirmant calamitatem illi cauſa Civitatis accidiſſe, is qui dedit damnum tanti luito, quanti Plebisſcito conſtitutum eſt. Si Plebisſcito cautum non ſit, Conſules expenſis perſonæ cauſæque rationibus, tanti, quanti videbitur auctorem condemnato. Si damni auctor non appareat, Civitas ipſa, cujus cauſa damnum datum eſt ex æquo & bono compenſato Emend. l. 1. c. 14 Correct. l. 1. c. 7. Reviſ. l. 5. p. 2. t. 19. art. 2. Delicta porro ſequentem in modum æſtimantur, præprimis quando exiſtant criminalia: ob vulnus ita alte adactum, ut in profundo ungvem, in longo digiti membrum extremum adæquet, mutilatio manus eſto, manum æſtimatione marcarum duodecim redimendi Jus eſto, niſi Juris ordine pœnam declinaverit. Emend. l. 5. c. 14. Corr. l. 3. c. 11. & 12. Reviſum de qualitate vulneris nullam facit mentionem. Si alteri duo vel plura vulnera, quæ contigua ſunt uno ictu inflixerit, non amplius quam ad mutilationem manus convenitur, eam autem per decretum Judicis 12. marcarum mulcta redimit. Emend. l. 5. c 15. Correct. l. 3. c. 14. Si tam alte vulnus deſcenderit, ut atrocis numero cenſeatur, vel ex quo membra ad uſum a natura inſtitutum fiunt inepta, & vulneratus deinde, priusquam percuſſorem in Jus vocet, ab incidenti morbo mortem contraxerit, hæredibus ejus poſt deceſſum illius, eo nomine nulla competit actio. Emend. l. 5. c. 18. Corr. l. 3. c. 17. Qui ob noxam corpori illatam, qua membrum quemvis propter impotentiam naturalis actionis perdit uſum, vel ob vulnerationes atroces, vel ob vulnus quod in carne inſedit, vel ob cicatricis deformitatem, quæ omnia uno eodemque modo cenſentur, in Judicio convenitur, ſiquidem criminaliter agatur, & reus factum non neget vel alioquin perſpicuis documentis facti convincatur, pœna reo ſancita eſt, manus præcidendæ, nec inſuper alia datur

12. Si aliquis Civitatis cauſa damnum patitur, quomodo hoc æſtimetur?

13. Vulneris æſtimatio.

14. Æſtimatio impotentiæ ex vulnere cicatricis, deformitatis &c.

datur mulcta. Liberum autem erit condemnato, dimidio æstimationis pretio manum redimere. Sin civiliter agatur, reus in mulctam eam quam 12. marcis æstimari solet condemnatur. Si quis autem ob simplex vulnus convenitur, quod non atrox sit, quantumvis ex proposito & præmeditata noxa corpori fuerit inflicta, vel ob verborum contumelias, quibus manifesto tenetur, actori solidos 30. Judici 8. luat, atque vulneratus, quantumvis plagæ livorem contraxerit, vel sangvis subter cutem coitus, percussionis vestigia retinuerit, non itaque criminaliter agere potest, sed sufficit mulctam exsolvi. Animadvertendum tamen est, mulctam & æstimationem damni crescere mire minime solere, prout delictum majoris vel minoris momenti habeatur. Emend.

15 Æstimatio vulneris in capite.

l. 5. c. 23. Correct. l. 3. c. 26. it. c. 8. Qui in summa capitis parte vulneratur, punctim vel cæsim, vel teli ictu quo craneum lædatur, sic ut intra cutem & calvariam vulnus descendat, & satis alte inflictum appareat, vulnus hujus generis atrox censetur, & 12. marcis æstimatur. Cum craneum ictu attritum vel perforatum est, ut oculis id appareat, vulneris

16 Æstimatio aurium.

Jure censetur. Emend. l. 5. c. 24. Correct. l. 3. c. 7. Si cui auriculæ vel totæ, vel ex parte media præcidantur, ad vulnerationis atrocitatem noxa defertur, & semissem æstimationis quæ 12. Marcis censetur in mulctam reus committit. Si cui cæsim auris disjecta sit, atroci plaga, quam capillis prominentibus contegatur, ejus generis vulnus est, quod 12. marcis æstimatio compensatur. Sin auricularum aliqua pars amputetur, deformitatem notat, & 12. marcis itidem æsti-

17 Æstimatio oculorum.

matur. Emend. l. 5. c. 25. Correct. l. 3. c. 23. Si quis transversum oculos vulneretur, sic ut pilis vulnus non tegatur, ac inde cicatricem in facie deformem consequatur, deformitas ea 12. marcis æstimatur. Idem Juris & ejusdem æstimationis est, si cui supercilium præcidatur, ex quo faciei deformitas nascetur. Item si oculus ictu, punctura vel jactu eruatur, eandem æstimationis & vulneris rationem habebimus. Emend.

18 Æstimatio oris, lingvæ, scroti.

l. 5. c. 26. Jus correctum addit: Si ori, lingvæ, scroto noxa inferatur, dimidium Wergeldum etiam exsolvere teneatur.

l. 3.

l. 3. c. 15. Si maxillæ vulnerentur ictu, jactu, vel punctura, seu recto seu transverso vulnere, sic ut macula deformis ex plagæ vestigio remaneat, vulnus istud propter deformitatem quam humanæ faciei confert marcis 12. compensabitur. Emend. l. 5. c. 27. Si cui nasi pars anterior usque ad os vel nasus totus amputetur, pro atroci vulnere, ac membri deformitate noxam accipimus. Emend. l. 5. c. 28. Correct. l. 3. c. 15. Si cujus os ita vulneratum vel attritum fuerit, ut ex cicatrice os distortum relinquatur, membri impotentiam intelligimus. Si dentes duo vel plures, sive primores sive intimi sint, una cum eodem jactu, ictu & punctura simul & semel frangantur, impotentis membri mulcta est & æstimatio. Si dens unus, vel pars dentis punctura seu jactu frangatur, ad impotentiam non refertur, sed sangvinolenti vulneris nomine venit, & Judicii 4. Solidorum mulctam lucratur. Si quis ex anterioribus dentibus, sic ut vulneratus inde eloquendi vitium contraheret, ad impotentiam, qua usus membri sit deterior, vulnus hoc erit referendum. Emend. l. 5. c. 29. Correct. l. 3. c. 5. Si cui mentum, vel menti particula præcidatur, quatenus ex vulnere deformitas in facie resideat, 12. marcarum mulcta est & æstimatio. Emend. l. 5. c. 30. Correct. l. 3. c. 15. Si quis punctim in collo vel cæsim ita vulneretur, ut læsis nervorum juncturis collum obtortum maneat; membrum quo minus officio fungatur destructum intelligimus, & ad æstimationem 12. marcarum noxam revocamus. Emend. l. 5. c. 31. Cum in humero vulnus tam graviter incidit, ut brachii ad caput usque protendendi facultas non sit, membri impotentiæ adscribitur & ejusdem æstimatione censetur. Emend. l. 5. c. 32. Si quis punctim corpore vulneretur, ut vulnus ad interiora penetret, quanquam duplex vulnus censeri possit, partis tam interioris quam exterioris, unius tamen vulneris mulcta est. Em. l. 5. c. 33. Si brachium vel crus ictu per transversum discindatur, rumpatur vel frangatur, sic ut vulnus altius in carnem non descendat, impotentiam membri notat ac marc. 12. mulcta determinatur Emend. l. 5. c. 34. Correct. l. 5. c. 26.

19. Æstimatio maxillarum.

20. Nasi æstimatio.

21. Oris æstimatio.

22. Dentium æstimatio.

23. Menti æstimatio.

24. Colli æstimatio.

25. Humeri æstimatio.

26. Corporis vulnerati æstimatio.

27. Brachii & cruris æstimatio.

28. Cubiti æstimatio.

Si quis in cubito vulneretur, inferius seu superius sic ut digitorum impotentia contrahatur, noxa digitorum ipsius vulneris rationem sequuntur, nec amplius ea noxa, quam vulneris æstimatione censebitur. Emend. l. 5. c. 34. Idem Juris est, si quis in manu vulneretur, & inde digitorum impotentiam nascatur, ea nimirum vulnus sequitur, & vulneris æstimatione censetur. Si quis in manu ita vulneretur, ut ipsa manus cum omnibus digitis manca sit, & viribus suis destituta, minores noxæ majorem sequuntur, & impotentis membri mulcta & æstimatio constituitur. Si manus & digitus ita vulneretur, vel frangatur, ut distortionem vel impotentiam secum ferat, eadem erit æstimatio. Si quis in manu vulneretur, sangvinolento saltem vulnere, ac inde digitus vel articulus torporem conciliet, vulnus sangvinolentum impotentiam membri sequitur, & justæ æstimationis, quam Wergeldum vocant, partem decimam mulctæ nomine importat. Si digitus plane amputetur, abscissione digiti damnum erit censendum. Membrum digiti præcisum ad impotentiam refertur, & decimam ejus, quam diximus mulctæ partem irrogat. Membrum penitus a digito detruncatum, impotentiam ejus & vulneris atrocitatem demonstrat. Si cui digitus unus vel plures uno ictu præcidantur, unum sane damnum est, decima justæ æstimationis parte sarciendum. Quilibet digitus, vel manus vel pedis, mulctam peculiarem habet, & justæ æstimationis partem decimam. Ungvis a digito præcisus vulnus sanguinolentum notat 30. Solidorum mulcta æstimatum. Emend. l. 5. c. 36. Correct. l. 3. c. 23.

29. Manus & digitorum æstimatio.

30 Æstimatio membri amputati.

Cui membrum penitus amputetur, cujus æstimationem jam antea in Judicio acceperat, 30. solidorum noxa pensatur & mulcta Judici solvitur. Emend. l. 5. c. 37. Vulnus tormento factum, vel punctim inflictum, gladio, telo, pugione, vel alio armorum genere ad cædem accommodato, quod justum ungvis altitudinem adæquat, quamvis in longum non protendatur, nec non in vulnere punctim dato, spectamus longitudinem atrocis vulneris, cui nomen duellarii vulgus fecit, jure censetur, quod percussori capitale est, nisi integro æstimationis

31. Atrocis vulneris æstimatio.

mationis pretio, quod 24. marcis circumscribitur sese redemerit. Etenim ejus generis arma quæ diximus ad cædem & necem furtive, ac proditorie comparata creduntur. Sin autem vulnus atrox cæsim vel scissim inflictum sit, mortifero armorum genere, percussor ad manus mutilationem convenitur, nisi eam marcis 12. redemerit. Duo vel plura vulnera atrocia uno simul ictu cæsim inflicta, non pluris quam 12. marcis æstimantur. Emend. l. 5. c. 38. Correct. l. 3. c. 12. Si quis alterum ex proposito fustibus, bacillis, clava lignea, vel palo crebro verberaverit, aut verberari mandaverit, sic ut in corpore vulnera sangvinolenta, & carnis rupturæ, nec non tumores lividi appareant, quatenus criminaliter agatur in reum pro qualitate personæ & delicti animadvertitur. Si plagæ sint mortiferæ, sic ut verberatus inde mortem contrahat, capitali supplicio reus afficitur. Emend. l. 5. c. 39. Correct. l. 3. c. 19. Jus Revisum generaliter & rotunde totum titulum de vulneribus absolvit, sequentem in modum: Ubi quis alterum in via publica, vel platea ex proposito vel dolose, absque data causa vulneraverit, is tanquam violator pacis publicæ manum amittit, vel perpetuo relegari debet, læso utique mercedem chirurgicam & sumptus cæteros, secundum Judicis cognitionem, refundere & pro doloribus satisfacere tenetur. Revis. l. 5. part. 2. t. 21. art. 1. Si quis alteri ex rixa & contentione tantam ansam præbuerit, ut uterque verberando manus conferat, & invicem sese vulneraverint, tunc delinquens pro qualitate vulnerum, mutilationum vel stigmatum puniri debet & Judex pro gravitate excessus pœnam augere vel minuere potest. ib. art. 2. Judice mediante ordinaria cognitione delinquenti pœnam vulnerationis imponente, tunc læsa pars etiam suos dolores, mercedes chirurgicas, culpas, damna, expensas, & quod propter passam mutilationem membrorum ad laborem consvetum sit facta inhabilis, & satisfactionem propter injuriam de Jure postulare potest. ibid. art. 3. Quisquis ab adversario ob vulnus atrox, vel impotentiam membri, vel injuriarum aut violentiæ causa, mulctam seu pœnam facinoris jure exegerit,

32 Æstimatio ictus fustium.

33. Alia dispositio Juris Revisi, circa æstimationem illatorum vulnerum.

34 Æstimatio vulnerum ex rixa.

35 Æstimatio dolorum.

36. Æstimatio dolorum, impotentiæ membrorum,

& cicatricis ex vulnere.

rit, non ideo prohibetur, nisi sponte gratiam adversario facere malit, quo minus ob dolores, impensas medicorum, res neglectas, damna, membrorum impotentiam, quibus ad corporis tutelam & rem familiarem sustinendam non æque nunc uti possit. Similiter ob enormem contumeliam adversarium convenire, & ad restitutionem ac compensationem, quod sua interest compellere possit. Hoc nam casu Judicis est officium, pro qualitate causæ & delicti, proque personæ, quæ læsa dicitur, conditione, Jus unicuique dicere & administrare. Jus Emend. l. 5. c. 40. Simile disponit Jus Terrestre Prussiæ terrarum de damnis & litis expensis: Ad audaciam vero temere litigantium coërcendam in Civilibus Causis victus, victore id postulante in litis expensas semper condemnetur. Quamprimum igitur ultima definitiva sententia a superiore Judice prolata fuerit, aut etiam ab inferiore, si ab ea pars non appellaverit, aut appellationem postea deseruerit, victor partem victam ad Judicium vel Terrestre vel Palatinale, in utro nimirum causa primum agitata fuerit, ad impensas præstandas citare poterit; quod cum fecerit, Judicium omnes expensas in litem per victorem computatas, qualia sunt justa impendia Procuratorum, itinerum, & quæ Actoris monumentis poterunt doceri, pro conscientia sua, personarum, temporum & causarum habitu ex æquo & bono optima fide examinabit moderabiturque., qua æstimatione a Judice interposita, si æstimatio ea triginta florenorum Ungaricalium valorem excedat, petitor Juramento suo corporali, quod videlicet in litem eam cum parte non minus expenderit, nec expendere potuerit, æstimationem eam confirmabit. Si valorem eum æstimatio non excesserit, petitor tamen triginta aureis contentus esse malit, quam in majorem Summam Juramentum præstare; quamcunque summam a Judice æstimatam, victor vel Juramento comprobaverit, vel si triginta aureorum aut minori steterit, in eam victus in instanti condemnabitur, neque a moderatione hujusmodi Judicis ulli parti, ne expensæ expensas augeant, Appellatio permittetur. Si fidejussor litis expensarum

37 Æstimatio damnorum & expensarum litis, secundum Jus Terrestre.

nomine intercesserit ad specificationem, seu æstimationem adcitabitur, cumque per Judicium æstimatæ, juratumque in eas fuerit a parte, aut si non majores triginta aureis fuerint, sine Juramento ex moderatione Judicis a parte accepta fidejussor a Judicio non recedendo solvere eas tenebitur, nullaque omnino dilatio ad conveniendum suum Principalem, aut ad eundem statuendum, ei concedetur. Quod si nomine expensarum citatus non comparuerit, quascunque in citationem expensas Actor posuerit, eæ absque ulla moderatione & Juramento a Judice ei decerni debebunt, proque executione rei judicatæ ad officium competens remitti. Jus Terrestre tit. 6. §. 2. & 3. Jus Culmense Revis. de damnis & expensis statuit: Expensæ Judiciales nuncupantur omnia quæ in Judicia, Advocatos, Procuratores, Præcones, seu Pedellos, & alias res ad Processum Judicialem pertinentes & necessariæ impenduntur, prout illa vigore ordinariæ taxationis postulantur, vel aliter secundum æquitatem dari oportet; ad quod etiam omne illud computari debet quod ad itinera, & ad causæ prosecutionem fuit necessarium, eo tamen modo, ut omne id deducatur, quod alioquin quis in sua domo, vel pro commoditate sua consumpturus esset. Damna appellantur, cum quis ratione causarum Judicialium aliquid de suo perdiderit, sufficienter probaturus prout alioquin, ubi per hanc causam implicatus non fuisset, seu re vera in suis facultatibus retinere potuisset. Si quis etiam poterit probare, se vere & absque omni dubio aliquod lucrum percipere potuisse, quod illi per hanc causam Judicialem & illius detentionem principaliter præpeditum & præscissum fuerit, id quoque pro damno computabitur. Quando quis in ruitione Judicialis causæ suæ, tam in agendo, quam respondendo ventilatæ, convictus pronunciatur, & id propterea ex actis perspici poterit, illum justam causam Judicialis litigii non habuisse, verum vel ex dolo malo & petulantia, seu pervicacia partem per Processum Juris involvisse, & turbasse, illique dolorem modo inferre voluisse, is pro reo tenebitur, quando id Judici-

38 Æstimatio expensarum & damnorum Judicialium secundum Jus Revisum.

dicialiter petitum & recognitum fuerit, omnes justas expensas & damna vincenti petenti refundere & restituere tenetur. Quæ pars justam agere causam sibi persvasum habet, illa simul cum negotio principali in conclusione sua simul refusionem damnorum & expensarum petere potest, desuper Judex cognoscere, an & quæ pars easdem refundere teneatur, debet, & si hoc in inferiori instantia fuerit omissum & præteritum, per superiores Judices corrigi, & nihilominus desuper pronunciari potest. Quo cognito & obtento, pars pro qua pronunciatum est, in termino executionis sua damna & expensas liquidare est obstricta cum debita probatione, in Judicis vero facultate situm est, easdem secundum æquitatem moderare. Inde post talem moderationem, per partem, quod scilicet expensæ & damna non fuerint viliora, sed in rei veritate consistant, per Juramentum comprobari decet. Postea ferenda est finalis sententia, nisi pars in ejusmodi moderatione Judicis enormiter & supra modum gravata fuerit, tunc ex hac causa potestatem & licentiam habebit ad superiorem Judicem appellare. Revis. l. 2. t. 25. Jam sequuntur delicta graviora, quorum æstimatio non aliter, nisi cum sanguine & corpore, secundum Jus Culmense, compensatur. Sic qui perjurium sciens committit, infamis esto, & duobus digitis, quibus religionem violavit, mulctatur. Emend. lib. 2. c. 59. Corr. l. 3. c. 44. Revis. l. 5. p. 2. t. 3. art. 1. Imo qui persuasionibus, donis, corruptionibus & consiliis alium ad perjurandum seduxit, similem pœnam meretur ib. art. 3. stuprum violenter illatum capitale supplicium obtinebit. Emend. l. 5. c. 53. Correct. l. 3. c. 31. it. l. 5. c. 39. Revis. l. 5. p. 2. t. 9. art. 1. Adulter capite plectitur. Emend. l. 5. c. 54. Revis. l. 5. p. 2. t. 8. art. 1. Bigamus item. Emend. l 5. c. 56. Revis. l. 5. p. 2. t. 8. art. 5. Raptus virginum & mulierum capitalem pœnam meretur. Emend. l. 5. c. 55. Revis. l. 5. p. 2. t. 10. art. 2. Correct. l. 5. c. 39. Si quis hominis mortui cadaver ausu proprio, sine permissu Magistratus, sepulchro exemerit, cui id perpetrandi Jus fasque non est, vim & Ecclesiæ & mortuorum

39 Æstimatio perjurii.

40 Æstimatio persvasionis consilii & corruptelæ ad præstandum perjurium.

41 Æstimatio stupri violenti.

42. Adulterii æstimatio.

43. Bigamiæ.

44. Raptus Virginum.

45 Æstimatio

orum conditoriis fecisse judicetur, in cujus facinoris mulctam omnia sua bona, quæcunque possidet, Ecclesiæ committit. Si bona, quibus mulctetur, non habet, ad palum in cœmiterio religator, & quadraginta plagis vapulato, & secundum auricolas tondetor. Si Clericus hoc facinus designaverit, Episcopus eum omni suæ dignitatis honore privato, ac in perpetuum exuito, sic ut ad conditionis suæ statum recuperandum nullo unquam tempore sit admittendus. Quicunque Judex vero facinus hoc eo modo, quo supra scriptum exequi neglexerit, & bonorum amissionem & honoris infamiam incurrito, atque crimen hoc unicuique persequendi Jus esto publice. Em. l. 5. c. 61. Corr. l. 5. c. 68. Revis. dissentit aliqualiter, & convenit magis cum Constitutione Criminal. Caroli, in verbis: Qui hominem mortuum proprio motu & audacia effoderit, vel sepulta cadavera attractaverit, si postmodum terræ remandaverit, propter hoc delictum virgis cæsus perpetuo relegari debet. Si vero corpus illud seu cadaver in sepultum reliquerit, vel tale facinus sæpius commiserit, vel armata manu consummaverit, ille gladio ad mortem puniri debet. Revis. l. 5. part. 2. t. 16. art. 13. Si quis bonæ hactenus existimationis habitus in furto palam interdiu deprehensus fuerit, quatenus res furtiva pretium quinque aureorum Ungaricalium adæquat, virgis cæditor; quatenus excesserit, furcæ supplicium esto. Si quis in furto quod noctu perpetratum sit, deprehenditur, quatenus res valorem 5. aureorum Ungaricalium adæquat, laquei pœnæ committitur. Si in viri boni, qui vitæ sit inculpatæ, domo vel area res furtiva inveniatur, hoc illi fraudi non esto. Sin autem furtiva res deprehendatur in ejus armario, pergula, cista vel alio loco concluso, cujus ipse custodiendi causa claves gerit, furti obnoxius esto. Emend. l. 5. c. 64. Correct. l. 5. c. 29. Revis. l. 5. part. 2. tit. 16. art. 2. Quicunque veneficiis & præstigiis operam dederint adhibuerintque, flammis exuruntor. Quicunque ejusmodi maleficiorum conscii fuerint, eaque celaverint, vel opem vel auxilium addiderint, quod vel confesso vel testato constet, capite

erutorum cadaverum mortuorum.

46. Alia dispositio Juris Revisi.

47. Æstimatio furti.

48 Æstimatio veneficii.

capite amputantur. Emend. l. 5. c. 61. Correct. l. 5. c. 67. Revis. l. 5. p. 2. t. 2. tametsi tum Jus Emend. l. 5. c. 70. seqq. ut & Corr. l. 5. c. 37. seqq. processum rapinæ attingat, & de pœna nihil prorsus commemoret, interim tamen Jus Revis. l. 5. part. 2. t. 17. art. 5. raptorem gladio dignum judicat. Reliqua delictorum genera invenies suo loco prolixius, jam pertractabimus quod æstimatur civiliter. Consules potestatem habent curandi & judicandi omnis generis annonam, utpota panem, cerevisiam, carnem, pisces & alias annonæ species, ut justo pretio præbeantur, neve cives seu homines innopes defraudentur. Consules etiam potestatem habent judicandi cujuscunque modi fraudem in mensuris, modiis, libris seu stateris & ulnis commissam: nec non mercium omnis generis falsitatem & malitiam vendicandi. Si quis in quamvis merce fraudem fecisse convictus fuerit, is secundum uniuscujusque loci plebisscitum ac perpetuam consuetudinem puniatur. Emend. l. 1. c. 6. Corr. l. 1. c. 6. Revis. l. 1. t. 2. art. 10. Qui venalem annonam exercent, si fraudaverint vel oneraverint eandem, aut virgis cæduntur, aut a Senatu pro personarum qualitate, proque delicti modo mulctantur: Utramvis pœnam eligere malint arbitrium Senatus esto. Fraudem is etiam fecisse dicitur, qui pluris annonam vendit, quam a Consulibus constitutum est. Emend. l. 1. c. 7. Correct. l. 1. c. 9. Cujuscunque generis modii vel statæ mensuræ sint, quæ in molendinis ad Civitatis Jurisdictionem pertinentibus usurpantur in eos easve plebisscitum extenditur, ex cujus præscripto Consules definiunto, si qua fraus & iniquitas modio vel mensura committitur. Em. l. 1. c. 8. Corr. l. 1. c. 10. In tota regione Borussica uniforme Culmense pondus, modii, tonnæ, ulnæ & reliquæ omnimodæ mensuræ & pondera debent esse; & qui contra egerit, tanquam falsarius plectendus venit. Revis. l. 1. t. 9. art. 1. de omnibus speciebus damnorum, earumque æstimatione, vid. infra sub suo titulo.

Margin notes:

49. Æstimatio rapinæ.

50. Æstimatio annonæ.

51. Æstimatio fraudis in vendenda annona commissæ.

52 Æstimatio modiorum.

53 Æstimatio iniqui ponderis, modii, tonnæ, ulnæ & mensuræ.

AFFIR-

AFFIRMATIVA.

AFfirmativa Actoris eliditur per negativam Rei, Jus Terrestre Terrar. Pruss. t. 6. §. 43. quod etiam per universam Juris Culmensis Praxin obtinet, vid pl. **Probatio, Litis Contestatio. Confessio,**

AGER.

QUi in agro frumentum noctu furatus fuerit, laquei pœnam meretur, qui interdiu virgis cæditor. Si furtum frumenti valorem quinque marcarum excesserit, furcæ supplicium esto. Qui iter faciat, si equo frumentum vel spicas pascendi causa proponat, nec secum avehat, damnum æstimatum rependito. Sed si cujus equus lassitudinem itineris contraxerit, liberum est illi frumentum defalcare & equum pascere, quatenus uno pede stans in via publica aristas manu comprehendere poterit, nullum autem Jus est avenam secum avehendi, vel in compendium suum usurpandi. Emend. l. 5. c. 65. Correct. l. 5. c. 26. Revis. l. 5. p. 2. t. 16. art. 9. Qui pecudem suam in alterius agrum vel pratum depascendi causa immiserit, damnum æstimatum præstato, prout Jure constitutum vel moribus receptum est. Sin Dominus pecudis præsens non sit cum noxam committit, & pecus pignori capiatur, quatenus damnum in continenti planum fiat, civium seu paganorum instituto, Dominus æstimationem damni restituito. Si pecus ejus sit conditionis, ut pignori capi vel includi nequeat, puta equi pavidi, seu feri, anseres vel sues, is qui damnum patitur, arbitros duos adhibeto, illis in repræsenti damnum demonstrato, mox pecudem abeuntem in domicilium suum prosequitor, & Dominum pecudis ob pauperiem factam in Jus vocato, atque is æque damni æstimationem præstato, ac si pecudi pignoris causa manus injecta fuisset. Si pecus ejus sit naturæ vel conditionis, ut facile capi includive possit, puta boves, vac-

1. Qui frumentum ex agro furatur.

2. Qui pecudem in alterius agrum immittit.

cas, vitulos, oves, hasce pecudes is, cui damnum est datum, in proximum civitatis vel pagi Judicium abigito, ejusdem Judicii arbitrio damnum in præsenti inspicitor & æstimator. Quanti æstimatum fuerit, tanti dominus, cujus pecudes noxam dederunt, intra diem 14. sarcire damnatus esto. Si quis pecudem ultra terminos in agro compascuo definitos immiserit, mulcta 2. soldiorum esto. Qui agrum non exaratum neque satum permeaverit, nisi pratum sit pascendi causa septum, noxam non committit. Emend. l. 5. c. 81. Correct. l. 5. c. 24. Revis. l. 5. part. 2. t. 19. art. 7.

3. Nemo in alterius fundo pecudem suam pascito.

Nemo pecudem suam in alieno fundo sine ejus scitu consensuque temere pascito vel circum agito, qui secus fecerit, toties quoties fecerit, in unumquodque pecoris caput duobus solidis, vel secundum cujuscunque loci consvetudinem Domino fundi æstimatum præstato.

4. Quando in alterius agro pascere liceat

Hoc interdictum temporale est a die D. Gregorii usque ad diem D. Martini profertur, extra quod tempus unicuique liberum est, animal agere qua volet, modo ne in sementem vel agrum satum pecudem immittat. Emend. l. 5. c. 82. Correct. l. 5. c. 23. Revis. l. 5. p. 2. t. 19. art. 8.

5. Quod in alterius solo structum, satum aut plantatum est, cedit solo.

Si quis in alieno solo ædificium faciat, vel serat, vel arbores plantet, quicquid ædificatum, satum vel plantatum erit ad soli Dominum pertinebit. Emend. l. 3. c. 3. Correct. l. 5. c. 70. Revis. l. 3. t. 1. art. 3. plura vid. **Allodium, Feudum.**

policzek. ALAPA. vid. Injuria, krzywda

ALEA, nienadezyty.

1. Omnes ludi pecuniarii interdicuntur.

OMnes omnino ludi, quorum effectus injuria est, quibus de pecunia perperam certatur, in omnibus tabernis, ubi vinum, mulsum, cerevisia & vinum propinantur, & in universum ubique locis omnibus interdicti sunto. Nullus Judex ob eam rem, quæ in aleam lusa dicetur Jus dicito.

Magi-

Magiſtratus quarumcunque Civitatum, plebisſcito legeque cavento, quo ludi injurii coerceantur, neque quis illorum illecebris in fraudem ſeu necem inducatur, atque injuriarum, rixarum & reliquum, quæ ex ludentium malignitate ſolent exoriri cauſæ penitus præcidantur. Quisquis hoſpes, caupo vel tabernarius domi ſuæ ludere permiſerit, tam ipſe quam luſores, Magiſtratui mulctam plebisſcito dictam, toties, quoties luſum fuerit, committunto, ſolvuntoque. Emend. l. 5. c. 86. Correct. l. 3. c. 65. Reviſ. l. 5. p. 2. t. 22. art. 1. Convenit quis aliquem ob rem vel pecuniam ex ludo interdicto debitam, convento nullo neceſſitas Jure proponitur ad litem reſpondendi. Emend. l. 5. c. 87. Correct. l. 3. c. 64. Reviſ. l. 5. p. 2. t. 22. art. 2. Si qui ſponſionibus contendunt, cauſa publici curſus, vel ob alias pactiones licitas & honeſtas, ejus generis cauſæ vetiti luſus numero non cenſentur, ſed Judicis & Scabinorum legitimam cognitionem admittunt. Emend. l. 5. c. 88. Si filius rem vel pecuniam Patris ludo prodegerit, Pater id, quod filius prodegit, recte vindicabit. Si autem filius poſt 21. pubertatis annum rem propriam, vel peculiarem ludo, vel alio more improbato, prodiderit, ſui ipſius id detrimentum eſto. Emend. l. 5. c. 89. Reviſ. l. 5. p. 2. t. 22. art. 3. Si ſervus rem vel pecuniam ludo perdiderit, vel pignori dederit, vel vendiderit, Dominus rem ſuam a quovis in poſſeſſionem ſuam recte petet, & Juris ordine revocabit. Si rem propriam ſervus ludo perdiderit, pignori dederit, vendiderit, vel quovis alio modo ſciens volensque amiſerit, nulla Domino competit actio vel vindicatio: quippe ſervi res procurare vel luere non tenetur. Ac etiam ſi Dominus ſervo promiſiſſet, ſe indemnem illum a quovis detrimento præſtiturum, in his tamen facti ſpeciebus actionem Domino competere, nulla ratio permittit. Si autem ſervo dum in miniſterio Domini converſatur, equus vel res alia, præter ipſius culpam a furibus vel raptoribus auferatur, non inique dicemus, Dominum ſervo rem perditam præſtare debere, ac ipſi viciſſim in eam rem actionem competere adverſus eos, quibus ideo controverſiam

2. Ex ludo non datur actio.

3. Honeſti ludi conceduntur.

4. Si filius rem Patris ludo perdiderit.

5. De ludo ſervorum.

facere volet. Emend. l. 5. c. 90. Correct. l. 5. c. 66. Revis. l. 5. p. 2. t. 22. art. 4.

ALIMENTA. Żywnośc

1. De conditione alimentorum.

SI quis conveniatur ob alimenta seu cibaria sibi præstita, de quibus hospiti nondum satisfecerit, magis est, ut iis qui esculenta poculentave præbuit, conscientiæ suæ religione debitum comprobet, quam ut is qui alitus est, possit inficiari. Si is jusjurandum dederit, ea alimentorum causa est, ut post interstitium noctis debitum hospiti sit exsolvendum. Emend. l. 4. c. 42. Corr. l. 3. c. 69. Revis. l. 3. c. t. 6. art. 4.

2. Quomodo debitor mancipatus sit alendus.

Qui ob debitum in Jus vocatur, neque debitum negat, siquidem fundos & possessiones habet in facultatibus, quæ majoris pretii sunt, quam quod ab eo petitur, sat illi cautionis erit, qua ad proximum usque Judicii diem satis dare possit. Sin possessiones nullas habeat, fidejussores dare cogitur. Si dare nequeat creditori, qui ejus loci civis est, ibique domicilium constitutum habet, in manum traditur. Is mancipatum nec calore nimio, nec frigore torqueat, alimenta, quæ esui potuique sunt, subministret, operas imponat, itidem uti cæteris servis domesticis. Si vero creditor extraneus est, debitorem mancipatum in eodem foro in domo vel custodia Judicis, ubi solent homines custodiri, ea cautione relinquat, ne captivus profugiat, quin imo si volet, nervo vincire potest, alitor autem corpus minime torqueat, cibaria æque ut famulis domesticis suppeditet, nec enim fur vel furis socius, vel ejus generis maleficus censendus est. Hac tamen lege cujusvis loci consvetudine non derogabitur. Em. l. 4. c. 54. Corr. l. 3. c. 109. Revis. l. 2. t. 23. art. 6. Parentes debent liberis suis præstare alimenta. Rev. l. 3. t. 11. art. 3.

ALLODIUM. wolne dobra.

DE Allodio in Privilegio Culmensi ab antiquis Crucigeris Anno 1251. concesso, sequentem in modum dicitur, §. 6.

1. De possessorio in allodio.

§. 6. statuimus, ut si qua forte quæstio contra aliquem de bonis suis orta fuerit, si possessor vicinos ac alios conterraneos suos, quibus notum fuerit, rem taliter se habere, & testimonium justæ possessionis habuerit, potius debeat obtinere bona illa, quam is qui eum impetit, ab ipso eadem bona alienet. Absolvimus autem prædictos Cives ab omnibus collectis injustis & hospitationibus coactivis, aliisque exactionibus indebitis, ad omnia bona eis attinentia hanc gratiam extendentes. Porro eisdem Civibus Nostris vendimus bona sua, quæ a Domo nostra habere noscuntur, ad hæreditatem Flammingicalem, ipsis & eorum hæredibus utriusque sexus, ea cum omnibus proventibus in perpetuum libere possidenda, salvis tamen his, quæ Domui Nostræ per totam terram duximus retinenda. Retinemus enim Domui Nostræ in bonis eorum omnes lacus, castores, venas salis, auri argentique fodinas, & omne genus metalli præter ferrum, ita ut tamen inventor auri, sive is, in cujus bonis inventum fuerit, Jus Fribergense in hujusmodi inventione perpetualiter obtinebit. Quod si lacus aliquis ad tres tractus sufficiens, agris alicujus prædictorum Civium adjunctus fuerit, si is, cujus agri sunt, eundem lacum loco agrorum acceptare voluerit, in sua ponimus optione. Si vero major fuerit, quocunque instrumento in eo piscari voluerit, ad commodum duntaxat mensæ suæ, præter rete, quod Newod dicitur, habeat liberam facultatem. Item, si rivus aliquis agros alicujus Civis attigerit, ei, cujus agri fuerint, solummodo molendinum ædificare liceat in eodem: Si vero idem fluvius aptus fuerit pluribus molendinis, Domus Nostra in construendis eisdem aliis tertiam partem priorem sumptuum faciat, & percipiat perpetualiter tertiam partem usuum de constructis. Volumus etiam, ut de qualibet fera, quam ipsi vel eorum homines ceperint, exceptis ursis, porcis, capreolis, armum dextrum Domui Nostræ reddere teneatur. Sane quod de lacubus, molendinis, seu feris posuimus, ad illos duntaxat Cives extendimus, qui a Domo nostra, sicut supra dictum est, hæreditati esse noscuntur. Ipsis etiam hanc contulimus liberta-

2. Vasalli terræ Culmensis absoluti sunt a collectis injustis & hospitationibus coactivis.

3. Possident sua feuda Jure hereditario Flammingicali.

4. Reservata Dominorum in allodiis.

5. Quibus

allodia vendi possint, & quomodo. tem, ut bona sua, quæ a Domo Nostra possident, vendendi talibus sane, qui terræ ac Domui Nostræ bene competunt, habeant facultatem, ita ut hi, qui ea emerint, de manu Fratrum suscipiant, & Domui nostræ ad idem Jus, idemque servitium teneantur, quod illi nobis exinde facere debuerunt, & nos ea ipsis porrigere sine ulla difficultate debemus. Licentiamus etiam, si forte aliquis ante dictorum Civium necessitatis causa allodium suum vel 10. mansos ad majus, ab aliis bonis suis separare voluerit & vendere separatim, is idem Jus idemque servitium Domui nostræ debebit facere de reliquo, quod prius de toto noscitur debuisse. Is vero, qui idem allodium, vel 10. mansos emerit, debet ratione ejusdem allodii, cum armatura, quæ Plata vulgariter dicitur, & aliis levibus armis & uno equo, ad arma talia competente, Domui Nostræ ad tale obsequium esse adstrictus, quale inferius plenius describetur, addentes, ut nullus eorum, qui nunc a Domo nostra hæreditati esse noscuntur, hæreditatem aliquam possit emere præter unam.

6. Servitia feudalia tempore belli. Statuimus siquidem, ut quicunque 40. mansos vel amplius a Domo Nostra emerit, is cum plenis armis & dextrario operto, & armis talibus competente, & aliis duobus ad minus equitet. Qui vero pauciores mansos habuerit cum Plata & aliis levioribus armis, & uno equo, ad arma talia competente, debet cum Fratribus nostris in expeditionem, quoties ab eis requisitus fuerit, pergere contra Pruthenos, qui Pomezani largo vocabulo nuncupantur, & contra omnes terræ Culmensis turbatores. Cum vero præfati Pomezani in terra Culmensi, præstante Domino, fuerint ulterius merito non timendi, omnes Cives prædicti ab omnibus expeditionibus sunt exempti; ad defensionem tamen terræ, videlicet usque ad Wislam, Ozzam & Driwanzam cum Fratribus procedere tenebuntur, ut prædictum est contra terræ quoslibet invasores.

7. Recognitio dominii. Item statuimus, ut quilibet homo hæreditatem a Domo Nostra habens, Fratribus Nostris solvat exinde unum nummum Coloniensem, vel pro eo quinque Culmenses, & pondus duarum marcarum ceræ, in recognitionem dominii, & in signum, quod eadem

bona

bona sua habeat a Domo Nostra, & Nostræ debeat Jurisdictioni subesse, & Nos eum favorabiliter confovendo contra eos, qui sibi injuriam intulerint, debemus, in quantum possumus, Nostrum præsidium impartiri. Prædictum autem censum singulis annis in die beati Martini vel ab ipso ad 15. dies dare debent. Quicunque autem in prædicto termino non dederit censum suum taliter puniatur: post primos 15. dies in 10. solidis; elapsis vero aliis 15. nisi persolverit 10. solidorum debito sit adstrictus; item evolutis aliis 15. diebus tertio in aliis 10. solidis, si non solverit censum suum, puniatur, & nunc pro his 30. solidis, & pro censu suo tempore non soluto, ejus pignora, sine omni contradictone accipi faciet, & habebit accepta donec ei satisfaciat, Domus Nostra. Item si forte aliquis debitum obsequium suum, quod Domui Nostræ debere dignoscitur, in expeditionibus peragendis non impenderit, & absens fuerit, Provisor terræ de bonis absentis alium statuat loco sui, sic ut Domus Nostra sui Juris in hac parte sentiat nullatenus detrimentum. Item statuimus, ut si forte aliquis ex supra dictis Civibus recedens a terra pactiones suas Domui Nostræ non fuerit prosecutus, eidem infra 18. septimanas tres termini cum sententia præfigantur; quod si infra easdem 18. septimanas non satisfecerit, pœnæ 30. solidorum Nostræ Domui reddendorum, subjacebit. Et si nec nunc emendaverit, singulis sex septimanis ad satisfactionem in totidem Culmensis monetæ solidis compellatur. Si vero infra annum neglexerit emendare, Domus Nostra se de omnibus bonis suis, donec satisfaciat ei de omnibus, intromittat. Volumus autem ut de bonis prædictorum Civium de quolibet aratro Thetonicali unus modius tritici & unus siliginis in mensura Wladislaviensi quæ vulgari nomine, Scheffel, dicitur, cui mensura, Culmensis est adæquata, & de Polonicali aratro, quod, Hake, dicitur, unus modius tritici, in eadem mensura annuatim Diœcesis Episcopo pro decimis solvantur. Si vero idem Episcopus prædictos homines pro aliis decimis angariaverit, pro his Domus Nostra tenebitur respondere. Item statuimus, ut una moneta, Culmensis vide-

8. Quando, & quomodo census debeat solvi.

9. Servitium non præstitum.

10. Census aratrales, seu decimæ.

11. Moneta.

videlicet, ſit per totam terram, & ut de puro & mundo argento denarii fabricentur, ipſi quoque denarii in tanto valore perpetualiter perſeverent, ut eorum 60. Solidi ponderent unam marcam, & dicta moneta non niſi ſemel in ſingulis decenniis renovetur, & quoties renovata fuerit 12. novi nummi pro 14. veteribus cambientur, ut unusquisque libere emat quamcunque rem, quæ venalis in foro portari conſvevit. Item quantitatem manſorum juxta morem Flammingicalem ſtatuimus obſervari. Abſolvimus etiam totam terram prædictam ab omni penitus telonei exactione &c. l. c. reliqua, quæ Jure de Allodiis ſtatuuntur, vid. ſub verb. **Fundus, Feudum.**

ALIENATIO. odalenie.

POteſt alienare qui vel quod non eſt prohibitum. Prohibetur autem alienatio certarum perſonarum, certarumque rerum. Sic mulier absque mariti conſenſu & voluntate res ſuas, ſive ſint in reditibus, ſive poſſeſſionibus, ſive rebus mobilibus, donare non poteſt. Quod ideo conſtitutum eſt, quia uxoris tutor eſt maritus. Virgines & Mulieres, quæ ſunt extra matrimonium, res quidem ſuas alienant ſine tutorum conſenſu, ſcilicet cum in tutelam ſuam pervenerint; hæredes autem earum alienationi contradicere poſſunt, uti Jure conſtitutum eſt. Emend. l. 3. c. 21. Corr. l. 4. c. 8. it. l. 5. c. 56. Reviſ. l. 3. t. 3. art. 3. Mulier vero quæ non eſt nupta, poteſt ſua bona, quæ ſuo labore acquiſivit, emit, aut ei donata ſunt, coram Judice & Scabinis in Judicio bannito ejus loci, in quo iſta bona ſita ſunt, donare & pro lubitu alienare, Judex vero ex officio eidem aſſiſtentem debet conſtituere, qui pro ea proponat & verba faciat, qui hoc caſu tanquam ejus Curator cenſetur. Corr. l. 4. c. 21. Tutores res pupillorum ſuorum immobiles, poſſeſſiones, ſeu fundos, ſine conſenſu Magiſtratus ne vendunto neve alienanto. Em. l. 3. c. 55. Corr. l. 4. c. 13. Reviſ. l. 4. t. 14. art. 8. Liberi pater-

1. Mulier ſine conſenſu mariti non alienat.

2. Virgo & vidua alienat.

3. Mulier non nupta bene donat.

4. Tutores pupillorum fundos haud alienant.

paternam vel maternam hæreditatem inter ſe dividere poſ- 5. Alienatio portionis hæreditariæ.
ſunt, ſed nullus illorum ſeparatim portionem ſuam hæreditariam donare vel alienare poteſt, absque conſenſu cæterorum. Em. l. 3. c. 23. Rev. l. 3. t. 10. arr. 13. Corr. l. 4. c. 6. Mulier ſi marito malis moribus dedito nupſerit, qui facultates ejus, quas Parentes ſeu cognati luculentas in dotem ſuam dederunt, nequiter prodigat, ludo, alea vel ejus generis alienandi modis illicitis, quibus & ſuas & uxoris fortunas evertere properat, mulier eam profundendi licentiam Juris manifeſto remedio detrectare poteſt: nimirum Judicem ſuum adeat, ſibique tutorem optet, qui cauſam ejus agat. Quod ſi certis indiciis Judici planum facere poterit maritum improbato more converſari, ſic ut ex ejus luxuria periculum, ſi fortunarum ſuarum immineat, affirmare oſtenderit, rit Judex tutorem quem petivit ipſa, confirmato. Is tutor cum muliere ad poſſeſſiones bonorum pergito, eaque adminiſtrato. Si quis eam ob rem mulieri vim vel injuriam fecerit, ruptæ pacis publicæ notam incurrito. Mulier autem bona, quæ matrimonii cauſa viro contulit, vel dotis nomine tradidit, occupato, & in rem ſuam adminiſtrato. Eodem utimur Jure, ſi eveniat, ut quiſpiam in transmarinis regionibus, quin imo alibi, vel extra vel intra Pruſſiam æs alienum clam contraxerit, ac interim filiam honeſti viri in matrimonium duxerit, cum Patri & Cognatis de ejus ære alieno, quo nexus erat, non conſtitiſſet, tum non debita mariti, quæ ante ſponſalia contraxit, ex bonis vel dote mulieris minime exſolvuntor, ſed integrum eſt mulieri, res ſuas dotemque ſuam tueri ac uſucapere, quandoquidem mariti fortunæ tum particeps non fuit, ſed iniquis utique modis in fraudem illecta ſatis aperte videatur. Cæterum omne æs alienum, quod conſtante matrimonio per virum & mulierem contractum eſt, ſive mercimoniis exercendis, ſive alia quapiam cauſa ſuggerente, quandoquidem Jure Flammingenſi hæreditario, Maritus & Uxor in communione bonorum omnium, pari lucro parique damno conſtituti ſunt, ex utriusque patrimonio integro, ſine ulla prærogativa dotis vel alterius

6. Si maritus uxoris bona nequiter prodigat.

cujusvis beneficii, Jure communi ſcripto mulieribus indulti, ut diſſolvatur & expenſatur, jam pridem moribus eſt conſtitutum. Emend. l. 3. c. 62. Correct. l. 5. c. 58. Reviſ. l. 4. t. 14. art. 14. Cum mulier prodiga, vel quæ ſuæ mentis non ſit, quatenus talem eam publice eſſe conſtet, absque mariti ſcitu conſenſuve mutuam pecuniam accipit, maritus eo debito non tenetur, nec ejus illud damno contrahitur. Si quid autem ad ipſum pervenit, vel adhuc apud mulierem reſidet, creditori non ſine ratione reſtituetur. Si conſumptum ſit, non autem in rem mariti, ſiquidem juratus teſtetur in rem ſuam verſum non eſſe, nullum ſuſtinebit periculum. Emend. l. 4. c. 40. Correct. l. 3. c. 102. Reviſ. l. 4. t. 15. art. 5. Si ſervus rem vel pecuniam Domini ludo perdiderit, vel pignori dederit, vel vendiderit, Dominus rem ſuam a quovis recte petet, & in poſſeſſionem ſuam Juris ordine revocabit. Si rem propriam ſervus ludo perdiderit, pignori dederit, vendiderit, vel quovis alio modo ſciens volensque amiſerit, nulla Domino competit actio vel vendicatio, quippe ſervi res procurare vel luere non tenetur. Ac etiam ſi Dominus ſervo promiſerit ſe indemnem eum a quovis detrimento præſtiturum, in his tamen facti ſpeciebus actionem Domino competere nulla ratio permittit. Sin autem ſervo, dum in miniſterio Domini conſervatur, equus vel res alia, præter ipſius culpam a furibus vel raptoribus auferatur, non inique dicemus, Dominum ſervo rem perditam præſtare debere, ac ipſi viciſſim in eam rem actionem competere adverſus eos, quibus ideo controverſiam facere volet. Emend. l. 5. c. 90. Correct. l. 5. c. 68. Reviſ. l. 5. p. 2. t. 22. art. 4. Si quis in Judicio conſtituto uxori, vel alicui, velut amico vel extraneo fundum, vel rem mobilem, poſt mortis ſuæ tempus Jure hæreditario habendam vel uſurpandam donaverit ac dederit, ea utique conditione, quod donec in vivis fuerit, ſalvo donationis Jure, nihilominus rei dominium ad ſe pertinere velit, quæſitum eſt, an poſt ejus mortem donatarius potior ſit acquirendæ rei, quam hæredes defuncti, anne ante vel poſt ejus mortem contradicere poſſint? Jure noſtro ita con-

7. Mulier prodiga.

8. De alienatione ſervorum.

9. De donationibus inter vivos & teſtamentis.

constitutum est: fundum Judiciali donatione acquisitum, & res cæteras lucrativo titulo ac labore suo partas, tam mobiles, quam immobiles, donare Judicialiter cuilibet licet, vel uxori, vel amico, vel extraneo, cui libitum fuerit, posthabita hæredum contradictione, æque in mortis causam, ac si præ manu rem donatam tradidisset. Si quis autem fundum a Parentibus profectitium & hæreditarium alii donaverit, Jus est hæredibus intra diem annuam, ex qua ad illorum notitiam pervenit, donationem retractandi, nisi legitime fuissent impediti, idque Jure probassent. Quo casu etiam post diem annuam donationem impugnare non prohibentur. Emend. l. 3. c. 12. Correct. l. 4. c. 2. & 5. Revis. l. 3. t. 8. art. 20. Unicuique liberum esto, dum in vivis agit, dumque publice conversatur, amico vel cognato cui volet, liberalitatis affectu, quin etiam extraneo referendæ, quam acceperat, quacunque causa, res mobiles & pecuniam donare tantum, quantum volet, sic ut possessionem e vestigio omittat, & in donatarium transferat. Qui vero ob adversam valetudinem decumbit, amplius donare non potest, nisi quantum semel manu brevi citra alterius adminiculum translectulum porrigere valeat, neque necessum est, ut hanc in rem proximioris hæredis consensum roget. Fundos autem & possessiones & res immobiles sine hæredum consensu donandi Jus non est, præterquam eas, quæ non a Parentibus sunt profectitiæ, sed ex rudi fundo, & donatoris negotiatione, labore vel simili titulo comparatæ sint. Has enim etiam nolentibus heredibus donare licet, sic ut coram Domino superiori, vel in Judicio constituto, præsentibus Judice & Scabinis, donatio peragatur. Hæc donatio etiam sub conditione fieri, & in tempus mortis conferri potest, ut donator rem donatam cum omni fructu, quoad inter homines erit, possideat, & donatario post mortem demum donantur, nisi inter vivos donationem revocaverit, pleno Jure relinquat ac cedat. Quicquid vero vel inter vivos, vel infirmitatis tempore sine hæredum consensu donare poterit, idem accipiendum est etiam in testamento vel ultima voluntate posse donari, legari, post testatoris mortem donatario vel

10. De donationibus in Jure factis.

legatario accipiendi habendiquæ; salvo nihilominus & illæso cujusvis Civitatis & loci more plebiscitove. Emend l. 3. c. 13. Correct. l. 4. c. 2. Revis. l. 3. t. 3. art. 2.

11 De donationibus absq; conditione factis.

Si quis in Jure constituto, Scabinis præsentibus, rem suam cujus administrandæ erat idoneus, alteri post mortem donatoris habendam, sine quavis conditione pure donaverit tradideritque, sic ut in ea nullum sibi Jus inter vivos excipiat, rem eam neque mutare neque alienare poterit, quoniam absque conditione a sese abdixerat post mortem. Emend. l. 3. c. 14. Correct. l. 4. c. 12.

12. De alienatione fundi in præceptionem donati.

Si Pater in Jure constituto prædium suo uni filiorum præ cæteris liberis habendum, suoque Marte dispensandum, absque aliqua conditione dederit tradideritque, ac deinde Pater vendiderit prædium, quod speciatim filio possidendum adsignaverit, & nummos inde comparatos in rem suam converterit, quatenus filius intra diem & annum alienationi ejus prædii in stato Judicio non contradixerit, licet Pater postea prædium illud emerit rursum, deinde diem obierit, filius tamen præ cæteris liberis nullum speciale Jus nec in eam pecuniam, qua prædium vendiderat, nec in ipsum prædium denuo emptum prætendere poterit, sed in universam Patris hæreditatem cum cæteris eodem Jure æquis portionibus succedet. Emend. l. 3. c. 20. Correct. l. 4. c. 19. Revis. l. 3. t. 3. art. 6. plura vid. d. Testamentis & Donatione. Absoluta breviter materia de alienatione per donationem & testamentum, progrediemur & videbimus aliquot singulares casus alterius speciei alienationis, & tandem notabimus remedia aliqua, quomodo iniquis alienationibus occurri possit:

13. De Jure protimiseos, seu retractus.

Si quis vendat fundum, possessiones, ædes, prædium, censum hæreditarium, vel quam aliam rem, quæ immobilium appellatione venit, quamque ipsemet, vel per successionem, vel per emptionem, vel alio quovis titulo acquisivit, proximo consangvineo utriusque sexus potestas esto, intra diem annuam, ab eo tempore computandam, qua traditio & adscriptio judicialiter celebrata fuit, jure protimiseos seu retractus, emptorem amovendi, ea lege & conditione, ut proximam sangvinis conjunctionem, nisi de ea publice

constet,

constet, in Jure planum faciat, & retractum tanta pecuniæ quantam emptor dederat, præsentibus nummis evincat, quo facto emptor proximo consangvineo fundum emptum cedere & restituere compellitur. Cum emptor intra diem annuam in fundum emptum, necessarias, probabiles & utiles impensas fecit, neque consangvineus, cui retractandi Jus erat, novum opus illi Judicis auctoritate nunciavit, si is deinde fundum in familiam revocare volet, emptori tam emptæ rei pretium, quam sumptus in eam factas, arbitrio boni viri, restituito. Si venditor dolo malo majus pretium in Judicio dixerit, quam quanto fundus venditus fuit, scilicet ut eo magis consangvineum a retractu absterreret, quatenus is fidem illi habere noluerit, venditor de conscientia sua cum Jurisjurandi religione pretium verum nuncupato. Nam qui Jure propioris conjunctionis venditionem retractare cupit, non in amplius pretium, quam quo fundus vere venditus fuit, refundendum obligatur. Emend. l. 4. c. 19. Revis. t. 6. art. 1. Vid. plura Protimiseos Jus. Si quis domum vel prædium nullo æris alieni nexu illigatum vendiderit, & in Judicio tradiderit; Creditoribus ejus Jus non est emptorem impediendi, nisi venditor, antequam fundum in Jure traderet, debiti solutionem illis spopondisset, eamque in rem fundos & possessiones suas obligasset. Hoc nam casu licet creditoribus æris alieni nomine fundum vendicare & traditionem intra diem annuam retractare. Emend. l. 4. c. 17. Correct. l. 4. c. 43. Revis. l. 4. t. 5. art. 17. De rerum vendicatione vid. infra item Retractus. Jam erit operæ pretium de rebus mere alienis seu nullius ventilare.

14. An Creditores venditionem bonorum debitoris recte impediant?

ALIENÆ RES, Cudze rzeczy.

SI quis intra suos parietes vel in solo suo pretiosi quidpiam invenerit, hoc ipsius proprium esto. Sin alius invenerit, cui quærendi negotium datum non erat, inventionis pretium scilicet thesauri quadrantem illi solvito, dodrantem sibi retineto. Sin autem quærendi negotium alicui commiseris, mercedem sol-

1. De thesauro in proprio aut alieno fundo invento.

ſolvito quam pepigeris, ſi nihil certi pepigeris, tantum, quantum voles dato, nec amplius ille petito. Si quis theſaurum invenerit in alieno ſolo, ad ſoli Dominum theſaurus pertinebit, inventor quadrantem accipiet. Hoc enim inventionis eſt pretium Jure noſtro conſtitutum. Emend. l. 3. c. 1. Correct. l. 5. c. 44. Reviſ. l. 3. t. 1. art. 1. Si quis in via publica rem vel pecuniam invenerit, humi defoſſam, ad territorii Magiſtratum ea pertinebit, inventori quadrantem adſcribemus. Si quis rem in via publica ſupra terram invenerit, eam Presbytero vel Judici, qui in proximis eſt, exhibeto, & hiſce verbis in ſequeſtrum deponito: Commendo vobis rem iſtam, in fide atque religione animi veſtri. Quo facto Presbyter ſingulis diebus, quibus concionem habet, publice denunciabit, rem talem in via publica eſſe inventum. Ubi deinde quis venerit, qui rem ad ſe pertinere dicat, idque probet, illi reſtituatur. Judex autem, cui res illa commendata fuit, eam toties, quoties pro Tribunali ſedet, proclamabit. Si quis poſtea teſtibus idoneis ſuum eſſe probaverit, vel certa rei ſigna dixerit, illi reſtituatur. Oportet autem ut rem nominatim exprimat, & ſuam eſſe juret. Si peregrinus eſt homo & ignotus, qui rem amiſit, Juris ordine probet, vel uti dictum eſt, juret, rem ejus eſſe propriam. Si quis rem alienam perdiderit, eodem modo recuperabit. Si intra triennium rem amiſſam nemo repetat, res in duas portiones æqualiter dividitor, quarum altera Judicio Civili, altera Eccleſiæ accreſcat. Inventori quoque & Presbytero qui publice denunciavit aliquid dari æquum quidem eſt, verum Judicis & Eccleſiæ conſiſtit arbitrio. Emend. l. 3. c. 2. Corr. l. 5. c. 45. Reviſ. addendo ſic diſponit, ut inventor, quando rem occulerit & non denunciaverit debite vel Judici vel Presbytero extradiderit, carcere puniendus ſit. l. 3. t. 1. art. 2.

2. De rebus in via publica inventis.

Si quis in alieno ſolo ædificium faciat, vel ſerat, vel arbores plantet, quicquid ædificatum, ſatum vel plantatum erit, ad ſoli Dominum pertinebit. Emend. l. 3. c. 3. Correct. l. 5. c. 70. Reviſ. l. 3. t. 1. art. 3. Si quis ex alienis tabulis navem vel quid aliud fabricaverit, corpus ex iis tabulis confectum ejus eſt, cujus erant tabulæ, niſi alter Juramento ſuo comprobaverit

3. In alieno ſolo ædificatio, ſatum & plantatio.

4. De nave ex alienis tabulis compacta.

probaverit, non secus sibi conscium fuisse, quam quod suæ essent tabulæ, ideoq; se per inscitiam ex aliena materia speciem fecisse. Si ita juraverit, tabularum pretium Domino restituet, vel alioquin illi satisfaciet, vel alias saltem tabulas illarum loco reponet. Emend. l. 3. c. 4. Correct. l. 5. c. 71. Revis. l. 3. t. 1. art. 4. Si quis ex alieno serico, lana vel lini stupa pannum, vel aliud quidpiam contexerit, quod confectum est, ad eum pertinet, qui materiæ dominus fuerat, sic utiq; cum ille non nesciret alienam se materiam operari. Sin autem suam esse putavit, atque insciens opus confecit, materiæ dominus mercedem illi solvito, & victum pro operatione præbeto. Si mercedem dare nolit, vel dicat malle se materiam habere, quam speciem ex ea factam, eoque colore illum mercede frustrari contendat, Jus erit illi, qui opus fecit probare, quod suam esse materiam putaverit. Sic enim ei consulitur ut non laborem perdat, sed opus quanti majoris, poterit, vendat, & ejusdem generis materiam domino restituat, vel tantum saltem pecuniæ det, quanto ejus generis materiam, sericam vel lanam, vel quicquid tandem fuit, comparare possit. Si domino materia non ejusdem bonitatis visa fuerit, alter bonitatem probabit vel ipso, quo fecit opere, vel testibus qui materiam viderant, vel jurisjurandi religione. Idem Juris est in quacunque materia, quæ sine speciei detrimento restitui, vel pretio compensari potest. Emend. l. 3. c. 5. Correct. l. 5. c. 72. Revis. l. 3. t. 1. art. 5. Cum hæreditas vacat, sic ut intra diem annuam nemo petat vel adeat, ea ad potestatem Regiam devolvitur. Emend. l. 3. c. 49. Corr. l. 4. c. 55. Revis. l. 3. t. 9. art. 18.

5. De speciebus ex aliena materia factis

6. Bona caduca.

ANIMAL. Zwierzę

ANimal sic generaliter ponitur pro omni pecude & quadrupede. Si cujus canis, verres, equus, bos, vel quodcunque aliud animal hominem interfecerit, vel membro noxam intulerit, vel pecus pecudem, dominus damnum æstima-

1. Si animal vel quadrupes noxam vel pauperiem fecerit.

æſtimatum præſtabit, quatenus animal noxium in domum ſuam recepit, poſtquam primo factum reſciverit. Si vero noxium animal pro derelicto habeat, nec intra larem admittat, ne paſtum potumve præbeat, ob damnum injuria datum non tenetur, ſed is qui damnum paſſus eſt, animal ſi volet, noxa capiat. Nullum animal Judici mulctam committit, quantumcunque noxam nocuerit. Si pecus ſervo commendatum, pauperiem fecit, de damno tenetur is, cujus cuſtodiæ animal fuerat concreditum. Qui ſi profugerit & in facto recenti, equi, boves ſeu currus pignori capiantur, & damnum teſtato comprobetur, dominus damnum æſtimatum reſarcito, vel quo minus ſarciat Jure evincito, quatenus currus, equus vel animal pignori captum æſtimetur, vel rem & animal noxæ relinquito, atque ille, cui nocitum erat, ſibi retineto. Si quis equo utitur noxio, cujus pervicaciam non ignorat, cum equitandi cauſa conſcenderit denunciare debet obviis ut ſibi caveant, debet etiam quoquo modo ab hominibus inter equitandum deflectere: niſi fecerit, quodcunque damnum equus dederit, æſtimato ſolvendum ſibi ſciat, ſi teſtibus res manifeſta fiat; Si nulli teſtes interfuerint, ille qui de damno agit jurejurando litem decidat. Equus autem eodem Jure quo cætera animalia noxæ dedita, ut jam antea diximus, cenſeatur. Emend. l. 5. c. 80. Correct. lib. 5. cap. 22. Reviſ. l. 5. p. 2. t. 19. art. 4. 5. & 6.

2. Si quod animal alienam ſegetem vel pratum depaſcatur.

Qui pecudem ſuam in alterius agrum vel pratum depaſcendi cauſa immiſerit, damnum æſtimatum præſtato, prout Jure conſtitutum vel moribus receptum eſt. Sin dominus pecudis præſens non ſit, cum noxam committit, & pecus pignori capiatur, quatenus damnum incontinenti planum fiat, civium vel paganorum inſtituto, dominus æſtimationem damni reſtituito. Si pecus ejus ſit conditionis ut pignori capi ſeu includi nequeat, puta equi pavidi vel feri, anſeres vel ſues, is qui damnum patitur, arbitros duos adhibeto, illis in repræſenti damnum demonſtrato, mox pecudem abeuntem in ſuum domicilium proſequitor, & Dominum pecudis ob pauperiem factam in Jus vocato, ac is æque damni æſtimationem præſta-

præſtato, ac ſi pecudi pignoris cauſa manus injecta fuiſſet. Si pecus ejus ſit naturæ & conditionis, ut facile capi includive poſſit, puta boves, vaccas, vitulos, oves, hasce pecudes is, cui damnum eſt datum, in proximum Civitatis ſeu pagi Judicium abigito, ejusque Judicii arbitrio damnum in repræſenti inſpicitor & æſtimator, quanti æſtimatum fuerit, tanti Dominus, cujus pecudes noxam dederunt, intra diem 14. ſarcire damnatus eſto. Si quis pecudes ultra terminos in agro compaſcuo definitos immiſerit, mulcta duorum ſolidorum eſto. Qui agrum non exaratum neque ſatum permeaverit, niſi pratum ſit paſcendi cauſa ſeptum, noxam non committit. Emend. l. 5. c. 81. Correct. l. 5. c. 24. Reviſ. l. 5. p. 2. t. 19. art. 7. Nemo pecudem ſuam in alieno fundo ſine ejus ſcitu conſenſuque temere paſcito, vel circumagito, quo ſecus fecerit, toties, quoties fecerit, in unumquodque pecoris caput duobus ſolidis, vel ſecundum cujusque loci conſvetudinem, Domino fundi æſtimatum præſtato. Hoc interdictum temporale eſt, & die D. Gregorii usque ad diem D. Martini profertur, extra quod tempus unicuique liberum eſt animal agere quo volet, modo ne in ſementem vel agrum ſatum pecudem immittat. Emend. l. 5. c. 82. Correct. l. 5. c. 23. Reviſ. l. 5. p. 2. art. 8. t. 19. Nemo pecudem domi detineto, quod paſtum ſequi poteſt, exceptis Scrophis, quæ nefrendes vel porcellos ſubrumos ſeu lactantes alunt, ſed eas interim etiam ſic includito, ne quam noxam noceant. Nemo peculiarem paſtorem conducito, quo ejus qui communitatis eſt merces deterior fiat, niſi tres agri manſos ſeu proprios, ſeu clientelæ beneficio poſſideat, vel niſi domus DEO dicata ſit. His enim Jus eſt peculiarem gregibus ſuis paſtorem præficiendi. Ubi paſtoris merces in manſos conſtituta eſt, non in pecudum capita, nemo mercedem differto, ne pago paſtor deficiat. Quamcunque paſtor pecudem domo abegerit, niſi domum vel in pagum ſaltem reverſa fuerit, eam ipſe luito. Si quam pecudem lupi ſeu latrones rapuerint, & paſtor ab iisdem ſalvus evaſerit, vim autem clamore conteſtatus ſit, ejusque teſtationis auctores habeat, hoc illi

3. De paſtione pecoris in alieno fundo.

4. De pecudibus paſtori committendis.

neque periculo neque fraudi esto. Si pecus pecudem, dum in pastu sunt, mutilaverit vel proculcaverit, aut vulneraverit, & de damno isto suspectus esse pastor cœperit, pecudem, quæ noxam nocuit, demonstrato, & ab ea nocitum esse jurato, Dominus pecudis noxiæ pecudem vulneratam domi suæ curato vel pascito, quoad ipsamet pastum ire & gregem & armentum cum cæteris sequi valeat. Si pereat, interim æstimationem ejus, uti constitutum est solvito. Cum pastor in suspicionem vocatur, quasi pecudem in pagum ex pastu non reduxerit, siquidem reductum esse juret, a culpa immunis esto. Si quis autem pecudem suam reverti non animadverterit, & e vestigio pastorem adierit, ac duobus testibus præsentibus, sive viri sive mulieres sint, pecudem amissam obnuntiaverit, pastor religioni suæ ne comittitor, verum pecudem amissam luere jubetor. Si pastor neget pecudem secum in pastum exivisse, potius admittendum est, ut Dominus duorum seu virorum seu fœminarum, qui viderant pecudem exire, testimonio prævaleat, quam ut pastor diversum liquido jurare possit. Emend. l. 5. c. 83. Correct. l. 5. c. 25. Revis. l. 5. p. 2. t. 19. art. 9.

5. De locatione ovium cum emptione commixta. Emit quis centum oves, easque colono locat Domino consentiente, hac conditione ut postquam pretium in oves expositum ex lana receperit, oves cum eo in semissem partiatur, pro curæ, laboris & alimentorum impensis. Locatore itaque mortuo, quatenus dum in vivis erat, pecuniam ex ovium lana integram perceperit, oves uti conventum erat, in æqualem divisionem venient. Sin autem pecuniam integram nondum receperit, quod deest hæredibus, illud supplebitur, & iisdem semis ex ea grege facta divisione restituetur. Emend. l. 4. c. 13. Correct. l. 4. c. 25. Revis. l. 3. t. 10. art. 14.

6. De vindicatione equi. Si quis equum vindicet, quem rapina vel furto sibi ablatum prætendit, idque Juris ordine probet, is qui equum possidet, auctorem suum laudato ac nominato, & ibidem ubi equus vindicatur in Jure sistito. Si vero conventus auctorem non habeat, tam pretium quo emerat, amittito, quam equum Domino restituito. Is autem qui equum vindicat, Judici spondeto, se furem, ubi deprehensus fuerit, ad pœnam

Juris

Juris ordine protracturum. Neuter vero sumptus alteri vel damnum præstato, vel mulctam exsolvito. Sin conventus dicat se rem emisse in foro publico, nec authorem præstare potest, æque jacturam patiatur, sed nulla est in eum Judicis exercitio. Sin autem conventus opponat, equum se a teneris ungviculis aluisse domi suæ, eumque etiam nunc suum esse, quod affirmatione vicinorum suorum, quibus merito fides habeatur, comprobare possit, potius est ut hominibus idoneis idem affirmantibus equum retineat, quam ut alter eum a Jure suo repellere debeat. Si quis animal vel rem aliam perdiderit, interim dum ab eo vindicatur, pretium ejus actori solvet, Judici vero mulctam, non ejus tamen generis qua fures mulctantur. Jurabit autem vel testibus docebit, quod rem furtivam esse nesciverit. Emend. l. 4. c. 28. Correct. l. 3. c. 103. 104. 105. 106. l. 5. c. 42. Revis. l. 3. t. 5. art. 3. de Abigeis vid. supra. Si equus vel aliud animal, dum adhuc inlocati vel pignoris causa commoratur, in rerum natura esse desierit, atque is, cui locatum vel pignori datum erat, Jure testatum fecerit, animal sine culpa sua periisse, de damno non tenetur. Si quid tamen aliud inter eos pactum constitutum fuit, lex conventionis servabitur. Sin autem probetur, animal ejus culpa periisse, nihil est causæ, quo minus damnum sua culpa datum resarciat. Em. l. 4. c. 6. Revis. l. 4. c. t. 7. art. 10.

7. Si equus locatus aut pignori datus perierit.

ANNONA. Zywność

Consules potestatem habent curandi & judicandi omnis generis annonam, utputa panem, cerevisiam, carnem, piscem & alias annonæ species, ut justo pretio præbeantur, neve cives vel homines inopes defraudentur. Consules etiam potestatem habent cujuscunque modi fraudem, in mensuris, modiis, libris seu stateris & ulnis commissam: nec non mercium omnis generis falsitatem & malitiam vindicandi. Si quis in quavis merce fraudem fecisse convictus fuerit, is secundum uniuscujusque loci plebiscitum ac perpetuam

1. Consules judicant annonam.

tuam consvetudinem puniatur. Emend. l. 1. c. 6. Correct. l. 1. c. 6. Revis. l. 1. t. 2. art. 10. Qui venalem annonam exercent, si fraudaverint vel oneraverint eandem, aut virgis cæduntor, aut a Senatu pro personarum qualitate, proq; delicti modo mulctantor: utramvis pœnam eligere malint, arbitrium Senatus esto. Fraudem is etiam fecisse dicitur, qui pluris annonam vendit, quam a Consulibus constitutum est. Emend. l. 1. c. 7. Correct. l. 1. c. 9.

2. Pœna commissæ fraudis in venditione annonæ.

ANNUS.

1. Annus præscriptionis immobilium.
2. Annus usucapionis mobilium.

SErvitus præscribitur quando possessor per annos 30. & annuam diem sine interpellatione interpellaverit. Em. l. 3. c. 7. Correct. l. 5. c. 11. Revis. l. 3. t. 4. art. 1. Res mobiles usucapiuntur, quas quis ultra annum & diem a præsentibus, sine Juris interpellatione, possedit, sic ut possessor sibi conscius sit, bona fide rem in ejus bonis conversari. Sin autem animus ejus sibimet ipsi sit conscius malæ fidei, titulum se tueri; eo quo nos utimur Jure, nunquam poterit usucapionis frui beneficio, quantumvis longissimo tempore possessionem usurpaverit. Si cujus sunt pecudes, ex quibus fructum percepit, fructus quoscunque præter expensas pabuli percepti, restituet. Si qua causa gravior obstiterit illi, ad quem hæreditario Jure res pertinere dicitur, quo minus inter præsentes sit, adventus ejus expectandus erit, ut rem suam vindicet. Fundos autem & res immobiles & hæreditates quas quis annos 30. nec non diem annuam sine contradictione Judiciali possidet, a possessore avocare nemo potest, si is bona fide possideat. Si autem inter absentes 30. annos & annuam diem quis possederit, & is qui possessionem retractare volet, causam absentiæ probabilem, captivitatis forsan allegaverit, eamque testibus, quibus id liquido constat comprobaverit, uti Juris auctoritate jubetur, de rebus omnibus quascunque vindicandi causam sibi putaverit, ut illi Jus administretur, legibus publicis jam pridem constitutum est. Emend. l. 3. c. 10. Jus Correctum in omnibus convenit,

3. Annus præscriptionis contra absentes.

præter circa res mobiles, quas tantum triennio uſu capi ſancit l. 5. c. 52. Reviſ. ſtatuit uti Emend. l. 3. t. 2. art. 1. Res in via publica inventa, ſi intra triennium non repetitur per proprietarium in duas portiones æqualiter dividitor, quarum altera Judicio Civili, altera Eccleſiæ accreſcat. Emend. l. 3. c. 2. Correct. l. 5. c. 45. Reviſ. l. 3. t. 1. art. 2. Si quis fundum a Parentibus profectitium & hæreditatem alii donaverit, Jus eſto hæredibus intra diem annuam, ex qua ad illorum notitiam pervenit, donationem retractandi, niſi legitime fuiſſent impediti, idque Jure probaſſent. Quo caſu etiam poſt diem annuam donationem impugnare non prohibentur. Emend. l. 3. c. 13. Correct. l. 4. c. 1. 5. Reviſ. l. 3. t. 8. art. 19. Si quis Juris ordine in Judicio conſtituto, Judice & Scabinis auctoribus, uxori ſuæ reditus annuos certæ ſummæ pecuniariæ, poſt mortem ſuam ſtato die, quoad ipſa vivat, percipiendos donaverit; quatenus deinde mulier inter homines eſſe deſierit, priusquam dies penſionis exeat, ejus anni reditus ad defuncti mariti hæredes revertuntur. Nam cum ipſa diem penſionis humanæ ſortis fato præventa non attigerit, nec ad hæredum Jus illud transmittit. Emend. l. 3. c. 18. Correct. l. 4. c. 17. Reviſ. l. 3. t. 8. art. 23. Si Pater in Jure conſtituto prædium ſuum uni filiorum præ cæteris liberis habendum, ſuoque marte diſpenſandum, absque aliqua conditione dederit tradideritque, ac deinde Pater vendiderit prædium, quod ſpeciatim filio poſſidendum adſignaverit, & nummos inde comparatos in rem ſuam converterit, quatenus filius intra diem & annum alienationi ejus prædii in ſtato die non contradixerit, licet Pater poſtea prædium illud emerit rurſum, deinde diem obierit; filius tamen præ cæteris liberis nullum ſpeciale Jus, nec in eam pecuniam, qua prædium vendiderat, nec in ipſum prædium denuo emptum prætendere poterit, ſed in univerſum Patris hæreditatem cum cæteris eodem Jure æquis portionibus ſuccedet. Emend. l. 3. c. 20. Corr. l. 4. c. 19. Reviſ. l. 3. t. 3. art. 6. Si quis vendat fundum, poſſeſſiones, ædes, prædium, cenſum hæreditarium, vel quam aliam rem, quæ immobilium appellatione

4. Quo anno res inventa Eccleſiæ & Judici accreſcat.

5. Annus interventionis.

6. Legati reditus annales.

7. Annus interventionis.

8. Annus utilis Juris retractus.

latione venit, quamque ipſemet, vel per ſucceſſionem, vel per emptionem, vel alio quovis titulo acquiſivit, proximo conſangvineo utriusque ſexus, poteſtas eſto intra diem annuam, ab eo tempore computandam, qua traditio & adſcriptio judicialiter celebrata fuit, Jure protimiſeos vel retractus emptorem amovendi. Emend. l. 4. c. 19. Reviſ. l. 4. t. 6. art. 1.

9. Annus retractus conſangvineorum.

Omnes venditiones, pignora & alienationes intra annum & diem a modernis poſſeſſoribus repeti retractarique poſſunt per conſangvineos, ſeu per debitorem ipſum. Emend. l. 4. c. 24. l. 4. c. 17. 77. 78. 82. l. 4. c. 72. Correct. l. 3. c. 83. 84. 86. 89. Reviſ. l. 4. t. 6. art. 6.

10. Bona per annum & diem vacantia.

Cum hæreditas vacat, ſic ut intra diem annuam nemo petat vel adeat, ea ad poteſtatem Regiam devolvitur. Emend. l. 3. c. 49. Correct. l. 4. c. 55. Reviſ. l. 3. t. 9. art. 18.

11. Annus majorennitatis.

Cum filius annum ætatis vigeſimum primum egreſſus eſt, alterutro parentum defuncto, ſuperſtitem alterum ad bonorum diviſionem Jure compellere poteſt. Minor qui decimum quartum annum complevit, alium, ſi volet, tutorem petere poterit. Quilibet adoleſcens qui ſuis ipſemet rebus non ſufficit, tutorem accipiat, ad ætatis annum usque vigeſimum primum &c. Emend. l. 3. c. 50. Reviſ. l. 4. t. 14. art. 5. 13.

12. Quo anno minores tutores petere poſſunt.

Puer quatuordecim & puella duodecim annorum tutores petere poſſunt, cum Magiſtratus conſenſu quem volent. Emend. l. 3. c. 52. Corr. l. 4. c. 50. Reviſ. l. 4. t. 14. art. 4. Emend. c. l. c. 58. Corr. l. 4. c. 55.

13. Qui anni a ſuſcipienda tutela excuſent.

A tutela excuſantur, qui ſeptuaginta annorum onere premuntur. Emend. l. 3. c. 57. Reviſ. l. 4. t. 14. art. 12.

APPELLATIO. apelacya

1. De forma, quomodo appellari debeat

Qui ſententiam rogatus, quid in ea cauſa Juris ſit, neſciat illi tempus proferendi Jus eſto. Multi ſunt enim, qui non ſtatim rationes expedire poſſunt, quid quaque in re Juris ſit conſtituti. Nemo proinde ſententiam ferat, ex ſuo ſaltem arbitrio vel ingenio, ſed ex Jure ſcripto, ſic ut conſcius ſibi ſit, juſtum hoc eſſe, quod promulgat, ſi dubitet, pœnæ

pœnæ Divinæ semet obstringit, quatenus sententiam ex nuda saltem opinione tulerit. Si quis prætendat sententiam male & inique adversus se dictum, eamque refutare volet, refutandi modus hic solennis esto: Ego sententiam istam redarguo, & injustam esse ajo, atque hanc in rem ad eum provoco, ad quem provocandi Jus est, scilicet ad Judicem superiorem. Deinde causam peragat, uti Jure constitutum est. Stando sententia refutatur, sedendo fertur, stando Actori præstatur æstimatio damni, quod in Judicio committitur, & stando itidem Judici mulcta luitur. Si quis secus fecerit, modica mulcta, juxta morem a Judice coercetur. Ne quis sententiæ ferendæ Jus usurpato, nisi qui in Judicum ordinem lectus est, & nisi cui Magistratus specialiter id commisit. Scabini vero prudentes leguntor, & ipsimet prudentes & non inepti sunto ad sententias ferendas & promulgandas. In quacunq; causa judicaverint, septem ad minimum numero subselliis assidento, si plures fuerint melius æquiusque esto. Emend. l. 2. c. 64. Correct. l. 5. c. 66. Revis. l. 2. t. 22. art. 2. 4.

2 Quando appellationes a Judicio Terrestri sint interponendæ.

Quisquis a Judicio Terrestri appellaverit, antequam Judicium ex loco Judicii eadem die recedat, fient indifferenter ad Conventum generalem terrarum Prussiæ, vel ad Tribunal Regni quod prius horum celebratum fuerit. Jus Terrest. Terr. Pruss. t. 6. §. 45.

3 Rex in causa terrestri non constituit Commissarios, præter in appellationibus ad suum Tribunal.

Ut temerariæ lites amputentur, Commissarios, sive Judices delegatos non deputabimus, in causis ad Judicium Terrestre spectantibus & minus in eo jam pendentibus, nisi per Appellationem ordinariam a sententia definitiva seu interlocutoria jam lata, ad Tribunal Nostrum devolutæ fuerint; exceptis causis limitum bonorum Nostrorum regalium, & divisione fratrum & proximorum.

4. Judices, a quibus semel appellatum est, non ad eandem causam cognoscendam deputantur, nec iterum ean-

Nec Judices delegatos, seu Commissarios, a quibus semel appellatum est, in eadem causa denuo deputabimus, aut causam ad ipsos remittemus. Non enim verisimile aut honestum videtur, quod Judex pristinam suam sententiam retractet, aut aliter postea judicet quam antea judicaverat. Conventus publici seu generales, juxta proximam ordinationem Nostram in Prussia quotannis bis celebrentur, verno vide-

dem causam dijudicare debent.

videlicet tempore Marienburgi ad diem St. Stanislai, tempore autem autumnali in Graudzantz, ad diem St. Michaelis. In nostro tamen arbitrio erit, cum res ita postulaverit, alium locum & tempus hujusmodi conventibus præscribere. Peculiares autem Conventus per Nos instituendi, locum & diem ex nostro arbitrio sortientur. Ad prædictos generales Conventus, omnes causæ tam ex Civitatibus, quam ex Judiciis Terrestribus per Appellationem devolvantur, & etiam sine speciali commissione Nostra judicentur. Deinde vero, & non antea, ad supremum Tribunal Nostrum remittantur, parte provocante cui ad prosequendam Appellationem a Judicibus legitimus terminus præfigatur, quam Appellationem si intra unius anni spacium non prosequeretur, prior sententia, juxta Juris communis dispositionem, in rem judicatam transeat, & executioni demandetur. Vid. Constit. Terrar. Pruss. a D. Sigismundo Rege Anno 1538. §. 6. 7. & 9. Revis. l. 2. t. 4. Ex Judiciis terrestribus Ap pellationes ordinariæ fiant ad Conventus generales Terrarum Prussiæ, a Conventibus autem generalibus ad Regium Tribunal Nostrum, donec alterutra partium tres conformes sententias obtinuerit. Ut autem frivolæ & temerariæ Appellationes non nihil cohibeantur, quisquis in Judicio Terrestri ad Conventum generalem appellaverit, tres Marcas in Judicium reponat; si vero a Conventu generali ad Nos appellatum fuerit, sex floreni per triginta grossos deponantur. Et si appellans coram Judice appellato succubuerit, in usum publicum Judicii, in quo erant reposita, cedant, alioquin parti restituantur. § 2. & 3. l. c. Jus Terr. Pruss. t. 6. § 33. 34. Qui sententiam retractavit, quam Scabinus in ejus detrimentum tulerat, & in eum cæteri Collegæ pedibus ierant; Si Jure & ordine ad superiorem Judicem appellaverit, quatenus causa cadit, & Scabini sententia comprobatur, sportulas in sponsionem refutatoriam depositas amittito. Sin autem Scabinus male pronunciasse decretum fuerit, provocatori sponsionis sportulæ restituuntur Emend. l. 2. c. 66. Correct. l. 2. c, 7. Revisum hic addit: Vi Costitutionis Regiæ coram Judi-

5. Ad generales Conventus omnes Appellationes tam Civitatum, quam Judicii Terrestris devolvunrur.

6. Quo temporis spatio appellatio sit prosequenda.

7. A Judicio Terrestti appellatur ad Conventum generalem, & a Conventu ad Tribunal Regis.

8. Wergeldum Appellationis a Judicio Terrestri & Conventu generali.

9. Mulctæ sententiæ retractatæ.

10. Supple-

Judicio Terrestri deponi debeant 3. Marcæ coram Conventu generali 6. floroni a 30. grossis propterea in Civitatibus ut 9. Marcæ deponantur Jus esse receptum. l. 2. t. 22. art. 5. Jus Terrestre t. 6. c. 1. §. 46. Privilegium Instantiarum D. Sigismundi Regis in Judiciis Terrarum Prussiæ observandum, hujus est tenoris. Sigismundus DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, ac Masoviæ &c. Dominus & Hæres: Universis & singulis, in quorum manus hæ nostræ literæ pervenerint, planum testatumque facimus, quod cum a Consiliariis, & a reliquis Ordinibus Terrarum Prussiæ, una omnium voce fuisset nobis supplicatum, ut tres tantum, non quatuor, esse vellemus Judiciorum Instantias, ita ut a secunda instantia recta ad nos, non autem ad Consiliarios Terrarum nostrarum Prussiæ fieret appellatio. Nos tantum esse in ea re omnium Ordinum consensum videntes, atque illud una considerantes, quod & Juris ordini magis congruit, & cum ipsis litigantibus, tum Consiliariis Terrar. nostrarum Prussiæ minus est onerosum futurum, quorum illi sumpta inutili, hi vero semper vacaneo labore & molestia liberabuntur, si tres tantum Judiciorum Instantiæ observentur: Judicia Civitatum & oppidorum nostrorum Prussiæ in hunc ordinem redigenda putavimus, ita ut præsentibus redigimus. Majoribus in Civitatibus Terrarum nostrarum Prussiæ apud Judicium Scabinorum primam esse volumus instantiam, a quo ad Senatum, a Senatu recta ad Tribunal nostrum Regium Appellationem fieri. In minoribus vero Civitatibus prima ut sit instantia apud Judicium Civile, a quo, si litis æstimatio non excedat pretium aut valorem quinquaginta Marcarum Pruthenicalium levis monetæ, possit fieri Appellatio ad Capitaneos & Præfectos locorum, & ibi fiat secunda instantia, a quibus, cui visum erit, liceat appellare ad Tribunal nostrum Regium. Ubi vero valorem quinquaginta marcarum excesserit, fiat Appellatio a Judicio Civili ad Consiliarios Terrarum Prussiæ nostrarum, & apud eos secunda tunc sit instantia, a quibus recte ad Regium Tribunal nostrum appelletur. Quod autem attinet ad Judicia Terrestria

mentum Juris Revisi.

11. Privilegium instantiarum.

12. Instantiæ minorum & majorum Civitatum.

restria, maneat & servetur per omnia, ut est in Constitutionibus expressum. Hunc nos appellationum ordinem inviolate ab omnibus in majoribus & minoribus Civitatibus Terrarum nostrarum Prussiæ volumus observari, & mandamus, tertiam instantiam apud nos & non alibi esse debere, præsentibus decernentes. Harum, quibus Sigillum nostrum est appressum, testimonio literarum. Datum Cracoviæ, feria quarta in vigilia St. Matthæi Apostoli & Evangelistæ, Anno Domini millesimo, quingentesimo, quadragesimo secundo, Regni vero nostri Anno trigesimo sexto. Sigismundus Rex. quod idem innuit Revis. l. 2. t. 22. art. 6. Sententiam quilibet revocare potest, quatenus Juris notio sit, nec in eam rem municipali decreto pœna constituta sit. Emend. l. 2. c. 65. Correct. l. 2. c. 6. Revis. l. 2. t. 22. art. 1. Quicunque se coram Judicio in conveniendo & respondendo intromiserit, is nullo remedio Appellationis uti potest, neq; provocare, antequam sententia publicetur & pronuncietur, nec utique appellari potest quando Judicium tempus deliberandi suscipit, verbi causa in alterum diem refert. Sententia vero in continenti quando pronunciatur & ita stante pede, vel longius durante Judicio vigore Juris Saxonici redargui, nec subinde Appellatio fieri debet. Revis. l. 2. t. 22. art. 2. ab interlocutoriis, in quibus fundamentum vel cardo negotii principalis non vertitur, & sententiæ definitivæ similibus & partibus in suo Jure nullum singulare præjudicium generantibus & redundantibus, nulla Appellatio admitti debet. Rev. l. 2. t. 22. art. 3. Interposita seu obtenta appellatione, tunc parti appellanti tempus Juridicum, scilicet trium mensium præfigitur, quo currente Appellationem prosequi tenetur. Ubi vero talis Appellatio ab illa parte in præfixo termino, vel longissime intra spacium semestre, non fuerit prosecuta, vel apud Judicem superiorem suspensa atque devoluta, adeo, ut id ordine & legitime possit attestari, Appellationem in causa fuisse in superiori Instantia per appellantem neglectam, tunc ista sententia vigore Juris communis ad suum effectum scilicet in rem judicatam transit & exequi debet. Attamen in

13. Impune appellatur.

14. Quando & quomodo appellatio interponenda.

15. Ab interlocutoria sententia appellatio haud admissibilis.

16. Fatalia appellationis prosequendæ & desertio.

in tali caſu id ipſum apud Judicem ſuperiorem requiri debet, ut per remiſſam rurſus ad Judicem inferiorem cauſa perveniat. Emend. l. c. art. 7. Judices ſuperiores in omnibus caſibus quando cauſas Appellationum judicant, nemini Appellationem ad S. R. Majeſtatem denegare ſubinde nemini moleſtiam inferre, multoties appellantes, vel alios jurisdictioni inferiori ſubjectos, cujuscunque ſtatus & conditionis hi ſint, carceribus mancipare debent; ſi quis ſupra vel contra debitum aggravatus, vel damnificatus fuerit, huic iſte Judex, pro ejusmodi contumeliis & damnis coram S. R. Majeſtate tenebitur l. c. §. 8. In quacunque cauſa, quæ Judicio vel ſuperioris Inſtantiæ, vel etiam inferioris definita fuerit, ſi ab ea appellatum non fuerit, aut Appellationem interpoſitam deſertam fuiſſe, decreto judicatum fuerit, victus decreto Judicis ſatisfaciet in ſpacio duarum ſeptimanarum, a tempore latæ ſententiæ, ſub pœna quinquaginta Aureorum Ungaricorum parti præſtanda, niſi forte talis res ſit, quam ſecundum Jus & obligationem ſuam a Judicio non recedendo præſtare debet, tum enim in inſtanti ſatisfacere decreto debebit. In aliis autem ſi intra duas ſeptimanas decreto non ſatisfecerit, per duos Nobiles & Præconem, qui in ipſa ultima ſententia definitiva ſemper addi parti a Judicio debent, tam ejus nomine, quod ex judicato præſtare debet, quam pœnæ quinquaginta Aureorum, intromiſſo in bona ejus victori detur, liberaque poſſeſſio ei tradatur, quam non prius victor dimittere tenebitur, quam & pro judicato & pœna ſatisfactum illi fuerit. Jus Terreſtre Terrarum Pruſſ. t. 6. §. 4. Ad audaciam temere litigantium coercendam in Civilibus cauſis victus, victore id poſtulante, in litis expenſas ſemper condemnetur. Quamprimum igitur ultima definitiva ſententia a ſuperiore Judice prolata fuerit, aut etiam ab inferiore, ſi ab ea pars non appellaverit, aut appellationem poſtea deſeruerit, victor partem victam ad Judicium vel Terreſtre vel Palatinale, in utro nimirum cauſa primum agitata fuerit, ad impenſas præſtandas citare poterit; quod cum fecerit, Judicium omnes impenſas in litem per

17. Appellatio unicuique eſt libera.

18. Quando deficit Appellatio, aut interpoſita deſeritur & Decretum vim rei judicatæ acquirit, quomodo fieri debeat Appellatio.

19 Appellatio deſerta & res judicata.

per victorem computatus, qualia sunt justa impendia Procuratorum, itinerum, & quæ Actoris documentis doceri poterunt, pro conscientia sua, personarum, temporum & causarum ratione habita, ex æquo & bono, optima fide examinabit moderabiturque. Qua æstimatione a Judice interposita, si æstimatio ea triginta florenorum Ungaricalium valorem excedat, petitor juramento suo corporali, quod videlicet in litem eam cum parte non minus expenderit, nec expendere potuerit, æstimationem eam confirmabit: Si valorem eum æstimatio non excesserit, petitor tamen triginta Aureis contentus esse malit, quam in majorem summam Juramentum præstare, quamcunque summam a Judice æstimatam, victor vel Juramento comprobarit, vel si triginta Aureorum aut minori steterit, in eam victus in instanti con-

20. In causa expensarum Appellatio non admissibilis.

demnabitur, neque a moderatione hujusmodi Judicis ulli parti, ne expensæ expensas augeant, Appellatio permittetur l. c. §. 2. Jus revisum sequentem in modum ratione expensarum disponit: Quæ pars justam causam habere putans, illa

21. Quando vero pars per moderationem enormiter fuerit læsa, appellatio conceditur.

simul cum negotio principali hujusce conclusione damnorum refusionem & expensarum petere potest, desuper Judex cognoscere, an & quæ pars easdem refundere teneatur, & ubi id in inferiore aliqua instantia omissum & præteritum fuerit, per superiores Judices corrigi, & nihilominus desuper pronunciari potest; Quo cognito & obtento, pars pro qua pronunciatum, in termino executionis tales expensas & damna liquidare, & sufficienter probare tenetur, quas etiam Judex moderare, & ad æquitatem producere facultatem habebit. Proinde pars moderationem talem, & quod damna & expensæ illæ in rei veritate non viliores fuerint, jurejurando comprobare tenebitur, postquam finalis solutio fieri debet, nisi pars in tali moderatione Judicis enormiter & supra modum gravata fuerit, tunc ex hac causa ad superiorem Judicem provocandi potestatem & licentiam habebit. Revis.

22. In causa expulsionis a Judicio Terrestri directa

l. 2. t. 25. art. 4. Si quis ex possessione fundi alicujus, sive fœminam dotem in bonis aliquibus inscriptam habentem, sive quemcunque alium, bonorumque quorumcunque, vi

aut

aut alio quocunque modo expulerit, ad Officium Palatini loci, duabus ſeptimanis ante terminum, citatione poſita, in Jus vocatus primum terminum peremptorium habebit. Palatinus autem inquiſitione de expulſione cognoſcet. Ac ſi quidem ex poſſeſſione ejectum aut motum eum eſſe apparuerit, nulla de proprietate, & dominii cognitione, aut ullis aliis Exceptionibus admiſſis, ſed iis ad ordinarium Judicium Terreſtre aut forum competens rejectis, nulla mora interpoſita, ſpoliatum priſtinæ poſſeſſioni reſtituet, Appellatione tamen directe ad Regni Tribunal ſalva inter cauſas Officii cognoſcenda. Jus Terreſtre Terrar. Pruſſ. t. 6. §. 1. c. 2.

tantum Appellatio ad Tribunal Regium conceditur.

Non modo autem ab ultimis ſententiis definitivis permitti Appellatio debebit, verum ab aliis etiam, quæcunque gravius aliquod præjudicium Parti adferre poſſent: ab acceſſoriis vero & interlocutoriis vim definitivæ ſententiæ non habentibus, ut quæ terminum ſaltem aut citationem, ſine ipſius cauſæ amiſſione, proferant, aut alias grave aliquod præjudicium Parti non adferentibus, tum omnibus, a quibus directe in Jure hoc Appellatio remota eſt, nulla Appellatio admittenda eſt. Jus Terreſt. t. 6. c. 1. §. 47.

23. A ſententia interlocutoria & ab Acceſſoriis non datur Appellatio.

otwieranie świadectwa

APERTURA TESTIMONII.

Vid. infra Teſtimonium,

uchwycenie

APPREHENSIO REORUM,

Sąd Vid. Forum, Delictum, występek.

AQUILIA LEX, Vid. Damnum, szkoda.

AQUA. woda

PEriculum aquæ & legitimum impedimentum, quo minus quis ad Judicium adcitatus non venit, quod, quando per nuncium Juris ordine eſt probatum, citatus extra noxam eſt,

1. Aquæ periculum eximit a termino.

& Judicii dies tantiſper prorogatur, quo iſtoc impedimento ſolutus fuerit. Emend l. 2. c. 41. & 42. Correct. l. 3. c. 70. 71. Reviſ. l. 2. t. 8. art. 1. 2. Si quis ſponſionem fecerit ſtato die ad Judicium veniendi, agendi vel reſpondendi, eoque die aquæ inundaverint, ut nec ipſe venire, nec nuncium mittere poſſet, proxime ſequenti, qui Judicio dictus erit die, in Jus veniat, excuſationem proponat, ac Juramentum præſtet aquarum inundationem ſibi obſtitiſſe, quo minus vel ipſemet venire vel nuncium mittere potuerit, quo facto Prætor illi Jus integrum vel agendi vel reſpondendi præſtabit. Emend. l. 2. c. 43. Correct. l. 3. c. 119. Nemo aquam publicam in piſciniis altius cogito, neve in Caſtellis detento, quod cum vicini damno fiat, neve immature cum tempore interdictum eſt, emittito. Qui ſecus fecerit, damnum æſtimatum reſarcito, & nihilominus loci Magiſtratui ob factum contra leges temerarium, ex ejus arbitrio mulctam exſolvito. Emend. l. 5. c. 85. Correct. l. 5. c. 27. Reviſ. l. 5. p. 2. t. 19. art. 11. Qui binas habet ædes contiguas, ſic ut aqua, quæ in urnis colligitur, canali vel tuba per alteras derivetur; ſi eas, ex quibus aqua fluere ſolet, vendiderit, & in Judicio conſtituto tradiderit, ſine quapiam exceptione ſervitutis ejus aquæ ductus non præſtandæ, & emptor ædes illas cum aquæductu per vicinam aream defluente poſſidere cœperit, venditor deinceps, qui ſervitutem non excepit, prohibere non poteſt, quin minus aqua per aream ſuam perfluat, uti ante venditionem fluere ſolebat. Emend. l. 3. c. 6. Corr. l. 5. c. 10. Reviſ. l. 3. t. 4. art. 2.

2. Aquarum inundatio.

3. Ne aqua in piſciniis vel Caſtellis altius cogatur.

4 De ſervitute aquæ ductus.

ARATRUM. Plug.

1. Qui furatur aratrum.

ARatrum contrectans, vel abducens arbitrarie in pecunia, vel pro qualitate carceribus vel relegatione puniri debet, multoties vero id faciens & expediens, ſi valorem 5. florenorum Hungaricalium excedat, luit capitalem pœnam furibus conſtitutam, ſi vero nominatum valorem non excedat, delinquens prævia fuſtigatione relegationem in perpetuum

tuum

tuum meretur. Qui vero equum violenter de aratro solverit, & cum eo aufugerit, is gladio tanquam prædo & latro, si vero simul homicidium aliquod una commiserit, rota puniendus est. Revis. l. 5. p. 2. t. 16. art. 7. Mandamus insuper, & ita omnino habere volumus, ut Palatini debitores decimarum aratralium, & quorumvis Ecclesiasticorum proventuum, censuras contumaciter sustinentes, ad hujusmodi debitorum solutionem remediis opportunis compellant, ne Ecclesiastici proventibus suis fraudentur, vid. Constit. Terrarum Pruss. D. Sigismundi ab Anno 1538. §. 29. Volumus, ut de bonis Civium Culmensium de quolibet aratro Teutonicali unus modius tritici, & unus siliginis, in mensura Vladislaviensi, quæ vulgari nomine, Scheffel dicitur, cui mensura Culmensis est adæquata, & de Polonicali aratro, quod Hake dicitur, unus modius tritici, in eadem mensura annuatim Diœcesis Episcopo pro decimis persolvatur. Si vero idem Episcopus prædictos homines pro aliis decimis angariaverit, pro his domus nostra tenebitur respondere, vid. Privileg. Culmense §. 6.

2. Qui equum ab aratro solverit & abstulerit.

3. Decimæ aratrales.

4. In quo decimæ aratrales consistant, & quomodo exsolvi debeant.

ARBOR. Drzewo

QUi plantatas seu fructiferas arbores furto abstulerit, deterioraverit, vel absciderit, vel etiam fructus hortorum furtive attrectaverit, pro qualitate relegari seu fustigari debent. Revis. l. 5. p. 2. t. 16. art. 8. Si quis in alieno solo ædificium faciat, vel serat vel arbores plantet, quicquid ædificatum, satum seu plantatum fuerit, ad soli dominium pertinebit. Emend. l. 3. c. 3. Corr. l. 5. c. 70. Revis. l. 3. t. 1. art. 3. Qui arbores in sylva cædit prope viam, unde prætereuntibus damnum dari possit, si arbor cadens hominem oppresserit, sic ut illius id culpa qui dejecit, contigisse appareat, capite mulctator. Si animal seu pecudem oppresserit, æstimationem pecudis præstato, & ob temeritatem Judici mulctam solvito. Qui vero cædit arbores in loco, ubi homines vulgo commeare non solent, cum arbor casura est

1. Pœna istius qui furatur arbores, abscindit vel deteriorat, vel eorum fructus aufert.

2. Arborum plantatio in alieno solo, cedit solo.

3. Qui arbores cædit & hominem seu animal opprimit.

eſt, ter alta voce clamare debet, ut ſi quis in propinquo ſiet, periculum ſubterfugiat. Hoc ſi fecerit, & interim hominem vel pecudem arbor oppreſſerit, nullius pœnæ reus eſt. Sin autem hoc ejus culpæ adſcribitur, quod non proclamaverit, teſtibus probet, vel ſi teſtes nulli ſint, jusjurandum juret, ſe proclamaſſe. Emend. l. 5. c. 77. Corr. l. 5. c. 15. Reviſ. l. 5. p. 2. t. 7. art. 11.

AREA. podwurze u siedlisko

1. De finibus areæ non excedendis.

SI quis vicinum ideo in Jus protrahat, quaſi in extruendo ædificio fines areæ ſuæ transſcenderit, fortius dicemus, conventum qui poſſidet, Juramenti religione Jus ſuum tueri poſſe, niſi Actor cauſam teſtibus fultam attulerit. Hoc enim caſu convento licet poſſeſſor ſit, teſtibus ſi volet, Jus ſuum propugnandi, neceſſitas incumbit. Emend. l. 3. c. 9. Reviſ. l. 3. t. 7. art. 5.

ARBITER. Jednacz.

1. De effectu cauſæ per arbitros finitæ.

CUm duo vel plures controverſiam ſuam, duobus vel pluribus viris bonis determinandam ac definiendam Juris optione, vel amica transactione de plano commiſerit, quicquid tandem arbitri vel compromiſſarii ejus generis cognoverint ac definierint, ratum & firmum eſto, nec in eam rem amplius, nec ullus Judex cognoſcito, nec procurator quisq; adverſum verba facito. Emend. l. 2. c. 68. Correct. l. 2. c. 58. Reviſ. l. 2. t. 3. art. 1.

2. An arbitri ad decidendum cogi poſſint?

Cum arbitri coram Judicio cauſam recipiunt, & ſe determinaturos ſpondent, ſic ut litigantes eam ob rem amplius in Judicium venire non debeant, arbitri eo caſu Jure coguntur, ut intra ſesquimenſem controverſiæ limites recta definiant, nec ampliori tempore cauſam apud illos ventilare licet. Sin autem arbitri neque receperint cauſam coram Judicio, neque dirimendæ ejusdem ſibimet ipſis neceſſitatem impoſuerit, ſi dixerint arbitrium ſuum non liquere, litigantes eo caſu ad Judicium ſolenne

ſolenne remitti debent, ut ibidem Juris ordine lis pertractetur. Emend. l. 2. c. 69. Correct. l. 2. c. 57. Reviſ. l. 2. t. 3. art. 2. Nemo poteſt actionem cedere vel omittere, quæ in Judicio conſtituto cœpit, cœptave pendet, ſed actionem oportet ad finem perduci uti Jure conſtitutum eſt. Niſi permiſſu Judiciali cedatur vel omittatur, vel niſi litigantes inter ſe tranſigant, vel ad arbitros remittantur, eorumque arbitrata cauſa determinetur. Si cui ſilentium imponatur a Judice, vel ab arbitris res abſoluta definitaque intelligitur. Emend. l. 2. c. 25. Correct. l. 2. c. 32. Reviſ. l. 2. t. 10. art. 6. Donatione inter vivos donare, inſcribere, vendere bona ſua, ad acta tamen aliqua avthentica, unicuique & cui voluerit, liberum erit: cum maxime naturali libertati conveniens ſit, ut quemadmodum quisque velit, re ſua utatur, ſeu liberum habeat arbitrium. Jus Terreſt. Terr. Pruſſ. t. 2. §. 1. de Donationibus. Emend. l. 3. c. 12. Correct. l. 3. c. 2. & 15. plura vid. infra Teſtamentum, Donatio.

3. Lis cœpta in Judicio non eſt deſerenda, aut per transactionem componenda, niſi ad arbitros ſit remiſſa.

4. Quilibet rerum ſuarum liberum habet arbitrium.

ARGENTUM. Vid. Aurum.

ARMA.

IS qui Allodium vel 10. manſos emerit, debet ratione ejusdem allodii, cum armatura, quæ Plata vulgariter dicitur, & aliis levibus armis & uno equo, ad arma talia competente, Domui noſtræ ad tale obſequium eſſe aſtrictus. Quicunque 40. manſos vel amplius a Domo noſtra emerit, is cum plenis armis & dextrario operto, & armis talibus competente, & aliis duobus ad minus equitet. Qui vero pauciores manſos habuerit, cum Plata & aliis levioribus armis, & uno equo ad arma talia competente, debet cum Fratribus Noſtris in expeditionem, quoties ab eis requiſitus fuerit, pergere contra Pruthenos, qui Pomezani largo vocabulo nuncupantur, & contra omnes terræ Culm. turbatores.

1. Quibus armis Vaſalli in expeditione bellica debent eſſe inſtructi.

Cum vero præfati Pomezani in terra Culm. præstante Domino, fuerint ulterius merito non timendi, omnes Cives prædicti ab omnibus expeditionibus sunt exempti; ad defensionem tamen terræ, videlicet usque ad Wissam, Ozzam & Drivanzam, cum Fratribus procedere tenebuntur, ut prædictum est, contra terræ quoslibet invasores. Privileg. Culmense §. 6. Revis. l. 1. t. 4. art. 2. Non liceat rusticis feras in nemoribus venari, nec laqueos in sylvis & agris ponere, canes aut retia venatoria habere, alioquin in potestate Dominorum sit bombardas, canes & retia hujusmodi auferre, & pro qualitate excessus mandatum prævaricantes, in decem marcis domino fundi applicandis, toties, quoties punire &c. Bombardis autem nemo omnino, nec in propriis, nec in alienis sylvis, sub pœna centum florenorum Hungaricalium irremissibiliter solvendorum, amodo utatur, cujus medietas Nobis, altera ærario publico terrarum Prussiæ, proveniat. Et præterea ne rustici cum bombardis, caspitibus, lanceis, gladiis, aut similibus armis, publice aut privatim incedant, eaque deferant, nisi ad venationem, aut publicam pacem tuendam, a Dominis & potestatibus suis evocati fuerint: Scultetis etiam exceptis, quibus ob publicam functionem armatos esse liceat. Vid. Constit. Terr. Pruss. D. Sigismundi Regis Anno 1538. confirmatas §. 21. 23. & 25. Jus Revis. Culm. l. 1. t. 2. art. 6. Arma, præter gladium, acinacem aut pugionem, quibus nimirum consvetudine sua Nobilitas utitur, nemo in Judicium afferat. Cum sclopeto aut simili armorum genere deprehensus quindecim aureorum Ungaricalium mulctam dependet, neque ante solutionem eorum a Judicio recedat, sub alia quindecim aureorum pœna: Ob quas quidem mulctas, si priore non soluta a Judicio abscesserit, ad Palatinum loci peremptorie nomine Judicii evocabitur, & utraque mulcta sine appellatione exigetur. Jus Terr. t. 5. §. 32. & 33. plura Vid. Vulnus.

2. Rusticis non licet arma venatoria ferre.

3. Nemo bombardis in sylvis utatur.

4. Rustici neutiquam arma gerant.

5. Scultetis convenit esse armatos.

6. Nemo alia arma præter acinacem gladium & pugionem in Judicio gerat.

7. Pœna insolita arma in Judicio gerentium.

ARRHA.

ARRHA. *Zadatek.*

CUm in Judicio constituto, Judice & Scabinis præsentibus, vel donationes insinuantur, vel aliæ res agantur, quarum testimonium & memoriam in Jure quis desiderat, ejus rei ergo solidum unum in arrham, scilicet in confirmationem, vel fidem eorum quæ gesta sunt, is cujus interest, exsolvito; eum solidum Scabini capiunto, hoc monetæ genere, quæ tum in eo foro usum obtinuit, quaque quotidie solitum est obsonari. Emend. l. 2. c. 12. Correct. l. 2. c. 4. Revis. l. 2. t. 1. art. 7. alia consignatio sportularum invenitur. Vid. infr. Sportulæ. Qui alicui servitium promittit, & accepta arrha aufugit, tunc in duplo Domino, pro eo quo conductus est, luere & cadere debet, & quicquid mercedis nomine accepit, duplicatum restituere tenetur & in primo castro in ferro laborare. Revis. l. 1. t. 8. art. 5.

1. Arrha Judicialis.

2. De pœna servorum, qui arrhas accipientes aufugiunt.

ARRESTUM.

CUm aliquis Nobilis decreto publici Conventus, Judicio Palatinorum, aut terrestri capiatur, quod sub certis pœnis in potestatem aut carcerem Civilem non tradatur, sed in manus Palatinorum. Si quis autem in Civitate, ubi nulla arx est, capitur, & auctoritate Conventus, Palatini aut Judicii in carcerem Civilem conjicitur, in potestate eorundem, & non Civitatis permaneat. Fidejussoria autem cautione a carcere hujusmodi liberetur, nisi causa fuerit criminalis. Et ut sub pœna viginti florenorum Hungaricalium, quorum medietas Palatino, altera parti læsæ cedat, absque ulla remissione persolvenda, Nobiles & eorum subditi, authoritate seu potestate Civili non capiantur, detineantur aut arrestentur. Nec Nobiles authoritate propria capiant aut detineant Cives vel eorum subditos, sed unusquisque coram Judice suo ordinario conveniatur, & Justitiam requirat, nisi in casibus recentibus & actionibus Criminalibus, prout pax perpetua disponit, statuens, quod delinquens in loco de-

1. Nobilis in carcere Civili non est detinendus.

2. Pœna Civium Nobiles capientium & arrestantium.

3. Nobiles non capiant Cives aut arrestent.

 licti

licti deprehensus, & contrahens de contractu recenti in loco contractus poterit conveniri. Const. D. Sigismundi Regis, Anno 1538. Si quis potestati Judicis traditus fuerit in custodia ad Juris executionem asservandus, isque carcerem fregerit absque Judicis culpa, negligentia vel scientia: Siquidem causa maleficium concernat, quod capitale sit, Judex integram damni æstimationem (vulgo Wergeldum totum vocant) luito. Si manus mutilationem concernat, dimidium præstato, ac insuper Jusjurandum jurato, nisi id remittere placuerit, sine culpa sua captivum evasisse. Emend. l. 2. c. 16. Correct. l. 2. c. 43. Incarceratio pro legitimo impedimento censetur quo minus ad Judicium quis venire possit, quam, cum per nuncium Juris ordine probaverit, extra noxam est, & Judicii dies tantisper prorogatur, quo istoc impedimento solutus fuerit. Emend. l. 2. c. 41. & 42. Corr. l. 3. c. 70. & 71. Revis. l. 2. t. 8. art. 1. & 2. Qui ob debitum in Jus vocatur, neque debitum negat, siquidem fundos & possessiones in facultatibus habet, quæ majoris pretii sunt, quam quod ab eo petitur, sat illi cautionis erit, qua ad proximum usque Judicii diem satisdare possit. Sin possessiones nullas habeat, fidejussores dare cogitur. Si dare nequeat creditori, qui ejus loci civis est, ibique domicilium constitutum habet, in manum traditur. Is mancipatum nec calore nimio, nec frigore torqueat, alimenta, quæ esui potuique sunt subministret, operas imponat, itidem uti servis suis domesticis. Si vero creditor extraneus est, debitorem mancipatum in eodem foro, in domo vel custodia Judicis, ubi solent homines custodiri, ea cautione relinquat, ne captivus profugiat, quinimo si volet, nervo vincire potest, alitor autem corpus ut minime torqueat, cibaria æque ut famulis suis domesticis suppeditet. Nec enim fur aut furis socius vel ejus generis maleficus censendus est. Hac tamen lege cujusvis loci consvetudini non derogabitur. Si mancipatus contra creditoris voluntatem se in fugam conjecerit, priusquam debitum exsolvat, creditori Jus esto, fugitivum ubicunque locorum deprehendendi authoritate propria sine Judice, & in

4. Si ex negligentia Judicis aliquis ex carcere aufugerit.

5. Incarceratio est impedimentum legale, & eximit a termino.

6. Si debitor Creditori mancipetur.

in privatam custodiam, velut pignus debiti non soluti, manu captum pertrahendi. Sin ille prætenderit, se debitum exsolvisse, & volente ac sciente creditore e vinculis discessisse, hoc probet ut Juris ordo requirit. Emend. l. 4. c. 54. Correct. l. 3. c. 109. Jus Revisum aliter disponit: Si quis tantum mutuaverit, vel alio quocunque modo tantum debiti contraxerit, ut omnia sua bona & facultates ad solutionem non sufficerent, vel ultra modum & suum posse pro aliis fidejusserit, ut nec apud suos creditores remissionem impetrare possit, nec præfati creditores alio quocunque modo tractari vel pacificari possint, tunc ad citationem & requisitionem unius vel plurium creditorum carceribus mancipari, & tamdiu detineri debet, donec creditoribus satisfaciat, seu aliter cum illis bona gratia vel voluntate transigat, & concordet, nec illi ulla abrenunciatio aut cessio bonorum, vel alias, quodcunque Juris auxilium illud fuerit, absque approbatione suorum creditorum attentatum, & usurpatum liberare & exonerare poterit. Ille autem carcer, quo mancipetur, mediocris & facilis esse debet, & tali modo qualificatus, ne illius vitæ aut corpori noxa aut aggravatio inferatur ulla. Ubi autem per creditores alimentorum & sustentationis gratia, nulla præordinatio & dispositio vel provisio facta fuerit, tunc ipsimet de hoc cogitandum erit, qualiter & quomodo suam sustentationem habere possit. Ne vero talis incarceratio velut perpetua, & ita ob debitum temporale etiam vitæ periculosa existat; talis carcer in debitis infra 100. fl. Summam existentibus, non longius quam ad spatium quinque annorum prolongari debet, quo spatio elapso, e carcere & a debito liber esto. Si vero debitum Summam 100. fl. excedat, incarceratio usque ad decem annos prolongatur quibus elapsis eliberari poterit. Si aliquis ob perpessum incendii damnum, naufragium, vel alios improvisos, & absque culpa propria factos & intercessos fortuitos casus, in æs alienum & extremum damnum incidisset, idque sufficienter probasset, literasque & inducias moratorias ad tempus quoddam a supremo Magistratu implorasset, per ejusmodi tempus a carceri- bus

7. Alia dispositio Juris Revisi.

bus relevari ſublevariq; debet, ut ſuorum damnorum honeſto modo remedendi & reſarciendi facultas permittatur. Reviſ. l. 2. t. 23. art. 6.

8. Injuſta incarceratio. Si quis alium ob rapinam, furtum vel aliud ſimile delictum, ad malam carceris manſionem adegerit, nec eum facti convincere potuerit, mulctam luito, proque injuria illata arbitrio Judicis, juxta perſonæ qualitatem ſatisfacito, & captivum manumittito. Emend. l. 5. c. 10. Correct. l. 3. c. 36. Reviſ. l. 5. p. 1. t. 9. art. 4.

9. Vis carceribus illata. Si quis ob ſuſpicionem maleficii carceribus mancipatus fuerit, & auſus ſit carceres effringere & violentiam in his exercere, per hoc ſe liberaturus, is adverſus ſe inducit fortem præſumptionem maleficii hujus reum eſſe, & ſubinde ad torturam trahi poſſe. Si vero malefacti hujus innocens repertus fuerit, tunc nihilominus ratione commiſſæ & exercitæ violentiæ in carceribus factæ, arbitrarie pro qualitate perſonæ & cauſæ, puniri debet. Reviſ. 5. p. 2. t. 6.

10. Captura reorum. Judice ſufficienter informato maleficium eſſe perpetratum, ſubinde perſona ſuſpecta, quando ſufficientia indicia incidere, absque præmiſſis citationibus carceribus mancipari & apprehendi, ſeu pro majori aſſecuratione, pro qualitate perſonarum, cuſtodiæ demandari poteſt, donec ulterius in eadem cauſa inquiſitio fiat, aut alioquin maleficium probari poſſit. Talis vero apprehenſio & captura per ordinarium Judicem, ejusque permiſſu fieri debet, & in his perſonis iſti Jurisdictioni & Judicio ſubjectis, aut etiam in crimine recenti deprehenſis, Nobiles vero perſonæ carceribus mancipari non poſſunt, niſi in recenti crimine deprehenſæ, prout ſupra dictum eſt. Reviſ. l. 5. p. 1. t. 9. art. 1.

11. Si proſcriptus capiatur. Si proſcriptus capiatur in ea Civitate, cujus aditu fuerit interdictum, capitis pœnam incurrit. Sin autem in alia Civitate capiatur, ab eo, qui proſcriptionis ejus autor fuerat, is ſi eum in Jus protrahere nolit, proſcriptus liberabitur, nec ideo mulctæ luendæ fit obnoxius. Si proſcriptus ab alio quam interdicti auctore in Judicium pertractus fuerit, Judex ab eo mulctam lucratur, & eadem ipſe, qua fuerat antea proſcriptionis nota manet illigatus. Emend. l. 5. c. 93. Correct. l. 3. c. 114.

12. Alia Juris Jus Reviſum ſic ſtatuit. Qui Jure ordinario modo

modo in proſcriptionem condemnatus fuerit, is locum illum & Jurisdictionem iſtam evitare tenetur, præterea vero in illo Judicio captivatus, capitis meretur pœnam. Nemo etiam pacem in illo violare, nec vim ullam ei inferre debet, & quum proſcriptum prehendere voluerit, & is ſeſe defenderit, & deſuper interfectus fuerit, tunc proſcripti cognatis nec Judici mulctam exſolvet. Illud vero intelligi hucusque, quousque proſcriptus in his Judiciis, in quibus proſcriptus eſt, deprehenſus fuerit, nam extra illa Judicia nemo illum lædere debet; & ſi hoc fecerit, vel quis & deſuper convenitur, is illud Jus patitur, ac ſi in ſuo Jure totus cecidiſſet. Secundo; tametſi quis proſcriptus ſit, non tamen idcirco ejus innocentia eſt ruitura, qua ratione negotii principalis nititur, nam cum ſe ex proſcriptione expiaverit, ſua ſolida innocentia fruiturus eſt. Reviſ. l. 5. p. 1. t. 18. art. 4. Cum quis proſcripto, vel publicæ pacis raptori manum injicere volet, qui defendendi ſua cauſa vim parat, ſiquidem reſiſtentem occiderit, aut vulneraverit, nec agnatis occiſi, nec Judici mulctam vel æſtimationem facti committit. Enimvero ſi absque vulneratione capere eum nequiverit, & ideo vulnus vel necem intulerit, nihilominus cæſum aut vulneratum in Jus producat, & Judex adverſus eundem pro ratione delicti notionem interponat. Emend. l. 5. c. 94. Corr. l. 5. c. 40. Jus Culmenſe de proſcriptionis executione ſic ſancit: Quisquis ad executionem rei judicatæ proficiſcitur, cum telo eandem poteſtatem habeto, Judici Jus eſto omnibus, qui pacem jurato ſpoponderint, expeditionem Judicii cauſa ubicunque intra Jurisdictionis ſuæ terminos opus videbitur, indicendi; omnibus ſcilicet, qui pubertatis annos egreſſi ſunt, quique per ætatem arma ferre poſſunt, niſi juſta neceſſitatis cauſa fuerit impedimento. Omnes hi clamorem exequendi Judicii cauſa editum ſequuntor, exceptis Sacerdotibus, Judæis, Fœminis, Æditui & Paſtoribus. Hi enim ipſimet in expeditionem non eunt, ſed alioquin ſuppetias ſuas conferunt. Sacerdos, qui Principis dignitatem obtinet, ipſemet in rem præſentem proficiſcitur, cæteri, de quibus modo

Culmenſis diſpoſitio.

13 De captura proſcripti ſe defendentis.

14 De capiendis urbibus & reſidentiis proſcriptorum.

modo diximus, opem illi administranto. Si ad Arcem seu Castellum eant, sumptibus suis triduum ibi in stativis commorantor. Si quis proscriptus in Civitate seu Castello versari dicatur, eum Judex edicto triduano, ex quo primum eo venerat, evocato; Si evocatus non dedatur, sumptus in commeatum ibidem amplius impensi, ejus erunt damno, ad quem Civitas seu Castrum pertinet. Judex sibimet ipsi caveto, quod Jure adversus eum agat, cujus prosequendi causa domo profectus fuerit. Omnibus vero hominibus, quicunque in ea Civitate vel Castro sunt, proscriptionem irrogato, ni in Jure steterint, priusquam sex hebdomadæ & dies una præterierint, Judex armata manu Civitatem vel Castrum circumsideto, & cum expugnaverit, aratrum inducito, si Civitas fuerit mœnibus & turribus munita, funditus eam exscindito, turres & mœnia solo æquantor, fossæ replentor & complanantor. Si nulla sint Civitati propugnacula, singulorum tamen ædes, quas quisque habitat, solo æquantor. Si quis Equestri dignitate præditus, domum in ea Civitate possederit, atque is suppetias Civibus tulerit, eodem Jure censetor. Sin etiam alii tum in Civitate conversati fuerint, & Civibus opem auxiliumque tulerint, eorum Domus eandem calamitatem experiuntor. Emend. l. 5. c. 95. Correct. l. 5. c. 41.

15. Captura proscripti secundum Jus Terrestre.

Processus executivus contra proscriptos talis est secundum Jus Terrestre. Si proscriptus non debito tempore se exemerit, Palatinatui ad instantiam victoris, mox post duodecim septimanas, Nobilitate omnibus bona terrestria possidentibus in Palatinatu suo, cæterisque incolis convocatis, ad Jure victum ac proscriptum capiendum, bonisque expellendum proficisci, eademque victori tradere debebit. Tenebuntur autem omnes & singuli ad executionem faciendam a Palatino legitime evocari, sub pœna quinquaginta Aureorum, ei adesse, de qua terminum in Tribunali Regni habebunt: quam quidem executionem Palatinus & officium ipsius, si modo supra scripto facere non curaverit, prima vice pœna centum aureorum, quinquaginta Tribunali Regni, & quinquaginta parti committendorum, mulctabitur: secunda

ſecunda vice ad refuſionem a Judicio moderandorum, & juramento partis comprobandorum, condemnabitur. Nihilominus vero proſcriptus, poſt exitum duodecim ſeptimanarum, ſive a Palatino executio fiat, ſive non, vel ab ipſo victore, vel a quocunque capi, atque officio Palatinali tradi poterit. Quod cum factum fuerit, tam diu in turri detineri ab officio debebit, donec cum parte transegerit, eique ſatisfecerit. Poterit autem capi, ubicunque inventus fuerit, præterquam in domo nobilitari, in qua ſine permiſſu Patrisfamilias, neque a privato, neque ab officio ullo capi poterit. Quod ſi dominus domus ipſe permiſerit, ſine injuria aut damno ullo illius fieri id debebit; ſi non conſenſerit, proteſtatione interpoſita, ad officium Palatinale citari poterit, convictus complicitatis, eidem pœnæ ſubjacebit, cui proſcriptus ipſe ſubjectus fuit, Jus Terreſtre Terrar. Pruſſ. tit. 6. §. 8. 9. 10. Si quis alteri promiſerit pecuniam certo die, ſine cujusvis impedimento vel contradictione præſtandam, niſi ſponſionem inficietur, ſolutionis ſibi propoſuit neceſſitatem. Cæterum ante diem ſolutionis cedentem Jus non eſt Creditoribus ejus, qui pecuniam ſpopondit, eandem præoccupandi, vel arreſti nexu pignorandi. Sin autem Promiſſor diem ſuſtulerit, quem ſolutioni dixerat, & poſt eum diem pecunia pignoretur, vel condicatur, expenſas omnes pro liberanda pecunia factas, quoniam ipſe ſuo die non ſolvens impedimenti cauſam dedit, ſtipulatori refundere, & nihilominus pecuniam, uti ſpoponderat, exſolvere tenebitur. Emend. l. 4. c. 45. Reviſ. l. 4. t. 10. art. 5. Nullius in perſonam arreſti nexus locum habet, qui ſolvendo ſit, & in ejus Judicii foro poſſeſſiones habeat. Sed nec bona alicujus detineri debent, qui quod ſolvat, habet, quique ſatisdare paratus eſt de eo, quod judicatum erit ſolvendo. Cum ita ſatisdederit, officio Judicis incumbit, ut arreſtum relaxet, quantumvis adverſarius contradicat. Qui in rerum immobilium poſſeſſione non ſunt, vel quorum facultates ſuſpectæ ſunt, quive rem nequiter prodigunt, quo minus Creditoribus ſatisfacere valeant, tam ipſi quam ipſorum bona coarctari poſ-

16. Si pecunia in ſolutionem promiſſa ab aliis Creditoribus arreſti nexu conſtringatur.

17. De poſſeſſionatis non arreſtandis.

poſſunt, ſic ut ſemper a rebus initium fiat, priusquam ad perſonas deveniatur. Si quis igitur in actoris foro poſſeſſor non ſit, ſed alibi larem & fortunas collatas habuerit, ac in alieno Judicio conveniatur, actore poſtulante, non debet ejus perſona detineri, ſed oportet, ut actor rei forum in terris Pruſſiæ ſequatur, utque reus cautionem præſtet, ſe ad diem condictum coram ſuo Judice ſtaturum, niſi reus in actoris foro contraxiſſet, vel maleficium admiſiſſet, vel eo ſe loco ſoluturum ſpopondiſſet. Hic in caſibus ratione contractus convenietur, & delinquens in loco delicti Judicium patietur. Si homines ſint extranei qui conveniuntur, actor eorum forum ſequi non cogitur, ſed Jus habet illorum bona & perſonas detinendi. Emend. l. 4. c. 66. Correct. l. 4. c. 57. Reviſ. l. 2. t. 6. art. 7.

18. Ad Arreſtum quisque citari debet.

Nulli Judicium liceat arreſti prætextu cujusvis bonis vel rebus manum injicere, priusquam rei Dominus legitimis edictis adcitetur, quo facultas illi ſit integra cauſas adferendi, quibus bona ſua, ſuamve perſonam defendat, pignorari non oportere. Quapropter arreſta quæ dum fiunt, nullius habentur momenti. Emend. l. 4. c. 67. Correct. l. 4. c. 58. Reviſ. l. 2. t. 6. art. 8.

19. De Arreſto proſequendo.

Qui arreſti nexu res alterius obſtringit, arreſtum ita Jure proſequatur, ut in ſingulos dies, quibus publice Judicium habetur, adverſarium ad Judicem vocet, & actionem rebus nexis intentet, quoad Jus ſuum proſequatur. Niſi quis enim Juris ordine rem peragat, tacite de nexu cauſæ abſtinere intelligitur, nec ejus uſurpandæ reliquam habet facultatem. Emend. l. 4. c. 68. Correct. l. c.

20. De eo qui contra interdictum aufugerit.

Si quis arreſto nexus ita ſit, ne quo, niſi cauſa cognita, diſcedat, ac interim interdicto neglecto profugerit, vel ſine venia pedem extulerit, is perinde habetur, atque ab adverſario convictus eſſet, & mulctam inſuper Judiciariam incurrit. Emend. l. 4. c. 69. Reviſ. l. 2. t. 6. art. 9.

21. Norma proſequendi arreſti & proceſſus ad judicationis bonorum arreſtatorum.

Arreſtum coram Judice factum eſt initium actionis executorialis in illum, qui requiri vel aliter ad Judicium deduci non poteſt pro reſpondendo, ſeu de quo notorium, quod ſolvendo non ſit. Et qui extra judicialiter coram Judice bona arreſtavit, prius debitum ſuum, quod poſtulare intendit, ſuffici-

ente

enter probare tenetur, tunc arreſtum illud tantum valebit, ac ſi in Judicio bannito factum fuerit, attamen per Judicem, quando quis id poſtulaverit, in primo Judicio atteſtetur, & arreſtum illud tribus Judicii diebus, uti Juris eſt, proſequatur, an Debitor de Jure bona illa defendere, evincere, vel deſuper reſpondere voluerit, quod ipſi per ordinariam citationem denunciari debet, quando tunc illud in tertia die banniti Judicii factum non fuerit, tunc Judex Actori bona illa arreſtata coram Judicio adjudicare, & in pignus denominare debet, proinde bona mobilia publice vendi, immobilia vero ſubhaſtari, & quam cariori pretio potuerit, abalienari debent. Ubi vero unum vel aliud intra præfixum terminum nemo deſideravit, nec juſto pretio licitaverit, Judex in ultimo termino mediante ſententia Scabinali, nec non taxa bonorum prudentiumque virorum, pro juſta ſumma Actori addicere, appropriare & deſuper pacem illi optare debet. Si quid tum ſuperfluum fuerit, illud alteri reſtituere debet, ſi quid autem deſideraverit, tunc Debitor ulterius pignorari debet, donec Actor pecuniam ſuam habeat: attamen reus conventus bona illa obtenta, vel etiam proximior ejus cognatus, mediante Jure prothymiſeos vel retractus, intra annum & diem reluere pro pecunia illa, pro qua vendita fuerant, poteſt; nec etiam bonorum iſtorum obtentor vel victor uſumfructum vel penſionem in debito ſuo abſtrahere debet. Reviſ. l. 2. t. 24. art. 1. Qui merce- 22. Captura itinerantis.
moniorum vel negocii ſui cauſa, peregre profecturus eſt, impediri non debet a quopiam cujusvis debiti prætextu, ſi ſatisdare paratus ſit, vel Procuratorem idoneum relinquat, cum mandato rei judicatæ parendi. Si quis itineri jam accinctus eſt, ipſo momento, ſi in Jure conveniatur audiendus eſt. Item ſi ad operas Domino præſtandas proficiſcitur, in continenti cauſam dicere jubendus eſt. Si quis interim, antequam Judicii dies veniat, captus ſit, vel morbo laborare cœpit, neceſſitatem impedimenti legitimi ad Judicium denunciet, more Juris uſitato. Emend. l. 4. c. 70. Correct. l. 3. c. 78. Reviſ. l. 2. t. 6. art. 10. Si cujus bona, cum domi 23. De arreſto
non

in bonis absentis.

non esset, vel in alio foro domicilium haberet, in controversiam vocentur, vel arresto obstringuntur, quæsitum est, quo Juris remedio bona possideri debeant, & an non conveniens sit dicere, quod in Jus vocandus sit. Hoc casu defenditur Juris esse rationem, ut iste in Jus vocari debeat, & siquidem non constet ubi locorum commoretur vel conveniri possit, more tamen cujusque loci recepto solennibus Edictis absens vocetur. Sin autem in absentis vel extranei, qui non hujus Jurisdictionis est, bona, agatur Jure, eorumque possessio evincatur, sic ut arresti nexus ipso inscio peractus sit, eorumque possessionem recuperare potest, quatenus juraverit se tam procul extra provinciam abfuisse, ut intra diem annuam, ex quo scire cœperat, ad bonorum defensionem adcurrere nequiverit. Sin autem gravioris causæ necessitas obstiterit, ejus fidem faciat, ut Juris ratio præscribit, ac nihilominus Actori pro debito respondeat, si is justam conveniendi causam habere judicabitur. Emend. l. 4. c. 71. Correct. l. 3. c. 83. Revis. l. 2. t. 24. art. 2.

24. Si bona a pluribus Creditoribus pignori nexa sint, quis potior sit habendus?

Jure nostro receptum est, ut omnes Creditores, qui in terris Prussiæ domicilium constitutum habent, & bona debitoris intra diem annuam nexu pignoris obnoxia fecerint, ac Jus pignorationis ordine suo produxerint, eodem Jure simul admittantur. Si non tantum in bonis esse appareat, ut omnium debitis plene luendis sufficiant, pro rata portione solutionis modus constituetur, exceptis Fisco Regio, in debitis, non in pœnis, pupillis, piis locis & communitatibus, privilegio utentibus, nec non iis, qui jam tum executionem rei judicatæ, vel pignoris prærogativam, vel inscriptionem Judicialem in bona debitoris obtinuerunt. Si quis autem intra diem annuam neque pignoris nexum injecit, neque Jure debitum exegit, non est quod deinceps desiderium ejus audiatur vel admittatur. Quisquis Creditor profugi bona nexu pignoris obstrinxerit, & Jus pignorationis suæ, per singulas Judicii constituti vices rite prosecutus fuerit, debitum suum ex iisdem bonis vel possessionibus primo loco recuperabit, præ cæteris, qui post eum pignori manum injicere voluerint, nec illi fraudi erit, si quid aliud

aliud Debitor confessione sua in cæterorum compendium prætendisset. Sin autem primus Creditor unam ex constituti Judicii vicibus neglexerit, vel non obierit, sic ut posteriores qui pignoris eandem causam prosequuntur, actiones suas præ illo ad executionem rei judicatæ perducant, illi non injuria potiores erunt, qui priores litem evicerunt, ad bona æri sui obnoxia possidenda. Emend. l. 4. c. 75. Correct. l. 3. c. 121. Revis. l. 2. t. 24. art. 3. Ubi superhæc Jus prioritatis obtinet merces servorum, ut & expensæ funebres. Interim tamen cæteris Creditoribus Jus esto, ab ejusmodi Creditoribus privilegialis poscere juramenti religionem, quod nimirum eorum prætensio vera & genuina sit, neque in Concreditorum præjudicium simulate vel sub alio prætextu asseratur & intentatur. Revis. l. c. Si quis alicujus bona extra Judicium constitutum, auctoritate Judicis nexu pignoris obstrinxerit, ejusdem res erit momenti, ac si in Judicio solenniter acto decretum interpositum fuisset. Pignoris enim nexus, cui Prætor suffragium tulit, initium est actionis adversus eum institutæ, qui latitat, quique in Jus venire detractet; ita nimirum ut Judex adversario postulante proxima quaque Judicii die bona pignori nexa in Jure testetur, & creditor pignoris causam singulis ordinarii Judicii vicibus prosequatur, uti Jure jam pridem receptum est: Quicquid Actor in bonis debitoris lucri fecerit, nisi conventus intra ternas Judicii constituti vices bona defendat, vel salva præstet, id edicto Judiciali in dominium & possessionem debitoris, quo redimendi Jus sit illi integrum obnunciato. Quod ubi rite obnunciatum fuerit, nec ad rem debitor responderit, bona pignori nexa Judex creditori per decretum mancipato, & quasi pignus suum nominatim adjudicato; ille pignus manu captum, tribus constituti Judicii diebus publice proclamato. Si conventus demum non adfuerit, neque pignus luerit, potestas actori esto, pignus a Judice bonorum virorum arbitrio æstimatum vendendi, & inde debitum suum, quantum liquido probaverit, ex bonis mobilibus recuperandi. Sin autem bona sint immobilia, debitori Jus esto intra diem

25. Additio Juris Revisi.

26. De nexu pignoris a Judice extra ordinem decreto.

annuam ea redimendi. Si pignus manu captum solvendo non sufficiat, Judex actore postulante ad ulteriorem pignorum executionem progreditor, & eodem quo jam dictum est modo, pignoribus capiendis autoritatem accommodato. Si pretium pignoris debiti æstimationem excurrat, quod superest, debitori restituatur. Emend. l. 4. c. 77. Quod cum Reviso supra allegato verbotenus ferme convenit. Correct.

27. Arrestatio decreti. l. 2. c. 37. Vid. plura **Pignus.** Si forte parte, aut Procuratore ejus, in loco Judicii quidem præsente, per negligentiam tamen, vel etiam aliquam justam causam non respondente, decretum latum fuerit, ante occasum solis arrestare integrum ei erit; quo quidem ita arrestato, sequente die aut Judiciis ante omnes alias causas de eo cognoscere Ju-

28. Arrestati promissio. dicium tenebitur. Jus Terrestre tit. 6. §. 17. Incarcerati hominis promissio de Jure locum non habere nec consistere, nec servari debet, nisi ad stipulationem suam fuerit liberatus, ut se ad constitutos dies Juri rursus sistere debeat, tunc iterum accessurus, fidem suam præstare & liberare tenetur. Si etiam quis liber factus promiserit & juraverit, jusjurandum ultionis & diffidationis illud servare & consumare tenetur. Revis. l. 4. t. 10. art. 3.

ARX. obrona v. Zamek.

1. De mercatura arcibus interdicta. INstituræ, Fornicaturæ ac mercaturæ tantum Civitatibus permanere, nec potestati in arcibus, vel illorum famulis admitti debent. In Civitatibus haleces, sal, butyrum & omnes reliquæ merces minutim divendere, vel Civibus id facere coacte impelli minime debet. Revis. l. 4. t. 5. art. 3. Si

2. De prædonum receptaculo. quis arcem vel prædium in crimen vocet, quod eo præda convecta sit, raptores autem omnes profugerint, atque is, qui arci seu prædio præest, factum inficietur, ipse cum duobus una testibus conscientiam religione purget. Si quis vero prædam usque ad receptaculi portas prosecuti fuissent, ibique receptam eam esse testibus probatum fuerit, hoc pacto præfecti testimonium confutatur. Judex autem res raptas

raptas repetat, nisi restituantur, arcem seu prædium, & ejus præfectum, vel dominum, & cæteros, qui cum eo sunt, proscribat, in proscriptos autem ut Juris est deinceps animadvertatur. Emend. l. 5. c. 75. Correct. l. 5. c. 38. Plura vid. Castrum.

ASCENDENTES.

SI quis communis naturæ munere defungatur, nec filiis, nec nepotibus, nec ulterioribus descendentium post se relictis, hæreditatem ad ascendentes, puta patrem, matrem, avum, aviam & ulteriores ab intestato transmittit. Itaque cum filius rebus humanis exemptus fuerit, & liberos non reliquerit; pater & mater, si ambo supersunt, hæreditatem ejus vendicant. Sin alteruter jam antea vita decesserat, sic ut vinculum paternæ maternæve conjunctionis alterutrius morte solutum sit, fratres & sorores ad defuncti fratris successionem Jure nostro vocantur. Intelligendum hoc est de patre & matre, fratre & sororibus ab utroque latere cognationem integram præ se ferentibus. Alioquin non pater vel mater peculiariam liberorum hæreditatem adeunt, fratribus & sororibus ex uno saltem latere venientibus pene exclusis. Exemplo res erit manifestior: cum quis vir, vel qua mulier ad quartas vel quintas nuptias ordine legitimo transiisset, & ex quolibet matrimonio filium seu filiam superstitem haberet; si filius seu filia ex primo seu secundo matrimonio geniti, in rerum natura versari desierint, pater vel mater ejus hæres erit, non autem frater seu soror ex tertiis vel quartis nuptiis uno tantum necessitudinis paternæ vinculo consociati. Emend. l. 3. c. 29. Correct. l. 4. c. 26. 29. 33. Revis. l. 3. t. 9. art. 6. plura vid. de Hæreditate.

1. In defectu descendentium, ascendentes hæreditatem adeunt.

2. Vinculo matrimoniali per mortem inter parentes rapto, fratres succedunt.

De ASSASSINIIS.

UBi quis pecunia corruptus fuerit ad homicidium dolosum vel simplex committendum, & id consumaverit, is

1. Pœna hujus criminis.

is tanquam latro & homicida de vita ad mortem puniri debet; confessus etiam quod illum ad hoc patrandum coemerit, vel persvaserit, aut aliter innotuerit, is similiter tanquam homicida puniendus erit. Revis. l. 5. p. 2. t. 7. art. 8.

ASSESSORIALE JUDICIUM.

Vid. infra Forum & Instantia. naleganie

naznaczenie · zlecenie.

ASSIGNATIO seu Delegatio.

1. Per delegationem principalis debitor liberatur.

SI quis creditori suo debitum in alterius manum solutionis ergo delegaverit, ac creditor, omisso principali debitore, fidem ex Promissoris secutus fuerit, liberatur principalis, & in ejus obligationem delegatus expromissor succedit, nisi hac lege convenisset, ut quatenus alter non solvisset, primarius debitor maneret obligatus. Emend. l. 4. c. 53. Corr. l. 3. c. 124. Revis. l. 4. t. 15. art. 3.

poświadczanie · świadectwo.

ATTESTATIO. Vid. infra Testimonium.

dziedzica:

AUCTOR.

1. De auctoris hæredibus.

SI quis auctorem suum laudet, vel equi vel cujuslibet alterius emptæ rei causa, isque jam inter homines esse desierit, hæredes auctoris evictionem rei, quatenus ad eos pervenit, præstanto Emend. l. 4. c. 31. Corr. l. 3. c. 106. Revis. l. 4. t. 12. art. 1.

2. Quid per auctoris mortem intelligendum.

Auctoris mortem tum intelligimus, cum alicujus Pater, Mater, Frater, Soror, vel alius consangvineus proximus in fata concessit, cujus hæreditatem ille capit. Hæreditatis enim ratione jura & actiones in successorem ab auctore transeunt. Emend. l. 4. c. 39.

2. Si proscriptionis auctor mortuus sit.

Si diem suum obierit is, qui pro auctore proscripto postulabatur, ad proximum agnatum Jus postulandi transmittitur. Si vero proscriptionem Jure decretoque peregerit, priusquam fato suo

ſuo decederet, nemo deinde proſcriptionis ejus executionem uſurpato, niſi de auctoris morte certum ſit ac manifeſtum. Emend. l. 5. c. 96. Corr. l. 3. c. 115.

AURIS, Ucho.

SI cui auriculæ, vel totæ vel ex parte media præſcindantur, ad vulneris atrocitatem noxa defertur, & ſemiſſem æſtimationis, quæ 12. marcis cenſetur, in mulctam reus committit. Si cui cæſim auris disjecta ſit, atroci plaga, quæ capillis prominentibus contegatur, ejus generis vulnus eſt, quod 12. marcarum æſtimatione compenſatur. Sin auricularum aliqua pars amputetur, deformitatem notat, & 12. marcis itidem æſtimatur. Em. l. 5. c. 25. Corr. l. 3. c. 15.

1. Vulnus in aure.

AVIS. Ptak.

SI quis avem petat lapide vel telo, ſecundum viam, ubi publice homines ſolent ambulare, & hominem caſu percuſſerit, ut inde mortem conciliet, non ideo capitis ſupplicium commeruit. Sin quis illum inclamaverit, ne lapidem jaciat, neve telum emittat, & inclamantem ille videat, ac nihilominus telum ſeu lapidem jaciat, eoque ictu hominem interficiat, quatenus hoc teſtibus planum fiat, interfecti hominis reus eſt, nec ſecus in illum decernitur, ac ſi manu volens occidiſſet. Sin hoc in via publica contingat, ubi communiter homines converſantur, eo majorem in ſe culpam admiſit, quam fecit. Ubi enim homines publice ambulant, equo vel pede, nulli debet eſſe jaciendi vel jaculandi licentia. Emend. l. 5. c. 76. Corr. l. 5. c. 14. Reviſ. l. 5. p. 2. t. 6. art. 10.

1. Si quis avem petat & hominem percuſſerit.

AURIGA, Woźnica

SI auriga currum vel aliud vehiculum everterit, eo loco ubi homines commeare ſolent, proclamare debet, ut præſentes a periculo ſibi caveant, hoc facto, culpam evitat, ſi quis

1. Si auriga currum everterit.

si quis inde damnum acceperit; nisi parvuli eo loco conversentur, quibus omnibus modis prospectum oportet. Etenim qui currum evertunt vel exonerant, si parvulus opprimatur, mortis ejus causam præbuisse videntur. Sin absque cæde damnum detur, ad ejus æstimationem obligantur. Emend. l. 5. c. 78. Correct. l. 5. c. 16. Revis. l. 5. p. 2. t. 6. art. 10.

2. Auriga Teloneum prætereuns. Aurigæ prætereuns vectigal tantummodo pro equis curribusque puniuntur, neutiquam vero mercatores aut in sua persona aut mercibus. Revis. l. 1. t. 4. art. 3.

AUXILIUM, Apmoc.

1. Auxiliarius veneficii. Quicunque cujusque sexus veneficiis & præstigiis operam dederint, adhibuerintque, quique improbatas artes callent ac exercent, quibus malos dæmones accersant, aliaque pessimorum geniorum opera patrent, flammis exuruntor, atque istud illis capitale supplicium esto, quoniam a Deo secessionem fecerunt, & dæmonibus sese malo more manciparunt. Quicunque ejusmodi maleficiorum conscii fuerunt, eaque celaverunt, vel opem & auxilium addiderunt, quod vel confesso vel testato constet, capite plectuntur. Emend. l. 5. c. 61. Correct. l. 5. c. 67. Revis. l. 5. p. 2 t. 2. art. 1.

2. Auxiliarius cædis. Qui ob opem consiliumve cædis faciendæ causa præstitam convenitur, si opem a se latam esse neget, quatenus simplici assertione insimulatur, Jurejurando se purgare potest. Sin testibus præsentibus conveniatur, juxta Juris præscriptum, nec is defendendi sua causa in Jus venerit, eo ipso litem perdit, & facinoris convictus censetur, sic ut in eum deinceps Judicium constituatur, & absens proscriptioni subjiciatur. Emend. l. 5. c. 48. Correct. l. 3. c. 24.

3. Si plures sint auxiliarii homicidii. Si plures ex proposito & mutuo consensu, voluntate & animo aliquem ad occidendum malitiose ad invicem auxilium & assistentiam præstiterint, hi omnes vita plectantur. Si vero quædam personæ absque proposito in uno ictu, vel rumore ad invicem aggredientes, sibi ipsis auxilium tulerunt, & desuper absque causa quis occisus fuerit, tunc facinorosus inquiri debet,

debet, & si innotuerit, gladio ad mortem puniri debet. Si occisus vulneribus complurimis occisus fuerit, & probari non poterit, a cujus seorsivis manibus vel facto mortuus fuerit, tunc hi, qui læsionem illam intulerint, omnes homicidii hujusce rei sunt, & arbitrarie carceribus vel temporali relegatione puniri debent; reliquorum auxiliatorum pœna pro qualitate personarum, causarum & circumstantiarum in Judicis arbitrio discretioneque sit. Revis. l. 5. p. 2. t. 7. art. 8. Qui in Judicio solenniter acto convenitur, quod opem vel auxilium, cædi, mutilationi, seu vulnerationi perpetrandæ tulerit, siquidem nuda saltem assertione criminis arguatur, religioni suæ purgandi sui causa committitur. Si testibus conveniatur, testium itidem præsidio petitoris actionem perimit. Sin opem & auxilium a se latum fateatur pro cæde facta quidem integram, quæ in occisi personam, pro natalium conditione, constituta est, noxæ æstimationem, pro membro autem ad impotentiam redacto, vel atroci vulneratione semissem ejus æstimationis actori, mulctam autem Judici suam committit. Emend. l. 5. c. 49. Correct. l. 3. c. 13. it. c. 33. Si mulier virum jam antea alterius maleficii vel injuriæ causa convictum & proscriptum accusaverit, quod perpetrandæ cædis mariti sui causam, opem auxiliumque præstiterit, necessitatem reus impositam habebit, actrici in Jure respondendi. Sin etiam occisi proximus agnatus & cohæres actionem ipsi propter cædem factum intentare voluerit, atq; ille litem suscepturum se profiteatur, in quovis propriori, vel viciniori foro experiundi copiam habeat, actor simul cum muliere de sistendo satisdationem exigere debebit. Em. l. 5. c. 50. Correct. l. 3. c. 25. Qui rapiendi proposito vias obit publicas, secumque socios duxit, quorum ope rapinas convehat, & in pacatum perducat, non ille solum culpæ reus est, qui cæteris secum eundi fuit auctor, sed etiam cæteri, qui auctorem illum secuti sunt eodem maleficio tenentur irretiti. Nec enim solus latro grassari poterat, neque prædas passim comportare. Si quis ex raptoribus præ manu fit, sine Judice capi potest, deinde vero ducendus est in Judicium, & siquidem

4. Processus contra auxiliarios commissæ cædis, & desuper constituta mulcta.

5. Si ob aliam causam in alia opis latæ gratia conveniatur.

6. De raptoris sociis.

dem ſocius rapinæ fuit, æque ut princeps maleficii ſententiam patietur. Si factum inficietur, ipſius prædæ vel rei raptæ teſtimonio, ſi adſit, ſi non adſit, aliis teſtibus, ut Juris eſt, facti conveniatur. Emend. l. 5. c. 74. Correct. l. 5. c. 36. Reviſ. l. 5. p. 2. t. 17. art. 4. Auxiliarii incendii gladio ſunt puniendi. Reviſ. l. 5. p. 2. t. 15. art. 1. Qui furi conſilium dedit, vel opem tulit, furti reus habetur. Qui ſcalas furi commodat, quibus in alienam domum furandi cauſa conſcendat, quique in furis uſum januam vel feneſtram apertam habet, quive faber ſciens claves adulterinas, vel alia ferramenta, ad furti uſum accommodata, conficit, vel aliis hujus generis modis furi fert ſuppetias, is æque furti tenetor, ac fur ipſe, qui res amovit, is æque cum fure ab infelici cruce vel arbore ſuſpenditur. Emend. l. 5. c. 67. Correct. l. 5. c. 31. Reviſ. l. 5. p. 2. t. 16. art. 5.

7. Auxiliarius incendii.

8. Auxiliarius furis.

AURUM. Złoto

1. Aurifodina Regi reſervata.

EIsdem Civibus noſtris vendidimus bona ſua, quæ a domo noſtra habere noſcuntur ad hæreditatem Flammingicalem, ipſis & eorum hæredibus utriusque ſexus, ea cum omnibus proventibus id perpetuum libere poſſidenda, ſalvis tamen his, quæ domui noſtræ per totam terram duximus retinenda. Retinemus enim domui noſtræ in bonis eorum omnes lacus, caſtores, venas ſalis, auri argentique fodinas, & omne genus metalli, præter ferrum, ita ut tamen inventor auri, ſive is, in cujus bonis inventum fuerit, idem Jus habeat, quod in terra Sileſiæ in hujusmodi talibus eſt conceſſum. Inventor autem argenti, ſive is, in cujus agris inventum fuerit, Jus Frıbergenſe in hujusmodi inventione perpetualiter obtinebit. Privil. Culmenſe §. 6. vid. **Aurifaber.**

AURIFABER. Złotnik.

1. De operibus aurifabrorum.

QUilibet aurifaber opus ſuum, quod eſt tantæ magnitudinis, ut ſuo ſigno ſignari poſſit, ſignat. Similiter & reliqui

reliqui opifices facere debent, & merces ſuas argenteas ex probo argento, cum conſveto additamento, prout antiquitus erat, elaborare debent. Cum aliquid inauratum fuerit, tunc opus illud argenteum primum Domino ſuo opponderari debet, poſtmodum inauratio fieri eodem auro, quod a quocunque ad id datur, picturis & coloribus penitus prohibitis. Qui in quocunque uno ſupra memorato contravenit, libra una argenti cadit. Reviſ. l. 1. t. 7. art. 4.

Owies AVENA. Vid. ſupra Ager. Rola.

BANNITIO. Wywołanie.

NEmo proſcriptionis ſeu bannitionis ſtylo percelli debet, niſi talis cauſa ſit, quæ ad capitis pœnam, vel manus mutilationem pertineat. Emend. l. 5. c. 92. Correct. l. 3. c. 92. Reviſ. l. 5. p. 1. t. 18. art. 1. Ad præcedentes citationes inculpatus non comparens per publicum edictum citatur & poſtulatur, quod edictam ſpeciem commiſſi facinoris, & quod delinquens ſe per fugam & indicia ſuſpectum reddiderit, continere debet, prout etiam terminus 14. dierum, locus, dies & hora debet præfigi, qua comparere & ſe ſiſtere jubetur, & iſta citatio in publicis locis cuique patentibus affigi debet. Cum non comparet iterum ad dies 14. adcitatur, nec non tertia vice usque ad inferendum legale condemnatur, & ad inferendum illud iterum 14. dies tanquam quartus terminus dari debet, cum hac comminatione, ubi non comparuerit, ut immediate ad proſcriptionem procedendum foret; quod ſi adhuc contumaciter & inobediens remanſerit, tunc proſcribendus eſt, prout Juris eſt. Reviſ. l. 5. p. 1. t. 18. art. 2. it. t. 4. art. 5. Si proſcriptus in unius Civitatis Judicio recte ſibi cavere volet, quo minus executio interdicti adverſus eum porrigatur, neve eo nomine detineatur, neceſſum eſt, ut alienum forum ſortiatur, quod cum priori Judicio commune Jus non habeat, quodque Jure Culmenſi

1. Qui proſcribi queat.

2 Proſcriptionis proceſſus.

3. Quæ banniti ſit cautio.

mensi non utitur. Etenim eo loci facile se sustinebit, ne ob proscriptionis elogium in altero foro promulgatum conveniri, vel detineri possit. Quibus autem in locis Juris Culmensis usus est, nullam proscriptus conversandi habet licentiam. Emend. l. 5. c. 98. Correct. l. 3. c. 116. Revis. l. 5. p. 1. art. 3.

4. De transactione banniti.

Si proscriptus cum adversario transegerit ob vulnerationis aut homicidii causam cum Judicis consensu permissuque, nihil amplius præter mulctam lege constitutam Judici præstare debebit, ac sese nihilominus vinculo proscriptionis exsolvet, uti Juris ratio demonstrat. Emend. l. 5. c. 100. Correct. l. 2. c. 42. Qui Jure ordinario modo in bannitionem condemnatus fuerit, is locum illum & Jurisdictionem istam evitare tenetur, præterea vero in illo Judicio captivatus capitis meretur pœnam. Nemo etiam pacem in eo violare, nec vim ullam ei inferre debet, & cum proscriptum comprehendere voluerit, & is sese defenderit, & desuper interfectus fuerit, tunc proscripti cognatis nec Judici mulctam exsolvet.

5. Proscripti captivati pœna, defendentis obitus, & liberi Juris remedium.

Illud vero intellige hucusque, quousque proscriptus in his Judiciis, in quibus proscriptus est, deprehensus fuerit; nam extra illa Judicia nemo illum lædere debet; & si hoc fecerit, vel quis desuper convenitur, is illud Jus patitur, ac si in suo Jure totus cecidisset. Secundo, tametsi quis proscriptus sit, non tamen idcirco ejus innocentia est ruitura, qua ratione negotii principalis nititur, nam cum se ex proscriptione expiaverit, sua solida innocentia fruiturus est. Revis. l. 5. p. 1. t. 18. art. 4.

6. De bannitorum receptatoribus.

Qui proscriptum domo vel hospitio exceperit, receptaverit, aut alimenta sciens illi subministraverit, is Magistratui secundum causæ qualitatem, vel cujusque loci plebisscitum mulctam committit, toties, quoties ideo convenitur, & nihilominus bannitum exhibere cogitur. Proscriptionis autem causam agentibus, mulctæ nomine haudquaquam obligatur, si nesciebat eum quem receptavit proscriptum, innocentiæ suæ religione præstita, mulctam omnem evitabit. Emend. l. 5. c. 97. Corr. l. 3. c. 118. Revis. l. 5. p. 1. t. 18. art. 5.

7. De proscriptione abolenda.

Cum proscriptus interdicti vinculo se desiderat exsolvi, ejusque

causa

causa Judicis officium imploret, Judex illi recte caveto & potestatem facito, sic ut adversarius consentiat, in Jus veniendi; Illi vero juramenti religiosa sui conscientia proscriptionem si incurrerit, ut ea perpetuo illigatus Jure teneretur. Exinde Judici vadem postulato, qui spondeat, eum tribus constituti Judicii diebus in Jus sponte venturum, seque legitime respondendi causa sistiturum. Si quis tum paruerit, qui illum in eam causam accusare velit, ob quam proscriptionis rigorem expertus erat, testibus innocentiam suam probato, si testium aliorum ex adversa parte confessiones obstiterint. Si cum adversario vel actore interim transegerit, nulla videtur illi necessitas imposita tribus vicibus in Jure comparendi. Emend. l. 5. c. 99. Correct. l. 3. c. 117. Rev. l. 5. p. 1. t. 18. art. 7. Ubi Judex vel actor aut ferendarius expiationem aut explicationem ex proscriptione noluerit, tunc proscriptus, si Judex non subveniat, illud Judici superiori querimonialiter indicare debet, quo adinvento, Judicem injuste denegasse, tunc pœna dignus erit refundendo actori suas expensas. Parte vero adversario id denegante; tunc in cognitione Judiciali persistere debet, an illa expiatio seu explicatio locum habeat, nec ne? Revis. l. 5. p. 1. t. 18. art 8. Cum quis proscripto, vel publicæ pacis raptori manum injicere volet, qui defendendi sua causa vim parat, siquidem resistentem occiderit, aut vulneraverit, nec agnatis occisi, nec Judici mulctam vel æstimationem facti committit. Enimvero, si absque vulneratione capere eum nequiverit, & ideo vulnus aut necem intulerit, nihilominus cæsum aut vulneratum in Jus producat, & Judex adversus eundem pro ratione delicti notionem interponat. Emend. l. 5. c. 94. Correct. l. 5. c. 40. Quisquis ad executionem rei judicatæ proficiscitur, cum telo eandem potestatem habeto. Judici Jus esto, omnibus qui pacem jurato spoponderint, expeditionem Judicii causa, ubicunque intra Jurisdictionis suæ terminos opus videbitur, indicendi, omnibus scilicet qui pubertatis annos egressi sunt, quique per ætatem ferre arma possunt, nisi justa necessitas causæ fuerit impedimento.

8. Si abolitio bannitionis denegaretur.

9. Quomodo proscripti capiantur.

10. De proscriptionis executione.

Omnes hi clamorem exequendi Judicii causa editum sequuntor, exceptis Sacerdotibus, Judæis, Fœminis, Æedituis & Pastoribus. Hi enim ipsimet in expeditionem non eunt, sed alioquin suppetias suas conferunt. Sacerdos, qui Principis dignitatem obtinet, ipsemet in rem præsentem proficiscitur, cæteri, de quibus modo diximus, opem illi administranto. Si ad arcem seu Castellum eant, sumptibus suis triduum ibi in stativis commorantor. Si quis proscriptus in Civitate seu Castello versari dicatur, eum Judex edicto triduano, e quo primum eo venerat, evocato. Si evocatus non dedatur, sumptus in commeatum ibidem amplius impensi ejus erunt damni, ad quem Civitas seu Castrum pertinet. Judex sibimet ipsi caveto, quod Jure adversus eum agat, cujus prosequendi causa domo profectus fuerit. Omnibus vero hominibus, quicunque in ea Civitate vel Castro sunt, priusquam sex hebdomadæ & dies una præterierint, Judex armata manu Civitatem seu Castrum circumsideto, & cum expugnaverit, aratrum inducito. Si Civitas fuerit munita mœnibus & turribus, funditus eam exscindito, turres & mœnia solo æquantor, fossæ replentor & complanantor, si nulla sint Civitati propugnacula, singulorum tamen ædes, quas quisque habitat, solo æquantor. Si quis Equestri dignitate præditus, domum in ea Civitate possederit, atque is suppetias Civibus tulerit, eodem Jure censetor. Sin etiam alii, tum in Civitate versati fuerint, & Civibus opem auxiliumque tulerint, eorum domus eandem calamitatem experiuntor. Emend. l. 5. c. 95. Correct. l. 5. c. 41. Proscriptus duodecim septimanarum spatium habebit, a tempore proscriptionis computandum, intra quod cum parte vel componere, vel satisfacere ei possit, intereaque locum in Judicio standi, bona sua vendendi, de iis disponendi facultatem habebit, non tamen in fraudem victoris, sed satisfaciendi ei causa: Si interim cum actore seu victore composuerit, aut ei satisfecerit, quietatione ejus avthentica exhibita ex Cancellaria Regia relaxatio bannitionis dari ei debebit, illeque in integrum restituetur, Si ne illud quidem intra tempus pro-

11 Secundum Jus Terrestre processus & executio contra proscriptum.

proſcriptione ſupra demonſtrata ſe exemerit, Palatinus ad inſtantiam victoris mox poſt duodecim ſeptimanas, Nobilitate omnibusque bona Terreſtria poſſidentibus in Palatinatu ſuo, cæterisque incolis convocatis, ad Jure victum ac proſcriptum capiendum, bonisque expellendum proficiſci, eademq; tradere victori debebit. Tenebuntur autem omnes & ſinguli ad executionem faciendam a Palatino legitime evocari, ſub pœna quinquaginta aureorum ei adeſſe, de qua Terminum in Tribunali Regni habebunt: quam quidem executionem Palatinus & Officium ipſius, ſi modo ſupraſcripto facere non curaverit, prima vice centum aureorum, quinquaginta Tribunali Regni, & quinquaginta parti committendorum, mulctabitur: ſecunda vice ad refuſionem damnorum, a Judicio moderandorum, & juramento partis comprobandorum, condemnabitur. Nihilominus vero proſcriptus poſt exitum duodecim ſeptimanarum, ſive a Palatino executio fiat, ſive non, vel ab ipſo victore, vel a quocunque capi, atque Officio Palatinali tradi poterit. Quod cum factum fuerit, tam diu in turri detineri ab Officio debebit, donec cum parte transegerit, eique ſatisfecerit. Poterit autem capi ubicunque inventus fuerit, præterquam in Domo Nobilitari, in qua ſine permiſſu patrisfamilias neque a privato neq; ab Officio ullo capi poterit. Quod ſi Dominus domus ipſe permiſerit, ſine injuria aut damno ullo illius fieri id debebit; ſi non conſenſerit, proteſtatione interpoſita ad Officium Palatinale citari poterit, convictus complicitatis, eidem pœnæ ſubjacebit, cui proſcriptus ipſe ſubjectus fuit. Atque hic proceſſus contra poſſeſſionatos ſervabitur: Si impoſſeſſionatus Jure victus fuerit, ſiquidem fidejuſſor intervenit, poſſeſſionatusq; is ſit, in eum executio modo ſupraſcripto extendetur: Si neque reus neque fidejuſſor poſſeſſionati ſint, ad ſummum intra duas ſeptimanas, aut judicatum ſolvere debebunt, aut fidejuſſores poſſeſſionatos ſtatuere de ſatisfaciendo rei judicatæ intra ſex ſeptimanas; quorum ſi neutrum fecerint, ad Officium Palatinale ad proſcribendum citari poterunt, ac ſive in termino ſteterint, ſive non, a Palatino proſcribi de-

debebunt; cum proſcripto eodem modo procedi, quemadmodum cum poſſeſſionato ſupra dictum eſt, oportet, ut captus nimirum tamdiu ſedeat, donec parti ſatisfaciat; Receptator etiam ejus, Jure receptionis ejus convictus, eadem pœna condemnetur. Jus Terreſtre Terrarum Pruſſiæ tit. 6. cap. 2. §. 7. 8. 9. 10. & 11.

12. Bannito agenti in Jure non reſpondetur.

In Criminalibus conventus non tenetur, bannito ad denunciationem aut libellum litem conteſtari. Reviſ. l. 5. p. 1. t. 10. art. 2.

13. Proſcriptus non utitur Jure retractus.

Banniti ſeu proſcripti non poſſunt ullo jure interventionis frui. Reviſ. l. 4. t. 6. art. 8. Emend. l. 4. c. 25.

14. Executioni repugnans.

Qui executioni repugnat, neque eandem vult pati, proſcribitur, ejusque bona confiſcuntur. Reviſ. l. 2. t. 23. art. 7. Conſtit. Sigiſmundi Anno 1538. §. 13.

15. Si Proſcriptus capiatur.

Si proſcriptus capiatur in ea Civitate, cujus aditu fuerit interdictum, capitis pœnam incurrit. Sin autem in alia Civitate capiatur, ab eo, qui proſcriptionis ejus auctor fuerat, is ſi eum in Jus protrahere nolit, proſcriptus liberabitur, nec ideo mulctæ luendæ ſit obnoxius. Si proſcriptus ab alio quam interdicti authore in Judicium pertractus fuerit, Judex ab eo mulctam lucratur, & eadem ipſe qua fuerat antea proſcriptionis nota manet illigatus. Emend. l. 5. c. 93. Correct. l. 3. c. 114.

16. Si mulier ſe proſcriptione non eximat.

Si mulier proſcriptione ſe non eximat, juxta Juris ordinem, neque defenſionem maturet de cæde mariti, vel de conſilio, ope & auxilio in eandem cædem ſubminiſtratis, omnia bona ſua & quicquid ad eam ex hæreditate mariti perventurum ſperabatur, amittit, & hæredes mariti in univerſam hæreditatem ſuccedunt. Emend. l. 5. c. 45. Correct. l. 3. c. 35.

17. Si ob aliam cauſam proſcriptus in alia opis latæ gratia conveniatur.

Si mulier virum jam antea alterius maleficii vel injuriæ cauſa convictum & proſcriptum accuſaverit, quod perpetrandæ cædis mariti ſui cauſa opem auxiliumque præſtiterit, neceſſitatem reus impoſitam habebit, actrici in Jure reſpondendi. Sin etiam occiſi proximus agnatus & cohæres actionem ipſi propter cædem factam intentare voluerit, atque ille litem ſuſcepturum ſe profiteatur, in quovis propiori, vel viciniori foro experiundi copiam habeat, actor ſimul cum muliere de ſiſtendo ſatisdationem exigere debebit. Emend. l. 5. c. 50.

Correct.

Correct. l. 3. c. 25. Bannitus non admittitur ad deponendum testimonium. Emend. l. 2. c. 50. Correct. l. 2. c. 5. Qui proscriptionis notam subiverint, quique propter patratum maleficium sententiam capitalem passi fuerint, eorum bona nemini obnoxia sunto, sed ad hæredes eorum devolvantur. Emend. l. 5. c. 101. Correct. l. 4. c. 48. de bannitione Judicii, vid. Judicium.

18. Proscriptorum hæreditas.

BELLUM. *Woyna.*

1. De servitiis vasallorum in expeditionibus bellicis.

IS qui allodium, vel 10. mansos emerit, debet ratione ejus allodii, cum armatura, quæ Plata vulgariter dicitur, & aliis levibus armis & uno equo, ad arma talia competente, domui nostræ ad tale obsequium esse astrictus, quale inferius plenius describetur, addentes, ut nullus eorum, qui nunc a Domo nostra hæreditati esse noscuntur, hæreditatem aliquam possit emere, præter unam. Statuimus siquidem, ut, qui 40. mansos vel amplius a Domo nostra emerit, is cum plenis armis & dextrario operto, & armis talibus competente, & aliis duobus ad minus equitet. Qui vero pauciores mansos habuerit, cum Plata & aliis levioribus armis, & uno equo, ad arma talia competente, debet cum Fratribus Nostris in expeditionem, quoties ab eis requisitum fuerit, pergere contra Pruthenos, qui Pomezani largo vocabulo nuncupantur, & contra omnes terræ Culmensis turbatores. Cum vero præfati Pomezani in terra Culmensi, præstante Domino, fuerint ulterius merito non timendi, omnes Cives prædicti ab omnibus expeditionibus sunt exempti; ad defensionem tamen terræ, videlicet usque ad Wissam, Ozzam & Driwanzam cum Fratribus procedere tenebuntur, ut prædictum est, contra terræ quoslibet invasores. Vid. Privilegium Culmense §. 6. Revis. l. 1. t. 4. art. 2.

Legatio D. Sigismundi Regis ad Ordines Terrarum Prussiæ, qua perspicuum est, eosdem Ordines, licet unum sint cum Regno corpus, diversa tamen habere Jura, & ad auxilia contra quosvis hostium impetus ferenda, non

esse astrictos; Regiam quoque Majestatem Juribus Terrarum Prussiæ, nihil detractum cupere. Anno 1542.

SAlute dicta, & Gratia Regia, in hanc sententiam Orator noster verba faciet. Deliberatum erat Sacræ Regiæ Majestati, quandoquidem non sine gravi animi sui molestia, toties id frustra egit, non amplius instare atque urgere, ut pro Officio suo Do. Vestræ Terrarum harum Prussiæ rationibus consulerent, quas impediri per nonnullos intelligebat. Nam neque personæ dignitatisque suæ id esse putavit incassum ea tentari, quæ tot missis nunciis, tot tam accuratis rationibus, & modo non obtestationibus obtineri hactenus non potuerunt. Cum tamen non suæ privatæ utilitati, sed Reipublicæ Terrarum istarum commodo, periculosissimis temporibus his, pro boni Regis verique Patriæ Parentis officio, prospectum voluerit, facile conjicere possunt Do. Vestræ, quandoquidem tot legationibus nihil aliud postulatum est per S. Majestatem Regiam a Dom. Vestris, quam ut suam ipsorum & charissimorum pignorum, conjugumque suarum salutis curam susciperent, ut fortunas suas salvas vellent, ut tuendæ & defendendæ Patriæ suæ rationem aliquam inirent, quo ferendum illi animo fuerit, nihil se tantopere instando atque urgendo proficere potuisse; poterat certe offensus animus eorum curam abjicere, quos ipsos sui cura priores abjecisse, suæque postulationis & paternæ admonitionis tam exiguam habuisse rationem videbat. Sed quo paterno erga suos animo, quaque est senili prudentia, etiamsi erratum ab his graviter videbat, quos liberorum loco charos habet, non ideo tamen suum ab illis animum prorsus alienandum, neque curam eorum posthabendam existimavit; Me ad Dom. Vestras misit, ut, qui oculatus fui testis eorum, quæ proximo superiore autumno ad Budam gesta sunt, qui modo non ipse interfui miserandæ cladi illi, quam a Turcis eo tempore Respubl. Christiana majorem accepit, quam ut fando explicari queat, verbis Majestatis ejus Do. Vestras admonerem, ut animo secum diligenter reputarent, quantum in periculum non modo Ungaria & Germania, verum etiam inclitum Polo

Poloniæ Regnum & Terræ iſtæ Pruſſiæ univerſæ ex hac tanta Chriſtiani exercitus ſtrage ſint adductæ. Si fuit aliquando, nunc hora eſt maxime, nos de ſomno ſurgere: Appropinquavit enim ille, qui tanquam leo circumiens quærit, quem devoret. Nullum ſibi quidem indictum a quoquam, & denunciatum bellum habet S. Majeſtas Regia, quæ experientia magiſtra didicit, nihil eſſe pace utilius, cujus nomen dulce, res eſt ipſa cumprimis ſalutaris. Semper itaque Majeſtas ejus a turbulentis conſiliis abhorruit, neque irritandum atque armis laceſſendum quenquam putavit, etiamſi laceſſita, neq; animum, neque vires ſibi deeſſe oſtendit, Chriſto conatus ejus adjuvante, ad vim cujusvis propulſandam, ne nunc quidem alio eſt animo, quin potius in veteri more inſtitutoque ſuo perſeverare ſtatuit; Sed ea videt eſſe tempora, quibus majora, quam unquam antea Regno ditionibusque Majeſtatis ejus impendent pericula. Quare provocare Ipſa neminem decrevit: Sed providendum eſſe nihilominus dubiis temporibus id cenſet, ſi quæ nec opinato vis alicunde major exiſtat, quemadmodum ea propelli queat. Intelligit S. Majeſtas Regia, quæ ſua ſit, quæ hoſtium potentia, ſuis ipſa viribus non eſſe fidendum proſpicit, ſed Chriſti ſolius gratiæ & miſericordiæ, qui vult nihilominus, ſi adjuvari a ſe velimus, ut & ipſi manus admoveamus. In hoc itaque ſpe omni & fiducia collocata, non in curribus, non in equis, ſed in ſolo nomine Domini Noſtri Jeſu Chriſti, perſvadet ſibi S. Majeſtas Regia, ſi ſuorum omnium vires conjunctas habeat, etiamſi nulla adſint externa auxilia, poſſe ſe tamen, Chriſto Duce, quamlibet magnam hoſtium vim propulſare; ſed ſi ſolius Regni copiis id fieri poſſe credat, metuit, ne tentare Dominum videatur: Quam ob rem in hoc ſtudium toto pectore incumbit, ut non modo Regni, verum etiam omnium terrarum ditionumque ſuarum vires, contra vim aliquam majorem, conjunctas habere queat. A qua ratione cum non abhorrere videatur, Magnus Ducatus Lithuaniæ, qui tamen ad Regnum nequaquam pertinet, quanto magis æquum eſt, eandem ad rem ſuas Do. Veſtras voluntates inclinare, quæ etiamſi

Jura habeant diverſa, idem tamen certe cum Regno corpus ſunt. Nihil eſt neceſſe repetere eandem, quæ antea quoque dicta Do. Veſtris, & quæ ipſæ pro ſua prudentia facile proſpiciunt, quam facile ſit diſperſos vincere, quam difficile in unum omnes congregatos. Si, quod Deus omen avertat, aliquid de Regno actum eſſet, quæ ſpes reliqua Terris his eſſe poſſit? Hoc itaque providendum eſt omni ratione, ut totum Regni corpus, ſi quæ vis major ſit, ei ſe opponat, adjunctis etiam eorum auxiliis, qui etſi ad Regni corpus non ſpectant, eidem tamen Domino ſubſunt. Nihil eſt, quod hic legum & patriarum Conſtitutionum fiat mentio, quæ, cum ad utilitatem Reipubl. latæ ſint, ad interitum ejus uti velle rationis non eſt. Non hoc poſtulat S. Majeſtas Regia, ut quemvis hoſtium impetum ſuas Do. Veſtræ cum Regno vires conjungant; nihil illa de Juribus Terræ hujus detractum cupit: Sed ſi uſus veniat, quod tamen prohibere divina miſericordia dignetur, ut potentior aliquis hoſtis ingruat, tum vero poſtulat S. Majeſtas Regia, ut tanquam ad commune incendium reſtingvendum, communibus omnium viribus ſuccurratur, ne ſi de legum literis diſputare, quam armis libertatem noſtram tueri maluerimus, non modo Jura noſtra nobis eripiantur, ſed nos etiam ipſi una, & conjuges liberiq; noſtri, partim vita fortuniſque omnibus evertamur, partim in duram ſervitutem captivi ducamur, quæ omnia gratia ſua & miſericordia procul a nobis Deus avertere dignetur. Admoneat Dom. Veſtras infelicis Ungariæ caſus, quæ ſi conjunctis omnium viribus hoſtili potentiæ reſtitiſſet, nondum fortaſſis ad hanc calamitatem perveniſſet, quam ſine lachrumis nemo commemorare poteſt. Hoc unum ſecum reputent Dom. Veſtræ, quæ fides Regi & Domino debeatur, quam id indecorum, quam parum honeſtum nobis futurum eſſet, quam a Nobilitate virtuteque noſtra prorſus alienum, Regem & Dominum noſtrum, de nobis bene merentem, de Regno, deque fortunis ſuis omnibus dimicantem deſerere, neque ei periclitanti omni ope noſtra adeſſe, non eſt quod Dom. Veſtræ in id tempus conſultationem hac de re rejiciant, quo

armis

armis potius, quam consilio opus futurum esset. Tempori providendum est, si & Regem nostrum & nos ipsos salvos esse volumus. Nam & hæc ipsa æstas, quæ instat, quid allatura sit, quis est qui certo scire queat? Non modo Sereniss. Regi, sed & Fratri ejus Imperatoriæ Majestati, graviter his temporibus fortuna est adversata, quæ non minorem, quam ipse Serenissimus Noster Rex cladem accepisse certo nunciatur, qua ex re dubium non est, quin creverint animi communi Christiani nominis hosti. Omnia itaque formidat S. Majestas Regia, ac tempori prospiciendum suis esse putat. Quapropter in his ipsis comitiis constituant jam tandem Dom. Vestræ, quibus copiis adesse Regno possint, si quis hostium fiat validior impetus: Ac, ne desint bellorum nervi, certam etiam pecuniam contribuendam decernant, qua conduci miles queat, si qua id necessitas postulet. Hæ sunt, de quibus agere me cum Dom. Vestris S. Majestas Regia misit, quæ cum ejus generis sint, ut ad salutem earum tuendam, ad fortunas conservandas pertineant, etiam atque etiam pro paterno animo suo Dom. Vestras hortatur, S. Majestas Regia, ne usque adeo Reipubl. suæ commodorum, neve sui ipsius & liberorum conjugumque suarum salutis oblivisci velint, ut salubris his monitis S. Majestas R. obtemperandum non putent, meminerit potius, quid Principi suo, quid Patriæ suæ debeant, atque ad illius utilitatem consilia sua omnia dirigant. Quoniam vero allatæ sunt non pridem literæ ad S. Majestatem Regiam a Serenissima Dna. Maria Hungariæ Regina, quibus postulat ut ratio inveniatur, qua per Serenissimum Dom. Daniæ Regem hominibus ejus ultro citroque tuto navigare liceat, quod nisi curatum sit, sibi necesse fore, ut aliorum Principum, ita nostris quoque subditis navigationem interdicere. Harum literarum exemplum ad me missum Do. Vestris profero, ut posteaquam legerint, quid ea de re consilii capiendum sit, S. Majestati Regiæ significent, quo commodis harum terrarum prospiciatur, ut libera omnibus & secura sit navigatio &c.

Samuel, Episcopus Plocens.
& Vice-Cancell. sst.

Hoc

2. Casimiri R. dispositio, qualiter Vasalli in expeditione bellica se debeant gerere.

Hoc pro Nobis Successoribusq; reservamus, quod quilibet dignitarius & terrigena Terrarum Prussiæ ad bellicam expeditionem, quotiescunque necessitas exoptaverit, illam per Nos & Successores Nostros indici, in armis & equis decentibus, quilibet juxta continentiam Privilegii sui tenorem; alius qui careret Privilegio, secundum facultatem bonorum suorum servire erit & obligatus & obstrictus, prout & alii incolæ Regni Nostri ad hoc ipsum obligantur servitium. Privileg. D. Casimiri Regis ex Castro Marienburgensi feria sexta proxima post Festum S. Jacobi Apostoli Anno 1476.

3. Incolæ terrar. Prussiæ exempti ab omnibus hospitationibus coactivis, angariis, Podwodis, Targowe &c.

In Privilegio Culmensi omnes ad Jus Culmense addicti, & privilegiati cum suis bonis & facultatibus ab omnibus injustis angariis & coactis hospitationibus, etiam aliis illegitimis exactionibus liberi pronunciati sunt. Ideo nec oneribus Podwodarum, neque aliis Targowe & his similibus præangariis Cives in Civitatibus, tum quibuscunque laboribus rusticis vulgo Szarwarki dictis angariari vel opprimi debent. Ex Constit. Sigismundi III. Anno 1537. Revis. l. 1. t. 4. art. 1.

BENHAZA.

1. Benhazæ nullibi sunt tolerandæ.

UT opifices Civitatibus, ita & Civitates cum illis crescant, antiquitus ordinatum est ut in pagis & suburbiis sub arcibus sitis, vel alioquin in fundo Castrensi, nullus opifex, alias Benhaza tolerari debeat. Si vero sit unus ex Nobilibus, qui aliquo magistro opifice, vel ejus Sodalitio indigeat, licitum illi sit, talem ex Civitatibus ad se postulare. Sin vero quis in fundo Castrensi, vel alias in provincia opificium suum exercere velit, id a Contuberniis hujusce opificii in Civitate contigua Contubernium solito modo postulare debet, & virtute hujus opificii legibus subjacere. Revis. l. 1. t. 7. art. 1.

Dwużenstwo

BIGAMIA.

1. Pœna bigamiæ.

QUi, cum uxorem haberet, aliam insuper illa vivente in matrimonium duxerit, capite mulctator. Emend. l. 5. c. 56. Revis. l. 5. p. 2. t. 8. art. 5.

BOM-

Driuta **BOMBARDA.** Vid. supra Arma.

BRODNICIUM.

IN Terra Michaloviensi septimana una semper post Culmensia Judicia, & alternatim Brodnicii & Neofori Judicia Terrestria sunt celebranda. Jus Terrestr. t. 5. §. 23. 1. Quando Judicia Terrestria celebrantur.

BRAXATIO.

NUllus Capitaneus, Tenutarius vel Administrator bonorum Regalium in terris Prussiæ cerevisiam braxare debet, solummodo ad mensæ suæ & villarum Regiarum necessitatem. Propinare vero & in tabernas distribuere nullus præmemoratorum præsumat, verum usus tabernarum iste & propinatio perpetuis temporibus penes Civitates permanere, neque illa ullo prohibitorio, interdicto, vel alio quocunque modo, nullis coactis gravaminibus impediri debet. Cauponarii & rustici in pagis a braxatione cerevisiæ penitus abstineant, idcirco etiam nullæ domus braxatoriæ in pagis existere debent, nisi qui antiquitus vigore terrestris ordinationis ad ejusmodi usum braxatorium prætensum Jus habent, quod tantum ad necessitatem suæ tabernæ, & non cum tonnis mediastinis, vel integris extradatur cerevisia, intelligendum est: eo quoque modo, ut hic ille cum Civitatibus adjacentibus, secundum illorum ordinem, quo ubique utuntur, in eadem braxatoria Jura componat. Quod post præmoratum tempus obtentum est, per hoc nullum præjudicium Jurium Civitatum redundare debet. Vini utique cremati braxatio & propinatio Capitaneis & Administratoribus bonorum Regalium, simili modo interdicta & prohibita sit. Nobilibus vero, vigore prædictæ ordinationis, prout hactenus, ita & inposterum liberum sit in proprias hæreditarias tabernas cerevisias braxandi, ex proprio illorum germine, & ex eo, quod census nomine & loco a subditis suis percipiunt, taxatio vero seu

1 Solis Civitatibus braxatio & propinatio est concessa.

2. Cremati braxatio & propinatio.

3. Taxatio cerevisiæ.

ſeu æſtimatio cereviſiæ in Civitatibus a Senatu Civitatis, in provinciis vero a Conſiliariis Terreſtribus, in Conventibus ordinariis fieri debet. Ex Conſtit. Sigiſmundi III. Anno 1542. Reviſ. l. 1. t. 6.

BURGGRABIUS.

1. Quando Scabino Burggrabio ſententiam ad invenire ſteneantur.

2. Quomodo Judex inique judicans coram Burggrabio conveniatur.

NEque Burggrabio, neque Prætori ullus Scabinorum extra Judicium bannitum ſententiam adinvenire aut ferre tenetur, niſi in caſibus recentis facti. Correct. l. 2. c. 10. Si Prætor quempiam in actione proſequenda impediverit, vel Jus non adminiſtraverit, ſiquidem hoc per injuriam admittat, ac eam ob rem coram eo, qui vices Principis gerit, teſtibus præſentibus conveniatur, oportet, ut Conventus itidem teſtium adminiculo Judicium, quo minus illi fraudi ſit, evadat. Sin autem in Jus Civile vocetur fortius dicemus, ut Judicii teſtimonio convinci, quam aliis teſtibus liberari poſſit. Sin autem is, qui paſſus eſt injuriam teſtibus renunciet ſuis & religioni Prætoris, quatenus ſibi conſcius ſit, cauſam committat, Prætoris religioni ſtandum erit, ut per Jusjurandum ejus transactum videatur. Cum Prætor hac de cauſa coram Burggrabio in Jus vocatur, incontinenti reſpondeto, ſic ut ibi rite Jus conſtitutum ſit. Præſentem enim ipſummet oportet eſſe, niſi legitimum cauſetur impedimentum, quod e veſtigio probandum eſt. Si non probet, ſed per injuriam recuſet, neque Juri parere velit, ei qui vices Principis ſuſtinet, ob injuriam in eum commiſſam, Prætor in mulctam 10. librarum æris, quæ 13. marcas & 20. ſolidos monetæ Prutenicæ adæquant, damnatus eſto, & in ſolutionem debiti, cujus cauſa Jus denegaverat actori condemnetur. Quam diu debitum non exegerit, nec ipſemet ſolverit, nec proximo Judicii die actionem a ſe propulerit, interim illi Jurisdictionem in quempiam exercere fas non erit, priusquam ea ſe cauſa liberaverit uti præmiſſum eſt. Sin autem agatur de maleficio, cujus vindicandi cauſa Prætor Jus dicere noluerit, utputa de homicidio, furto, ſacrilegio, latrocinio, incendio, rapina

vel

vel aliis ejus generis facinoribus quæ capitalia sunt, eandem pœnam Judex sustinebit, quam accusatus perferre debuisset; neque hoc casu damni æstimatione vel mulcta effugere poterit, quatenus in ejusmodi causa neglecti Officii Juris ordine convincatur &c. Emend. l. 2. c. 16. Correct. l. 2. c. 43. Nemo alium impediat aut obtundat in loco Judicii, clamando, cursitando, convitium vel aliud quidpiam illiberaliter aut impudenter agendo, quod cum actione ejus damno vel præjudicio sit conjunctum. Si quis secus maligno studio fecerit, ob eamque rem Judicis vel Scabinorum duorum testimonio convictus sit, injuriam læso, mulctam Judici luat. Si præsente Burggrabio deliquerit, trium librarum, si præsente Prætore, octo solidorum mulcta esto. Ex quacunque causa Actor damni vel injuriæ æstimationem adjudicatam obtinuerit, ex eadem etiam Prætor suam mulctam recte vindicabit. Emend. l. 2. c. 17. Correct. l. 2. c. 44. Mulcta & Wergeldum Burggrabii intra sex septimanas exsolvi debet. Correct. l. 2. c. 24. Qui Principis vicem gerit, & cæteri Magistratus in causis ex malo proficiscentibus, mulctam nullam exigunto, priusquam mulctæ modus Judiciali cognitione definiatur. Si quis autem in Judicio constituto sua sponte sibi cujusvis facti mulctam indixerit, eam sufferat, quatenus ejus facultates patiantur. Emend. l. 2. c. 20. Correct. l. 2. c. 33.

3. Si aliquis alium in Judicio præsente Burggrabio turbet obtundet aut injuriis afficiat.

4. Quo tempore Burggrabio sit exsolvenda.

5 Burggrabio ultra modum mulctæ nil exigito.

CADUCA.

SI hæreditas vacat, sic ut intra diem annuam nemo petat vel adeat, ea ad potestatem Regiam devolvitur. Emend. l. 3. c. 49. Correct. l. 4. c. 55. Revis. l. 3. t. 9. art. 18. Privil. Incorporationis terrar. Prussiæ D. Casimiri Ao. 1454. de naufragio.

1. Caduca ad Regem pertinent.

CÆDES, Vid. Homicidium. *mężobójstwo*

CALUMNIA. Stuart

1. Juramentum Calumniæ.

FActa litis conteſtatione & Judiciali cognitione ad conteſtatam litem acceptata, tunc Juramentum calumniæ ubi ab una vel altera parte petitum eſt, de Jure adjudicari, & in eodem vel proxime ſequenti Judicio ſequentem in modum jurari debet: Ego N. N. juro me credere, nec aliter ſcire vel intelligere, veram, bonam, juſtam & æquam cauſam habere, nullam etiam malitioſam aut periculoſam dilationem vel propoſitionem deſiderare, ſive fruſtraneam remiſſionem, probationemque attentare vel quærere velle; & quoties in Jure interrogatus fuero, veritatem non celare, nec falſam probationem uſurpare volo; ut etiam ob cauſam nemini, niſi Jus admiſerit, quidquam dederim, vel repromiſerim, aut in futurum dare, donare, vel ſingularia pacta alicui lucro ſimilia, ratione hujus cauſæ obtinendæ, inire velim; omnia fideliter & minus periculoſe, ut me Deus adjuvet, & ſanctum ipſius verbum. Quando principales perſonæ in loco præſentes ſunt, tunc ipſimet in perſona præſtare debent; Si vero illorum unus vel plures abſentes fuerint, tunc illorum Mandatarii virtute commiſſi ſibi mandati jusjurandum illud, in eorum propriam & Principalium ſuorum animam ad jurandum admitti debent. Actor, a quo illud Juramentum calumniæ exigitur, jurare tenetur, ſin minus fecerit, tunc in amiſſione ſuæ cauſæ & actionis condemnari debet, acſi intentionem confeſſus & convictus fuerit. Quod ſi etiam evenerit, ut Advocatus ex propoſito & Parti adverſæ in præjudicium & faſtidium malam & injuſtam cauſam defendendo huic inſervire præſumpſerit, tunc in cognitione Judicii ad juſtam Partis inſtantiam perſiſtere debet, nec non pro qualitate productæ ſuſpicionis illi Juramentum calumniæ imponendum ſit, hoc modo: Quod in conſcientia ſua, cauſam in qua patrocinatus eſt, pro ſua intelligentia, tanquam directam & juſtam æſtimaverit. Quod Jusjurandum etiam in propria perſona in Judicio jurare, vel a cauſa iſta deſiſtere tenebitur. Reviſ. l. 2. t. 11. Plura vid. Convitium, Injuria.

CAME-

CAMERA MERCATORIALIS,

Vid. Mercator,

CAPITANEUS, Starosta.

PAlatini & Capitanei citati, tam in Judicio Terreſtri, quam Conventuum publicorum, reſpondere ſint obligati: exceptis actionibus ſuper bonis Noſtris Regalibus emergentibus. Capitanei autem juxta continentiam Privilegii terrarum Pruſſiæ, ſint indigenæ poſſeſſionati, ratione quarum poſſeſſionum, ſi bona terreſtria fuerint, Judicio Terreſtri ſint ſubjecti. Vid. Conſtit. D. Sigiſmundi ab Anno 1538. §. 5. Reviſ. l. 2. t. 7. art. 4. In executione ſententiarum adjungant ſibi Palatini, nullo alio mandato excepto, Capitaneos, aut etiam ſi neceſſitas exegerit, omnibus & ſingulis Vaſallis Noſtris, ſeu Nobilibus illius Palatinatus, quod ad aſſiſtendum illi ſub Jurisjurandi debito, & amiſſione Feudorum obligatos eſſe decernimus. Si vero majori potentia ſit opus, negotium ad Nos referri volumus, ut opportunis rationis rebus provideamus. §. 11. l. c. Statuimus præterea, ut nullus Capitaneus, Nobilis, Civis aut quivis alius, cujuscunque conditionis exiſtat, perſonis, caſtris, domibus aut poſſeſſionibus alicujus ullam violentiam inferre, incurſiones facere, in publicis ſtratis inſidias ponere præſumat, ſuper his convictus, juxta antiquum Plebiscitum Terræ Culmenſis capitali pœna puniatur. §. 14. l. c. Non Palatini, Capitanei aut Nobiles alter in alterius fundo, absq; voluntate Domini fundi, venari, nec in ſylvis feras domare & cicurare debet, quod Klupffen vocatur, ſub amiſſione rerum, equorum & curruum. Et item ut Palatini & Capitanei, quisque in ſuo Palatinatu & Capitaneatu diligenter fines terrarum obſervet, ne prædones & graſſatores ingrediendo & egrediendo impune graſſentur. §. 22. & 24. l. c. Reviſ. l. 1. t. 2. art. 6. Nullus Capitaneus, Tenutarius vel Adminiſtrator bonorum Regalium in terris Pruſſiæ cereviſiam braxare debet, ſolummodo ad menſæ ſuæ & villarum Regiarum neceſſitatem. Pro-

1. Palatinorum ſorum, ſint poſſeſſionati & Indigenæ ut & Capitanei.

2. Palatinorum executio cum adjunctione Capitaneorum.

3. Capitanei coercere debent omnes violentias, invaſiones & inſidias in ſtratis publicis.

4. Palatinis & Capitaneis in alterius territorio venatio interdicitur, eisque eſt injunctum ſui Palatinatus fines obſervare ne prædones graſſentur

5. Capitaneis

propinatio interdicitur. Propinare vero & in tabernas distribuere nullus præmemoratorum præsumat, verum usus tabernarum iste & propinatio perpetuis temporibus penes Civitates permanere, neque illa ullo prohibitorio, interdicto, vel alio quocunque modo, nullis coactis gravaminibus impediri potest. Vini utique cremati braxatio & propinatio Capitaneis & Administratoribus bonorum Regalium, simili modo prohibita & interdicta sit. Revis. l. 1. t. 6. Ex Constit. Sigismundi III. Anno 1542. Vid. plura Castrum.

CAPTUS MENTE.

MEnte captus & furiosus pro commisso facinore tantum civiliter conveniri potest. Emend. l. 2. c. 19. Mente captis non licitum est condere testamenta. Revis. l. 3. t. 8. art. 1.

obrywka CAPTURA. Vid. Arrestum.

CAPUT.

1. Caput vulneratum. QUi in summa capitis parte vulneratur, punctim vel cæsim, vel teli ictu quo craneum lædatur, sic ut intra cutem & calvariam vulnus descendat, & satis alte inflictum appareat, vulnus hujus generis atrox censetur & 12. marcis æstimatur. Cum craneum ictum vel attritum vel perforatum est, ut oculis id appareat, vulneris Jure censetur. Em. l. 5. c. 24. Correct. l. 3. c. 7.

Więzienie CARCER. Vid. Arrestum.

D. CASIMIRUS REX.

Privilegium Terrarum Prussiæ a D. Casimiro Poloniæ Rege, earum incolis, cum excusso Cruciferorum jugo, in

in ſua eſſent poteſtate, & ſpontaneam deditionem fecisſent, conceſſum.

Privilegium incorporationis.

IN nomine Domini Amen ! Ad perpetuam rei memoriam, Nos, Caſimirus Dei Gratia Rex Poloniæ, nec non Cracoviæ, Sandomiriæ, Siradiæ, Lanciciæ, Cujaviæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæque, Culmenſis, Kynsbergenſis, Elbingenſis & Pomeraniæ Terrarum Dominus & Hæres : Benignitas Regalis excellentiæ Noſtræ, quam illi propitia inſpirat Divinitas, & naturalis originaliſque præſtat inſtinctus, etſi univerſos, juſtum præſidium noſtrum & tutelam expetentes, in ſinum miſerationis & protectionis ſuſcipit ; ad illorum tamen profectus, defenſionem & commoda inclinatur uberius, qui erga Nos & Regnum Noſtrum tam fervido cordis feruntur affectu, ut calamitates oppreſſionesque ſuas hactenus illis regentium tyrannide multifarie illatus, non per alterius, niſi per Noſtram dextram credant facilius reſcindi, nec cujuſpiam throno, quam Noſtro, a quo priſcis temporibus illicita alienatione exciderant, juſtius poſſe & regi & contineri, non tam ſuperbo & avaro, quam injuſto renunciando imperio ; Talium, ſiquidem firma conſtantia fidesque ſincere non ſolum dignis laudum præconiis attolli, verum etiam Regalium meretur & debet beneficiis compenſari. Significamus itaque univerſis tam præſentibus quam futuris, qualiter, etſi Prælatorum Spiritualium & Secularium, Magnificorum, Strenuorum, Nobilium, Militarium & Prudentium, videlicet Terrigenarum, Civium & univerſæ Communitatis Terrarum Pruſſiæ Culmenſis, Kynsbergenſis, Elbingenſis & Pomeraniæ, crebris precibus & legationibus ſuperioribus temporibus fuiſſemus rogati, quatenus Ipſos in eorum Juribus, libertatibus, immunitatibus & Privilegiis, & ſignanter in Unione & Liga, per Ipſos rite & ſincere inita & condita, per Magiſtratumque & Ordinem Pruſſiæ admiſſa, ad cujus enervationem & violationem Magiſter & Ordo variis viis, coloribus & violentiis hactenus uſus eſt, in quorum firmitate vel collapſu fœdus pacis perpetuæ, cum Magiſtro & Ordine Cruciferorum Sanctæ Mariæ de Pruſſia, per Germanum Noſtrum

Divæ

Divæ memoriæ Sereniſſimum Principem Dominum Wladiſlaum, Poloniæ & Hungariæ Regem firmatum, ſubſiſtentia vel dependet ruina, & quod præfatus Magiſter & Ordo, Liga & Unione eorum demolita, dirumpere, novaque bella Nobis & Regno Noſtro inferre deſtinabant, Ipſosque Militares & Cives injuſta ſecum gerere bella impellebant, manutenere & defenſare dignaremur: Aſſerentes, ſe jugum oppreſſionum, calamitatum & gravaminum, hactenus a Magiſtro & Ordine cervicibus eorum violenta tyrannide innexum, & præfatæ Unionis & Ligæ rupturam nullatenus, niſi proviſio Noſtra, qui Ordinis illius fundator, dotator & Patronus ſumus, celeriter intervenerit, toleraturos. Nos tamen nullum eorum calamitati præſtandum cenſuimus ſuffragium, ſed Parti utriq; reconciliationi perſvaſimus eſſe inſiſtendum, ne alere oriens incendium videremur. Verum cum temporis proceſſu differentia partium adeo creſcendo invaleſceret, ac Prælati Spirituales & Seculares, Militares, Terrigenæ & Cives Terrarum prædictarum, ſpe extrema deſtituti, & injuriarum magnitudine preſſi, violentis Dominis, Jura & Privilegia atque immunitates eorum pro lubitu frangentibus, nullatenus ſibi de cætero parendum duxerunt, ſed legibus Divinis & humanis innixi, quæ injuſtis Dominis, ſcelus & nefas agentibus, nullatenus parendum decernant: Obedientia & ſubjectione Magiſtro & Ordini ſubtracta, Nos per Magnificos & Spectabiles Milites Prudentesque Viros, Johannem de Bayſen, Auguſtinum de Schewe, Gabrielem de Bayſen, Nicolaum de Wolkowo, Judicem Dirſchovienſem, Laurentium Czeitz Culmen. Ruthigerum de Bircken Thorunen. Laurentium Pilgrim Elbingen. PræConſules, Johannem Call Brunſparienſem, Gregorium Schwach Crolowgroden. Nicolaum Rodeman de Knipow, Wilhelmum Jordan, Militem, & Johannem Meidburg Gedanenſes Conſules, ambaſiatores & nuncios ſuos cum pleno mandato & legatione ad Nos transmiſſos novis precibus & legationibus ſollicitarent, quatenus non jam tantum eorum defenſioni, quantum gubernationi & regimini inſiſtere, deditionemque eorum, ſubjectionem, fidelitatem &

& perpetuam obedientiam, quam Nobis suo & omnium Prælatorum Spiritualium & Secularium, Militarium, Terrigenarum, Civium & Incolarum Universitatis totius terrarum prædictarum nominibus obtulerunt, suscipere, velut legitimus, justus & verus Dominus & Hæres Terrarum prædictarum, ac Terras præfatas ad naturam & sortem suam redeuntes, Regno Poloniæ, a cujus corpore nova & recenti memoria, contra Jus fasque sequestratæ fuerant, incorporare, reunire, appropriare atque consociare, & consolidare dignaremur; Alterius Principatum & deditionem, si regimen, si imperium, non tam per eos Nobis delatum, quam redditum, abjici contingeret, quæsituri. Nos superiora cogitatione & animo revolventes tempora, quibus nonnullæ ex Terris prædictis per Reges & Principes Poloniæ Jure legitimo & Hæreditario possessæ, tandem Prædecessori Nostro Wladislao Regi Poloniæ, bello cum finitimis & infidelibus occupato, vi & armis per Magistrum & Ordinem Prussiæ abstractæ, nunquam Juris & proprietatis Regni Nostri Poloniæ esse desiderant; Quemadmodum aliquot Sedis Apostolicæ Delegatorum, Terras ipsas Regno Poloniæ adjudicantium, definitivæ sententiæ infallibili concludunt argumento: Revolventes insuper, Magistrum & Ordinem Prussiæ a Prædecessoribus quondam Nostris Poloniæ Principibus & Dominis ad impugnationem infidelium accersitum, institutum & dotatum, magis fidelium & præsertim eorum Principum, quorum beneficio instituti dotatique erant, quam barbarorum & infidelium impugnationi, contra quos se indefesse militaturos, patentibus literis adstrinxerant, vacavisse, Terrasque eorum usurpasse; Nec juxta professionem religionis suæ contra infideles Tartaros aut Turcos, Catholica Regna & Dominia infestantes, quamvis eorum crebro expetitum fuisset auxilium, militasse, sed & insuper Poloniæ cum Tartaris aliisque infidelibus bella gerentes, a tergo invasos a gerendo bello in præsens & posterum cum infidelibus avertisse, & suspicionem belli ab illis imminentis veritos, potentiis distractis & contra illorum insidias relictis, vacare infidelium impugnationi nullatenus,

ficut expediebat Chriſtianæ fidei, potuiſſe. Quam inſuper fragili & fluxa fide erga Clariſſimum Genitorem Noſtrum Dominum Wladislaum Poloniæ Regem fuerint, quater per ipſos rapta violataque fœdera, totiesque Regno Poloniæ per eos illata arma, quibus Regnum Poloniæ in ſuam redigere ditionem deſtinaverant, niſi cladibus multiplicibus obruti domitique fuiſſent. Nec unquam illis voluntatem Nos & Regnum Poloniæ laceſſendi, ſed facultatem defuiſſe, petita per illos a Carolo Baſilien. & Sede Apoſtolica, de rumpendo fœdere ultimo cum Regno Noſtro ſancito, licentia demonſtrant. Silentio tegere non poſſumus injuriam Magiſtri & Ordinis Pruſſiæ in exigenda a mercatoribus ſubditisque Noſtris Dacia Funthe-Zoll, quæ, licet ex fœdere exigi a Noſtris transmaritimisque mercatoribus non debebat, ſi Pruſſiæ mercatores ab illa ſolvi quoquo modo contigiſſet. Continuata tamen fuit pluribus annis hujusmodi in Noſtris transmaritimisque mercatoribus exactio, Pruſſiæ mercatoribus illius obtinentibus in notabili parte relaxationem. Portiones & ſortes terrarum Regni Noſtri Poloniæ & Ducatus Magni Lithuaniæ, priſcis temporibus per Magiſtrum & Ordinem occupatas, non ſolum Nobis, Regno Poloniæ, & Ducatui Magno Lithuaniæ juxta fœderis ordinationem, Magiſter & Ordo Pruſſiæ non reſtituit, ſed inſuper plura & ampliora occupavit. Accedit triſtis horrendæque Tyrannidis memoria, Civium de Choſczno, qui in præterito bello in fidem Patris Noſtri conceſſerant, ſæva clades & trucidatio, quorum a ſe defectionem nedum ferro aut mucrone, ſed nec aliquo levi verbo aut memoria ullo unquam tempore ſe Juramento corporali & literis repromiſerunt, per fœdus ultimo cum illis ictum, & quod ſolo hujusmodi execrando ſcelere publice violarunt, mulctaturos. Quo non contenti, Mercatorem Virum, Moſzier, ex eo, quod navigiis per flumen Wisla in Cracoviam merces devexerat, capitali damnaverunt ſententia, ne memorabilis ſui facti exemplum cæteros in ſequelam ſimilem traheret, ſed potius ſæva mulctatio quoslibet deterrendo profectum Regni Noſtri aboleret. His itaque & pluribus

ribus aliis evidentibus legitimisque reſpectibus perſvaſi, admoniti atque inducti, communicato cum Prælatis, Principibus, Baronibus, cæterisque Regnorum & Dominiorum Noſtrorum conſilio, ac de eorum expreſſa voluntate, approbatione, gratificatione & conſenſu, ne Divinæ voluntati, quæ hæreditatem Noſtram occupatione illicita ſolvendam, Nobisque reddendam pia miſeratione cenſuit, videamur reſiſtere, & calamitoſis afflictisque ſubditis Noſtris opem Noſtram implorantibus deeſſe, veritique ne Dominia, ſortes & terras & hæreditates Noſtras alius illicitus occupator Tyrannusque, ex quo Nobis hoſtilitas major conſurgeret, invadat, ad honorem omnipotentis Dei, ejusque Genitricis Virginis Mariæ, S. Adalberti Martyris, S. Stanislai Protomartyris Poloniæ ac totius Jerarchiæ cœleſtis, præfatorum Prælatorum Spiritualium & Secularium, Militarium, Civium, Terrigenarum & omnium Incolarum Terrarum Pruſſiæ, Culmenſis, Kynsbergen. Elbingen. & Pomeraniæ, in terra marique ſitarum, benevolam & ſpontaneam deditionem, regimen, tutelam, gubernationem, ſubjectionem, obedientiam, accepimus, aſſumpſimus, tenoreque præſentium, non per errorem aut improvide, ſed de certa Noſtra ſcientia & voluntate, in Dei nomine aſſumimus & acceptamus, Terrasque & Dominia prædicta Regno Poloniæ reintegramus, reunimus, inviſceramus & incorporamus, & ad uſum, participationem omnium bonorum, Jurium & libertatum & Prærogativarum, quibus Prælati, Barones & Nobiles Regni Poloniæ, hactenus potiti ſunt. Et ſignanter ad futurorum Regum Poloniæ, quotiescunque ſuper Electione & Coronatione illorum fieri deliberationem contingat, ad Electionem & Coronationem admittimus, annectimus & includimus: Promittentes pro Nobis, Hæredibus & Succeſſoribus Noſtris, ac univerſo Regno Poloniæ, quod prædictas Terras & Dominia, atque Prælatos Spirituales & Seculares, Barones, Militares, Nobiles, Cives, Oppidanos & cujuscunque conditionis, ſtatus & præeminentiæ homines exiſtant, hactenus in illis commorantes & inpoſterum commoraturos, favore, gratia,

benevolentia, & affectione Regali prosequemur, & contra quascunque adversitates, impugnationes, quorumcunque hominum, illis præstabimus, velut fidelibus & subditis Nostris, Regalem assistentiam & defensam. Nec illos aut Terras prædictas a corpore & integritate Regni Nostri Poloniæ alienari, sequestrari, aut scindi patiemur. Promittentes insuper pro Nobis, Hæredibus & Successoribus Nostris, quod præfatos Prælatos, Spirituales & Seculares, ac Sacras ædes ac Ecclesias, Barones, Nobiles, & Cives atque singulos Incolas Terrarum Nostrarum prædictarum Prussiæ, in juribus, libertatibus, literis, Privilegiis, immunitatibus eorum, quæ a Principibus Spiritualibus & Secularibus, Regibus & Dominis Terrarum prædictarum obtinent, conservabimus, fovebimus, defendemus, nec unquam ea violabimus aut prævaricabimur, aut violari aut prævaricari quomodolibet, permittemus. Si autem alicui Civitati, vel privatæ personæ privilegium amissum fuerit, aliud de consilio Consiliariorum Terrarum illarum gratiose dabimus & largiemur, dummodo in hæreditatis & bonorum, quorum a Nobis petetur literalis innovatio, petens fuerit in pacifica, continua & præscriptionem habente, possessione. Ut autem Nostræ liberalitatis, æquitatis & Justitiæ dextram, his subjectionis eorum & Nostræ acceptationis felicibus, dante Domino primitiis, sentiant in universos & quemlibet eorum effusam, & in mutatione Principum, commutatam etiam & sublatam deprehendant oppressionem, Daciam, quæ in vulgari Funthe-Zoll dicitur; Item alia omnia telonea in aquis & terra, nova aut antiqua observantia, in terris duntaxat prædictis Prussiæ quomodolibet constituta: Item in terra Pomeraniæ exactionem sive Daciam, quæ Porcus, alias Narzasz, veteri institutione Ducum Poloniæ vocabatur, Regia Munificentia tollimus, abrogamus, deponimus, ac solutionem illarum perpetuis temporibus resolvimus, dimittimus & relaxamus, nullo unquam tempore per Nos & Successores Nostros Poloniæ Reges, ex quacunque causa aut occasione instituendam aut imponendam. Item licet Magister & Ordo tempore occupationis terra-

terrarum prædictarum omnia bona & merces, quarumcunq; materiarum, divina permissione naufragium in mari passorum, velut propria ex naufragio, quasi Juris sui facta occupabant: Nos tamen, qui Rex Catholicus sumus, sortem hujusmodi naturali & Divino Jure, sedisque Apostolicæ decreto damnatam, velut crudelem & injustam execramur, pollicemurque quod res & bona, cujuscunque ponderis & valoris existant, earumque personarum, quæ maris naufragio periclitabuntur, nunquam per Nos aut Officiales Nostros, velut Nostras aut Juris Nostri petemus aut requiremus, sed illas absque diminutione per eos, quorum ante Naufragium fuerant, aut eorum propinquiores, demonstratione evidenti propinquitatem probantes, colligendas, & in usus beneplacitos decernimus convertendas: Contrariæ consvetudini aut Juri, vel potius corruptelæ, pro Nobis & Successoribus Nostris renunciando, nisi forte nullus bonorum hujusmodi extaret justus Hæres & Successor, quoniam in casu illo bona ex naufragio habita, Nostræ volumus potestati subjacere. Item omnes Prælatos, Militares, Nobiles, Cives & Incolas terrarum prædictarum in Jus, conditionem & proprietatem Regni Poloniæ translatos & inviseeratos, hac etiam prosequemur Prærogativa, quod dignitates & officia hactenus illic consistentia, & inposterum constituenda: Item Castra & Tenutas Civitatum & locorum in terris prædictis, nulli extraneo aut forensi, sed proprio indigenæ, juxta observantiam aliarum terrarum Regni Nostri, conferemus. Item omnes casus notabiles, dictas terras concernentes, cum communi Consiliariorum Spiritualium & Secularium, Nobilium & Civitatum Majorum Consilio terrarum prædictarum terminabimus, tractabimus & definiemus. Item terras prædictas sub Nostro Regimine & Regni Poloniæ corpore consistentes, in suis antiquis gradibus, limitibus & terminis conservabimus, tuebimur & defendemus, nec terminos & gades terrarum ipsarum in aliquo diminui vel periclitari, velut Regni Nostri partes individuas, ullatenus patiemur. Item cum terræ ipsæ & homines ipsas incolentes, variis hactenus legibus sive

ſive Juribus, videlicet Magdeburgenſi & Culmen. Polonicali hæreditario & Pruthenico, in decidendis quibusvis eorum quæſtionibus & adminiſtratione Juſtitiæ utebantur, quod etiam illis ſub Noſtro Principatu & regimine volumus eſſe firmum & perenne: ea licentia attributa, ut liceat cuicunq; de uno Jure in aliud, ſine tamen aliorum præjudicio, quo voluerit, transmigrare. Item cum monetæ juſtam & fidelem ligam pondusque habentis cuſio terram quamlibet & nobilitet & fœcundet: Volumus in quatuor locis terrarum prædictarum, videlicet in Thorun, Gedani, Elbing & Kynsberg, duntaxat gwerra præſenti durante, fidelis & juſta, imaginem Noſtram & ſubſcriptionem Tituli Noſtri continens, moneta cudatur, præfatorum Prælatorum Spiritualium & Secularium, Militarium, Civium, Terrigenarum Terrarum prædictarum impenſis. Pace autem, Domino ſuffragante, habita, tantum in Thorun & Gedani, ſine præjudicio Privilegii Thorunienſis Civitatis, Noſtris Regalibus cudatur impenſis; proviſo tamen, quod moneta ipſa in pondere & grano & liga debita nullatenus minuatur. Item quia Nos pro bene gerendis rebus Dominiorum Noſtrorum in varia ſæpe loca & a terris prædictis diſtantia, neceſſe eſt facere deſcenſum. Ne igitur per Noſtram abſentiam Terræ ipſæ aliquod contrahere poſſent periculum vel periclitationem: Nobiles viros pro illius tuitione & gubernatione, de eorum legalitate, fide & merito confiſi, ad Noſtræ duntaxat beneplacitum voluntatis, ac cum conſilio Prælatorum, Conſiliariorum, Civitatum Majorum, prædictæ terræ, deputabimus, ad quos in Noſtra abſentia ſuper quolibet defectu & eventu habeatur recurſus, providentia, proviſione & auctoritate illorum ſupplendus & emendandus. Item Mercatoribus terrarum prædictarum Pruſſiæ in Regnum, Ducatus & Dominia Noſtra venientibus, hanc libertatem & prærogativam de cœtero volumus conſervari, ut quoties illos in quæcunque loca, Civitates & oppida Regni & Dominiorum Noſtrorum venire cum mercibus eorum, cujuscunque ſpeciei vel materiæ exiſtant, contigerit: licitum erit eis hujusmodi merces in loca, teſtudines & came-

cameras, & tecta, quarum illis libera præstari debet arrendatio, deponere & pro suo arbitrio exponere in venalitatem, stratasque omnes versus Hungariam, Russiam, Moraviam, Silesiam, Austriam, Saxoniam, Wallachiam, depositis tamen teloneis, & stratis antiquis Civitatum Regni & Dominiorum Nostrorum semper salvis. Harum, quibus Sigillum Nostrum præsentibus est appensum, testimonio literarum. Actum Cracoviæ, feria quarta Cinerum, Anno Domini Millesimo quadringentesimo, quinquagesimo quarto: Præsentibus itidem Reverendissimis in Christo Patribus, & Magnificis Dominis Sbigneo Dei Gratia tituli S. Priscæ presbytero Cardinale, & Episcopo Cracoviensi, Johanne, eadem Gratia Sanctæ Gnesnen. Ecclesiæ Archi-Episcopo & Primate ejusdem: Johanne Wladislaviensi, Andrea Posnan. eadem Gratia Episcopis. Johanne de Cziszow Castellaneo & Capitaneo, Johanne de Tancz in Palatino Cracoviensibus, Luca de Gorka Posnan. Johanne de Oleszniċza Sandorien. Petro de Opporow Lanczicien. Nicolao de Scharley Bresten. Palatinis. Petro de Schamotuli Posnan. Predborio de Konieczpole Sendomirien. Castellanis. Petro Schaffranyecz de Pieschkowascala Cracovien. Michaele de Lasotky Lancicien. Succamerariis, & aliis complurimis Generosis & Nobilibus fide dignis ad præmissa testibus. Datum per manus Magnificorum Johannis Konyeczpole Cancellarii, & Petri de Sczekoczіny Vice Cancellarii Regni Poloniæ sincere Nobis dilectorum: Relatio Magnifici Johannis de Konieczpole Regni Poloniæ Cancellarii.

Sponsio reciproca quam in D. Casimiri Regis verba, Ordines Terrarum Prussiæ, pro temporum illorum conditione fecerunt:

IN nomine Domini Amen! Ad perpetuam rei memoriam, legum Divinarum humanarumque saluberrimæ sanctiones, instituta & decreta, quoslibet feudales & subditos jugum subjectionis & obedientiæ permittunt excutere, & in sortem regimenque justorum Dominorum se conferre, dum Recto- rum

2. Sponsio reciproca D. Sigismundo per Status & Ordines terrar. Prussiæ facta.

rum & Principantium temeritas, frenis laxatis licentiæ per quælibet devia & abrupta graditur, & manus non solum iniquas ad irrogandas injurias, sed etiam ad effundendum sangvinem innocentem cruentas immoderata audacia porrigens, quasi apud Deum ultionum omnis vindictæ ratio conquieverit, debacchatur. Sed neque ad culpam contumeliamque justus rerum æstimator retorqueat, sed potius ad providentiæ argumentum, si onere oppressionum subditi impulsi, opportuno justoque remedio, superbum, injustum atque avarum abrogent imperium, & in ditionem potestatemque alterius transmigrent, conditione actionum & temporum facultatem illis subministrante. Proinde nos Prælati, Barones, Militares, Nobiles, Cives, Oppidani & Incolæ Terrarum Prussiæ, Culmensis, Pomeraniæ & Michalovien. Status Ecclesiastici & Secularis, significamus tenore præsentium universis, tam præsentibus quam futuris; qualiter, etsi superioribus temporibus Proavi, avi & genitores nostri, & tandem Nos, graves innumerabilesque a Magistro & Ordine Prussiæ pertulissemus oppressiones: dum non solum Magister, sed & sui commendatores in Nos defæviendo, plerosque ex nobis nullo Jure servato, capitibus plecterent, alios proscriberent, alios bonis temporalibus mulctarent: & quod dictu quoque nefas est, conjuges & filias nostrarum stupris & adulteriis violentis vitiarent, in quosdam ex nobis, ut trucidaremur, ut venundaremur, caperemur & depactaremur, facultatem conferendo, totque cogebamur recognoscere & profiteri Dominos superbe avareque nobis imperantes, quot Terra Prussiæ gessit Commendatores, cum unusquisque eorum plenam principandi & imperandi apud se consistere arbitrabatur potestatem. Quidem inflati licentia, obliti professionis, quæ contra infideles militare spospondenant, nulla offensa aut injuria provocati, in Reges Principesque Poloniæ, quorum beneficio accersiti ad impugnationem infidelium dotatique & instituti, fuerant, arma convertebant, fœdere primum cum D. Casimiro, deinde cum D. Wladislao Regibus Poloniæ per illos quater firmato, & toties violato, Regni Poloniæ terras, nisi cladi-

cladibus domiti fuissent, decreverant occupasse: cogentes Nos ad gerendum secum injusta bella, licet nobiscum nunquam rem integram communicati fuissent, cum illos ad illa obeunda, alienos fines occupandi fames aut livor fastusque, non justa causa, urgeret: in quibus clades, orbitates, fortunarumque & rerum nostrarum periclitationes illic exceptas tanto majore amaritudine prosequimur, quanto constat nos imperio præsidum nostrorum coactos, non corporum solum & rerum, sed etiam animarum nostrarum, per injustas acies sæpius contraxisse discrimen, & capitibus nostris omne scelus injusti belli expiasse, Magistro & Ordine nostras clades magis ex arce spectantibus, quam relevantibus. Verum cum tot mala nullo termino aut spatio videremus finiri, atque nobis posterisque nostris majores calamitates, orbitates, Magistro & Ordine Prussiæ ad rumpendum cum Rege & Regno Poloniæ fœdus percussum ultimo corporali interposito juramento, a quo se absolvi Consilii generalis Basilien. & Summi Pontificis auctoritate multiplici instantia expetebant, & bellum de novo gerendum aspirante, parari: Ligam & Unionem omnem Justitiam æquitatemque redolentem, non quæ illis justam potestatem adimeret, se quæ injusta illos bella suscipere, & in Nos, absque Jure, denudato vacuo uti mucrone, nosque fortunis & rebus spoliare nostris prohiberet, inivimus: Hanc cum annis pluribus per Nos, Magistri & Ordinis consensu, ac imperialibus Privilegiis & confirmationibus desuper dotati, habuissemus in usu, observantia & Praxi, tanto ardore, cura & solicitudine, pro illius perpetua abolitione certatim non erubuerunt insistere, ut nos velut ethnicos hæreticosque coram Summo Pontifice asserent, & deinde ad Imperiale traherent Tribunal, non quo per abrogationem violationemque hujusmodi nostræ Unionis & Ligæ aliquid commodi aut profectus capesserent, sed ut eo liberius obstante illis nemine, execranda bella Regi & Regno Poloniæ cœterisque finitimis, nostris tandem cervicibus, ut sæpius alias accidebat, expianda moverent. Licet autem coram Tribunali Cæsareo comparendi nulla nos arctaret conditio

vel poteſtas, cum Imperiali ditioni nunquam nos remur ſubjectos eſſe; Ut tamen nihil reſtaret, quo noſtra argui poſſit Juſtitia, & pura, quam in his ad pacem reconciliationemque cum Magiſtro & Ordine gerebamus, intentio, accuſati Tribunal hujusmodi acceſſimus, & anno prope uno exacto, cum perſonarum noſtrarum ampliſſimo diſcrimine, in querelis propoſitionibusque & replicationibus verſati, licet cauſam pluribus Juſtificationibus fundatam haberemus: Tantus tamen favor Magiſtro & Ordini in pronuncianda Imperiali ſententia habitus eſt, ut Liga & Unio noſtra hujusmodi, pro qua omne certamen fuit exortum, inhibitione Cæſaris, per nos tanquam Jure arbitrario facta, rejecta caſſaretur. Magiſtro nihilominus & Ordine poſthæc inſtantibus, ut in ſexingentis florenorum millibus, Magiſtro & Ordini ſolvendis, & adeo Magiſtro & Ordini obnoxii fuiſſe & fore, juxta ac ſi pretio empti eſſemus, nova Cæſarea ſententia damnaremur, vigore cujus ad trecentorum ex nobis principalium capitalem trucidationem proceſſuros ſe, & ultionem quamlibet in nobis, velut ſervis empticiis & obnoxiis, ſumpturos, terrore publico & clamore diſponebant. Quæ quidem Cæſarea ſententia, & ejusdem Magiſtri & Ordinis Pruſſiæ inſtantia, ultra quoq; de nobis extendenda adeo nobis indigna, prout erat, viſa eſt, ut non viris modo ſed fœminis, non Catholicis ſed Scythis fœdum & intolerabile eſſet ad tantam obnoxietatem calamitatemque detrudi. Tot igitur & tantis pluribusque eas, quas, ut noſtro conſulamur honori, ſilentii tegimine, velamine, oppreſſionibus, oneribus gravaminibus atque injuriis laceſſiti, præſertim cum illas videremus infinitum trahi, & novo genere creſcere & augeri, ſuperbo, avaro & injuſto præfati Magiſtri & Ordinis dominio, authoritate & ſuffragio naturalis & humanæ legis, renunciavimus: omnem obedientiam, fidem & ſubjectionem, illis & cujuslibet eorum ſubtrahendo. Verum cum Regem & Coronam Poloniæ, præfati Ordinis Patronum, fundatorem & dotatorem, ac terras prædictas, videlicet Pruſſiæ, Culmen. Pomeraniæ & Michalovien. a corpore & proprietate Regni Poloniæ, præter

Juſti

Juſtitiam & æquitatem per vim & arma alienatas, conſtat extitiſſe, priſco noſtro capiti & primævo corpori, a quo exciderامus, poſtquam Juris noſtri eſſe cœpimus, illico nos reuniendos reintegrandosque cenſuimus: quo amplius liquere poſſet, renunciationem & ſubtractionem obedientiæ Magiſtro & Ordini, excutiendo tyrannicum jugum & ſuperbum avarumque præſidium, per Nos factam, non ſolum vendicationem libertatis, ſed juſtum Principatum, Imperium & Solium quæſiviſſe. In hunc itaque morem ad Sereniſſimum Principem D. Caſimirum, Dei Gratia Poloniæ Regem, Magnum Ducem Lithuaniæ, & hæredem Ruſſiæ & Coronam Poloniæ, in quos Jure Divino & humano præfatarum terrarum hæreditatem & omnimodam Succeſſionem comperimus devolutam, ſolennes noſtros Nuncios videlicet Magnificos Nobiles & Prudentes Dominos, Johannem de Bayzen, Auguſtinum de Schewe, milites: Gabrielem de Bayzen, Nicolaum de Wolkow Judicem Derſchovienſem, Laurentium Czeitz Culmen. Rudgerum de Bircken Thorun. Laurentium Pilgrim Elbing. Proconſules: Johannem Kal Brunsberg. Georgium Schwach Königsbergenſ. Nicolaum Rodmann de Kniphoff, Guilielmum Jordan militem & Johannem Meydeburg Gedan. Conſules. cum plena facultate transmiſimus, ac Suæ Majeſtati, & in ſuum Regalem Thronum, ſolitum, ditionem & poteſtatem terras prædictas Pruſſiæ, & Culmen. Pomeraniæ & Michalovien. & quascunque alias annexas, in terra & mari conſiſtentes, perſonas noſtras, caſtra, fortalitia, civitates, oppida, villas, res & fortunas noſtras, quæ hactenus in noſtra poteſtate ſunt, & in futurum erunt, dedimus & ſubjecimus, & præſentibus voluntarie & ſpontaneè damus perpetuo & ſubjicimus, Ipſum D. Caſimirum Regem Poloniæ pro unico juſto & legitimo Domino & Hærede ſuſcipimus, recipimus & acceptamus, ac nos & terras prædictas in Jus, ſortem, proprietatem & titulum Coronæ Poloniæ reintegramus, reunimus, incorporamus & inviſceramus: omnium Privilegiorum, libertatum, prærogativarum, Regni Poloniæ uſum & participationem: & ſignanter communem cum aliis Regnicolis

futurorum Regum Electionem & Coronationem habituri, ipſamque deditionem, ſubjectionem, ſuſceptionem, & obedientiam iterum atque iterum profitemur & innovamus: Subjicientes Nos terrasque prædictas in perpetuum D. Regis, & ſuorum Succeſſorum, & Regni Poloniæ ditionem, gubernationem, protectionem, poteſtatem, fidem, imperium & regimen: Promittentes pro Nobis, Hæredibus & Succeſſoribus noſtris, ſub fide & honore ac onere per Nos præſtiti Ju-Juramenti, quod præfato Illuſtriſſimo Principi D. Caſimiro Poloniæ Regi, & ejus Succeſſoribus Regibus Poloniæ, velut fideles & ſubjecti, quemadmodum cæteri ejusdem Regni Incolæ, parebimus, auſcultabimus & obediemus, fideliter & conſtanter, perpetuo & in ævum, Juribus noſtris ſemper ſalvis, in ipſiusque D. Regis & ſuorum Succeſſorum Poloniæ Regum ditione, poteſtate, gubernatione, ſubjectione, imperio & regimine ab hac hora & in perpetuum perdurabimus & conſiſtemus, nec ullo tempore Nos a Corona Poloniæ, cujus ſumus corpus individuum, ſcindi, ſequeſtrari, aut alienari permittemus, aut conſentiemus. Promittententes præfato D. Caſimiro Regi & ſuis Succeſſoribus Regibus Poloniæ, in omnibus felicibus, adverſis & quibuscunque caſibus, ope, præſidio, conſilio & auxilio, fideliter, contra quoscunq; eorum hoſtes & adverſarios, & quascunque perſonas Eccleſiaſticas vel Seculares, quacunque præfulgeant dignitate, communitates, univerſitates, & ſignanter contra Magiſtrum & Ordinem quondam Pruſſiæ, Almaniæ & Livoniæ fideliter, corpore, animo & rebus, cum effectu aſſiſtere, & bonum utile, commodum, honeſtum, ejusdem D. Caſimiri Regis, & ſuorum Succeſſorum Regum Poloniæ, juxta vires & potentias noſtras extremas, efficere, dirigere & procurare, nec unquam quocunque calore, arte, neceſſitate, caſu, opportunitate vel ingenio, præfatum D. Caſimirum Regem & ſuos Succeſſores, Reges & Coronam deſerere, aut in præjudicium, læſionem aut offenſam præſentis ſubjectionis & deditionis noſtræ, cum Magiſtro & Ordine olim Pruſſiæ, & Magiſtris Almaniæ & Livoniæ aliquos tractatus, reconciliationes, inſcri-

inscriptiones, amicitias, fœdera, colloquia vel sermones, absque Ejusdem D. Casimiri Regis Poloniæ speciali licentia vel consensu, inire per se vel quascunque submissas personas, directe vel indirecte, palam vel clandestine, absque dolo & fraude, sub fide & honore. Cui quidem Serenissimo Principi, D. Casimiro Regi Poloniæ quam primum feliciter Terras Prussiæ aut Pomeraniæ ingressus fuerit, ad Suam requisitionem, plene præstabimus, præstareque Nos adstringimus, fidelitatis, subjectionis & obedientiæ, perpetuo corporali interposito Juramento, homagium. Et quod jam in personis præfatorum Nunciorum nostrorum præstitisse Nos fatemur, & recognoscimus, & præsenti nostra inscriptione pro firmitate ampliori facimus & præstamus. Actum & datum in Thorun, feria secunda proxima, post Dominicam Ramis Palmarum. Anno Domini Millesimo quadringentesimo quinquagesimo quarto.

CASTRUM. Zamek.

Castra & Tenutas Civitatum & locorum in terris Prussiæ nulli extraneo aut Forensi, sed propinquo indigenæ, juxta observantiam aliarum Terrarum Regni, conferemus vid. Privileg. Incorporationis D. Casimiri Regis Anno 1454.

1. Castra tantum indigenis sunt deferenda.

Privileginm D. Casimiri Regis, quo non tantum ipse Rex, sed præcipue etiam ex Regni Senatoribus solenniter cavent, quod juxta prærogativam Ordinis Terrarum Prussiæ antea concessam, Castra & Tenutæ Civitatum atque locorum nullis extraneis, sed veris indigenis conferri debeant:

CASIMIRUS, Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæque Dominus & Hæres &c. Significamus tenore præsentium, quibus expedit, universis, quod, dum ex pluribus evidentibus & legitimis respectibus, Terras Prussiæ, Pomeraniæ &c. communicato Principum, Prælatorum, Baronum cæterorumque fidelium, novissime

Cracoviæ exiſtentium Regni, Ducatuum & Dominorum Noſtrorum conſilio, voluntate & conſenſu, in regimen, tutelam, gubernationem, ſubjectionem & obedientiam accepimus & aſſumpſimus, hanc ipſis prærogativam conceſſimus, quod Caſtra, Civitates & quæcunque fortalitia in terris prædictis exiſtentia, alicui extraneo aut Forenſi conferre non debemus. Ad præſens tamen certis reſpectibus moti, certa Caſtra in præmemoratis Pruſſiæ Terris exiſtentia, non ullis perſonis contra hujusmodi articulum ſuperius expreſſum, durante præſenti gwerra, & interim quoad Terræ Pruſſiæ non pacificabimus, dedimus contulimusque in regimen, tenutam & gubernationem. Ideo præſentibus in verbo Noſtro Regio ſpondemus & promittimus, quod pace, Domino ſuffragante habita, præſcripta Caſtra taliter per Nos in hactenus hujusmodi perſonis in regimen & tenutam collata, juxta tenorem & continentiam literarum Noſtrarum Cracoviæ Terris Pruſſiæ conceſſarum, illis conferemus, quibus conferri debent. Et quod etiam præſcriptis literis in omnibus earum punctis, conditionibus, clauſulis & articulis per hoc non intendimus, neque volumus in aliquo derogare, ſed ipſas ſanas, ſalvas, firmas & illæſas per Nos & Succeſſores Noſtros perpetuis temporibus tenere & obſervare, pollicemur, per præſentes, harum, quibus ſigillum Noſtrum præſentibus eſt appenſum, teſtimonio literarum. Et Nos Johannes Wladislavien. Andreas Poſnanien. DEI Gratia Epiſcopi, nec non Lucas de Gorka Poſnanien. Stanislaus de Oſtrorok Calliſien. Petrus de Opporow Lancicien. Nicolaus de Koſczelecz Wladislavien. Palatini; Petrus Sckora de Gay Caliſien. Johannes de Czarnkow Gneſcn. Hincza de Rogow Siradien. Caſtellani & Vice-Theſaurarius, Petrus de Sczekoczini Vice-Cancellarius Regni Poloniæ, Derslaus de Rythwyan Roſperien. & Nicolaus de Labiſchin Wladislavien. Caſtellani &c. præſcriptas Sereniſſimi Domini Noſtri Regis promiſſionum literas ratas & gratas habentes, præſentibus promittimus, quod ipſe Sereniſſimus Dominus Noſter, Rex, omnia ſuperius expreſſa firmiter & inconcuſſe, inviolenterq;
tene-

tenebit & obſervabit, & pro majori firmitate ſigilla Noſtra etiam præſentibus ſunt appenſa. Actum & datum in Thorunio, feria ſecunda feſti Beati Johannis Baptiſtæ, Anno Domini Milleſimo, quadringenteſimo, quinquageſimo quarto. Vid. plura Indigenatus, Arx.

Karanie

CASTIGATIO MINORUM.

Vid. Coercitio. Karanie

przypadek Trafunkowy

CASUS FORTUITUS.

SI quis alteri fundum locaverit, ut in eo ædificium exſtruat, penſione in fundum conſtituta, deinde domus in eo loco poſita, incendio conſumpta fuerit, ut pars ſaltem ædificii remaneat; neque conductor in eam penſionem domum reparare velit; locator, qui fundi Dominus eſt, recte fundum & ædificium, quod reliquum manſit, cum iis, quæ ad ea pertinent, occupabit, neque conductori quidquam impenſarum nomine reſtituere videbitur. Emend. l. 4. c. 27. Correct. l. 5. c. 9. Reviſ. l. 4. t. 7. art. 11. Si quis veſtem ſartori faciendam locaverit, vel rem aliam cuivis alii vendendam dederit, & ex conventione mercedem conſtituerit, is, qui rem accepit, eandem diligenter cuſtodire, & ſalvam ac illæſam reſtituere jubetur. Si furto rem amiſerit absque culpa ſua, nimirum quod eam æque ac res ſuas, ut diligentiſſime potuerit, cuſtodiverit, idque Jure planum fecerit, nec ad reſtitutionem nec ad æſtimationem obligatur. Si domus vel conclave, in quo veſtes vel res locata cuſtodiebatur, incendio perierit, caſus ille fortuitus fraudi non erit, quatenus oſtenderit, incendium non ſua culpa ortum fuiſſe, nec rem ab ignis vi ſervari potuiſſe. Emend. l. 4. c. 4. Correct. l. 5. c. 3. Reviſ. l. 4. t. 7. art. 9. Hoc Hoc Jus eſt rerum omnium, quæ alterius fidei committuntur: Quicunque rem alterius, illo petente vel mandante, in

1. Caſus fortuitus in re locata.

2. Si res locata, depoſita, vel concredita furto vel igne fuerit amiſſa.

3. De caſu fortuito depoſiti pignoris & commodati.

in custodiam receperit, si res furto sit amissa, ad pretii restitutionem obligatur, nisi una cum rebus suis simul eam perdidisset; vel nisi juramento probet, sine culpa & negligentia sua rem amissam. Nec enim salva fide minorem alienis, quam suis rebus diligentiam præstabit. Idem est, si quis rem sibi pro nummis pignoratam furto perdiderit, ut ad pretii restitutionem teneatur. Si quis poculum argenteum, vel aliam quamcunque rem pretiosam, commodato acceperit, ei custodiendæ, eandem quam propriis curam adhibeat oportet. Si cui res aliena furto subtracta fuerit, eidem ad recuperandum actio competit. Si ille mortuus seu profugus sit, qui rei Dominus est, in rem suam recte aget. Emend. l. 4. c. 3. Revis. l. 4. t. 3. art. 5. quando quis avem petat, & eo ictu hominem interficiat, vid. supra **Avis**, quando arbor cadens hominem oppresserit, vid. **Arbor**, & si auriga currum everterit: vid. **Auriga**.

4. Si animal locatum casu perierit.

Si equus vel animal aliud, dum adhuc in locati vel pignoris causa commoratur, in rerum natura esse desierit, atque is, cui locatum vel pignori datum erat, Jure testatum fecerit, animal sine culpa sua periisse, de damno non tenetur. Si quid tamen aliud inter eos pacto constitutum fuit, lex conventionis servabitur. Sin autem probetur, animal ejus culpa periisse, nihil est causæ, quo minus damnum sua culpa datum resarciat. Emend. l. 4. c. 6. Corr. l. 5. c. 6. Revis. l. 4. t. 7. art. 10.

5. Si servo casu quid auferatur.

Si servo, dum in ministerio domini sui versatur, equus, vel res alia, præter ipsius culpam a furibus aut raptoribus auferatur, non inique dicemus, dominum servo rem perditam præstare debere, ac ipsi vicissim in eam rem actionem competere adversus eos, quibus ideo controversiam facere volet. Emend. l. 5. c. 90. Corr. l. 5. c 66. Revis. l. 5. p. 2. t. 22. art. 4.

6. Tutor casum fortuitum non præstat.

Tutor casum fortuitum, qui provideri non potuit, etsi pupilli rebus damnum aliquod illatum sit, non præstare tenetur. Jus Terr. Pruss. l. 3. §. 17.

7. Mercatoribus casum fortuitum

Cum Rex vel Princeps, ex Regia vel Principali authoritate, causis animum serio moventibus, debitori cuipiam, literarum moratoriarum copiam faciat, ne intra præscri-

præscriptum tempus a Creditoribus ad solutionem cogi debent, prout Reges & Principes hanc immunitatem in tempus quodpiam, justis ducti rationibus, Jure suo consveverunt indulgere, tenetur nihilominus debitor creditoribus satisfacere, vel fidejussoribus aut pignoribus cavere, quod post elapsum immunitatis spacium creditum certo sint consecuturi. Hoc indultum ideo moratorii nomine in Jure censetur, quod morum saltem interponat, non autem in perpetuum obligationem tollat. Nullius enim Regis aut quisquam Debitor eam Jure consequitur immunitatem, qua Creditores suos in totum debito possint defraudare. Emend. l. 4. c. 56. Correct. l. 4. c. 56. Hoc moratorium vero obtinet, si Debitor non proterviter per suam malam voluntatem, sed vel per intensatam negotiationem rerum per aquæ, ignis, vel alterius casus fortuiti & necessitatis, vel fraudis reliquorum hominum tot damna est perpessus, ut ad solutionem sit impotens. Revis. l. 4. t. 16. art. 6. Quando commodatarius circa rem commodatam omnem adhibet diligentiam, & ea per casum fortuitum deterioratur aut perditur, tunc pro ea satisfacere non tenetur. Revis. l. 4. t. 2, art. 1.

passis datur moratorium.

8. Commodatorius casum fortuitum non præstat.

CAUTIO. *Zapis*

ANtequam respondeat, liberum Reo erit, si possessionatus forte Actor non sit, cautionem fidejussoriam ab eo postulare de expensis refundendis, quam si forte præstare non possit, juratoriam cautionem præstabit; ac si nec eam quidem præstiterit, Reus a citatione & termino absolvetur. Ad eundem modum Actor a Reo, possessiones non habente, si ipse in Judicio comparuerit, cautionem similem de Juri parendo & impensis, petere poterit, Reusque præstare eam tenebitur. Si per Procuratorem vel Actor vel Reus steterit, primum Procurator Mandatum legitimum proferre debebit, aut de rato cavere, quod nisi fecerit, non admittetur. Cautiones autem hæ, nisi ante litem contestatam petitæ fuerint, lite contestata peti postea non poterunt. Jus Terrest. Pruss.

1. Cautio de expensis litis, judicio sisti & judicatum pati, ut & cautio de rato

2. Si Cautores non satis dent. in caus. Civili §. 24. usque 27. Si impossessionatus Jure victus fuerit, siquidem fidejussor intervenit, possessionatusq; is sit, in eum executio extendetur: Si neque reus neque fidejussor possessionati sint, ad summam intra duas septimanas aut judicatum solvere debebunt, aut fidejussores possessionatos statuere de satisfaciendo rei judicatæ intra sex septimanas; quorum si neutrum fecerint, ad officium Palatinale ad proscribendum citari poterunt, ac sive in termino steterint, sive non, a Palatino proscribi debebunt; Jus Terrestr. Pruss. de litis impens. §. 11. t. 6. Plura Vid. Expensæ.

3. De satisdatione cautionis. Si quis debitorem suum extra Juris solennis exercitium coram Judicis officio convenit, ob pecuniam, quam ille sine mora dandam constituerat, ac Judex utriusque partis disceptationem in proximam Judicii ordinarii diem ad suam & Scabinorum notionem protulit; conventus autem fidejussorem dedit se in Jure statuturum; quatenus igitur actor ad diem condictum in Jure comparuerit, conventus autem abfuerit, fidejussorem actor compellabit ut reum, uti spoponderat, in jure sistat. Si fidejussor sponsionem sistendi non neget, sed dicat saltem, ejus copiam habere non posse, ac si insuper fateatur, reum ob debitum illud recte conveniri, hac confessione sua convictus censetur in tantum, ut intra diem decimum quartum, ipsemet debitum exsolvere cogatur. Sin ob moram & damnum inde proveniens actor fidejussori litem moverit, juratus liquido contestari debebit, fidejussor autem æstimationem jurejurando suo minuere poterit, priusquam actor ad exsolvendam conscientiæ religionem descendat. Quicquid tandem juramento decisum fuerit, fidejussor intra dies 14. absque ulteriori mora persolvito, Judici vero mulctam, quam incurrit, præstato. Emend. l. 4. c. 57. Corr. l. 3. c. 48. Revisum in omni

4 Variatio Juris Revisi. convenit, præter ratione damni sancit, ut illum Judex moderet, & sic cum principali summa una per fidejussorem resarciatur l. 4. t. 11. art. 6. Cum quis fidejussorem constituit, pro pecunia in certum diem solvenda, neque solvit, reus principalis primo conveniendus est, si sui copiam faciat

ciat, si ejus copia non sit, fidejussor conventus quod spospondit præstare cogetur. Emend. l. 4. c. 58. Corr. l. 3. c. 95. Revis. l. 4. t. 11. art. 2. Cum fidejussor in fata concessit, hæredes ejus utique non e vestigio temporis ad solutionem compelluntur, sed principalis debitor vel ejus hæredes primum excutiuntor. Quos si solvendo non esse cognitum fuerit, tum demum fidejussoris hæredes, quatenus ejus hæreditas obligationi sufficiat, solutioni faciendæ obnoxii sunto. Emend. l. 4. c. 59. Corr. l. 3. c. 90. Revis. l. 4. t. 11. art. 4. Cum quis in causa maleficii pro quopiam fidejubet, ut eum in Judicio sistat, si copiam ejus sistendi non habeat, æstimationem damni (quam Wergeldum vulgo vocant) præstabit. Nisi alias certa summa nominatim in fidejussoris obligationem venisset. Emend. l. 4. c. 60. Corr. l. 3. c. 91. Si quis fidem interposuerit stato Judicii die sistendi alium, qui maleficii cujusvis causa reus agitur, atque is interim e vivis migraverit, ejus morte fidejussor liberabitur, modo planum faciat, illum in rebus humanis amplius non conversari. Em. l. 4. c. 61. Corr. l. 3. c. 93. Revis. l. 4. t. 11. art. 7. Si quis ob homicidium, vel vulnus illatum conventus fuerit, & ædes suas hypothecæ dederit, Judicio sistendi causa, ac interim profugiat, neque in Jure se sistat. is tribus edictis evocandus est. Si tribus Juris constituti vicibus non comparuerit, tanquam in contumacem sententia profertur, & ex hypotheca damni æstimatio Actori, & Judici mulcta per decretum adjudicatur. Emend. l. 4. c. 62. Correct. l. 3. c. 22. Civis qui fundum, ædes, tabernam, officinam vel macellum habet, recte possessor appellabitur, eaque possessio illi cautionis loco est, si tanti sit, quanti est actio qua convenitur. Emend. l. 4. c. 64. Correct. l. 1. c. 17. Revis. l. 4. t. 11. art. 1. Qui in alterius debitum fidejubet, fidei suæ satisfacere tenetur. Oportet autem, ut creditor prius debitorem principalem conveniat, ac si is solvendo non sit, fidejussor pro debito respondebit ac solutionem præstabit: nisi fidejussor rei principalis obligationem in se recepisset, quo casu beneficium excussionis non usurpabit, sed liberum erit credi-

5. Cautio tendit ad hæredes.

6. Cavens in Criminalibus

7. Cavens in Criminalibus liberatur, si accusatus mortuus sit.

8. Criminaliter Conventus, si realiter caveat, & per fugam se eripiat.

9. Possessio cautionis loco est.

10. Creditor prius debitorem, postmodo caventem convenit, nisi beneficio excussionis renunciaverit,

& debitum in se receperit. creditori etiam principali Reo non convento, a fidejussore solutionem exigere. Cum autem plures fidejussores concurrant, majoris est dubitationis, quinam priori loco sint conveniendi. Quorum causam ita distingvemus: Si plures simul pro quopiam fidem interponant, & hoc diserte conventum sit, ut singuli non in totam summam, sed in virilem saltem portionem obligentur, Creditor non amplius a singulis quam partes viriles consequetur, quibus solutis singuli liberantur, nec amplius conveniri possunt, licet sociorum aliqui solvendo non inveniantur. Sin autem plures fidejussores conjunctim in unam summam concurrant, omnes in solidum tenebuntur, sic ut Creditori liberum sit, singulos quos velit in universum debitum convenire. Cæterum fidejussoribus, quia conjunctim spoponderunt, beneficium divisionis Jure conceditur, cujus ea vis est, ut postulante fidejussore creditor jubeatur obligationem dividere, & fidejussores singulos in virilem portionem convenire. Quod tum locum habet, cum sint solvendo. Nam quo casu cœteri solvendo non sunt, is qui convenitur, in solidum præstare tenetur. Si vero plures fidejussores interveniant, usitatis obligationum formulis conjunctim & divisim, vel unus pro omnibus & omnes pro uno, vel similibus, eo casu creditoris erit optio, utrum omnes vel singulos, in universum convenire malit. Si unum in solidum convenerit, conventus solidum præstare tenetur, nec divisionis beneficio juvabitur. Si solidum unus solverit, cœteri quidem fidejussores a creditore liberantur, sed creditor tenetur illi, qui solus solvit, actiones suas cedere, quibus illi, tam a principali Reo, quam a confidejussoribus, quod ex reliquis portionibus illi deest, Jure consequatur. Emend. l. 4. c. 65. Revis. l. 4. t. 11. art. 3. De fidejussione circa moratoria vid. infra **Mercatorium**. De fidejussione itineraturi vid. infra **Iter**. De proscripti cautione vid. supra **Bannitio**. De cautione à Mandatario præstito de rato & grato &c. vid. infra **Mandatum**. Cautio de reconventione

11. Si plures sint cautores.

one, vid. Reconventio. Quilibet ſuum libellum mutare vel meliorare poteſt, priusquam Gvaranda ſeu cautio de reconventione & expenſis non fuerit præſtita, Gvaranda vero a Reo convento non exacta, prout id bene fieri poteſt, actoreo libello inſinuato, & a Reo convento acceptato & reſponſo dato, tunc libellus absque Rei conventi conſenſu amplius mutari & corrigi non poteſt. Reviſ. l. 2. t. 10. art. 5. Propoſita Actoris intentione, Reus Conventus, antequam deſuper reſpondeat cautionem ab illo exigere poteſt, ſibi in hac cauſa ad ſuam reconventionem in eodem Judicio reſponſurum, & damna & expenſas, ubi illi adjudicatæ fuerint, perſoluturum iri, & præſtant cautionem ſolummodo ii, qui nulla mobilia vel immobilia bona non facile diſtrahenda poſſident; & hæc per fidejuſſores fieri oportet; vel actor jurare debet, quod per diligentem diſquiſitionem nullos fidejuſſores invenire potuerit, & propterea jurejurando ad præſtandam præmemoratam cautionem compelli poteſt, quod ſcilicet usque ad finem litis in Judicio ſe ſiſtere velit. Quando reus conventus ab actore memoratam cautionem poſtulaverit, tunc etiam ſimul ab illo evictionem, ſeu gvarandam, urgere poteſt, quam etiam actor præſtare tenetur, adeo ut fidejuſſoribus datis, vel in horum defectu jurejurando, vel etiam ubi actor nimirum ſufficienter poſſeſſionatus fuerit, cum manuali repromiſſione reum conventum aſſecuret, ſe in eadem cauſa ab omnibus aliis perſonis & actionibus eundem liberum & indemnem ſervaturum fore. Reviſ. l. 2. t. 13. Libellata actorea intentione in cauſa Criminali, & rei conventi cautione vel ſatisdatione ab actore poſtulata, tunc actor eandem præſtare tenetur, adeo, ut Jus plenarie ad finem continuare velit; in defectu tunc fidejuſſoriæ cautionis, Judex eum carceribus mancipare & reſervare poteſt. Reus conventus cautionem præſtare tenetur ſe ſemper, etiam ad definitivam ſententiam compariturum fore. Si vero in illo Judicio poſſeſſionatus fuerit, tunc nullum fidejuſſorem dare tenetur, niſi recens factum fuerit, aut alias notorium, in quibus reus conventus neceſſario carceribus

12. Cautione præſtita non emendare poteſt libellum.

13. Cautio de Reconventione & expenſis. Juratoria cautio.

14. Cautio in Criminalibus de continuando proceſſu, cautio perſonalis.

mancipatur. Nam hoc paſſu cautio illa non eſt neceſſaria. Reviſ. l. 5. p. 1. t. 13. Ob maleficium criminaliter accuſatus, ab accuſatore evictionem petere poteſt, hæc etiam talis cautio, ut nullam alteram conditionem expectare debeat, & qui evictionem, ſeu guarandam promittit, eandem ſervare tenetur. Promittens alteri guarandam vel evictionem ob maleficium, caput vel manum concernens, poſtmodum alter cognatorum venit, & convenit eundem ob eandem cauſam, ratione cujus evictio promiſſa eſt, actore ſuccumbente, tunc manum amittit, ſed eandem luere poteſt cum dimidio Vergeldo, quod reo convento datur. Judici quoq; mulcta præſtatur, Reviſ. l. 5. p. 1. t. 14. Maleficium corpus & vitam concernens ſi ſit, tunc captivus per fidejuſſionem liberari non poteſt, ne dimiſſus pœnam evadat, & Judicia capitalia diminuantur. Ubi vero actio Criminalis vel cauſa per ſe ipſam, ob quam captivus, ad pœnam pecuniæ directa fuerit, tunc fidejuſſione frui poteſt, attamen Judex ſemper penes illum capturum & apprehenſionem perſonarum, & cauſarum qualitates & circumſtantias bene ponderare debet. Quia ſæpe numero etiam in Criminalibus caput concernentibus, omnimodæ ambiguitates incidant, quæ Judicem tum in defectu probationis plenariæ, incidentis legalis impedimenti caſu, vel ingruente alia neceſſitate & modo, alioquin eo moveant, ut captivum per fidejuſſionem libertati reſtituat, ut ſeſe ad actionem Criminalem ſemper rurſus ſiſtat: quæſtionis eſt, an per talem fidejuſſionem cauſa non amplius eſſe poſſit? Reſpond. quod per fidejuſſionem ſtatus cauſæ non mutatur, ſed cauſa permanet in terminis in quibus erat, & poteſt contra principalem, cum per fugam ſe erumperet, vel etiam fidejuſſores ſuæ fidejuſſioni renuncient, & principalem ſtatuant, criminaliter procedi, Reviſ. l. 5. p. 1. t. 9. art. 2. & 3. de pignoratitia actione vid. Pignus.

15. Cautio cum ſatisdatione in Criminalibus.

16. Actio Criminalis corpus & vitam concernens non patitur cautionem.

CAUPO. Szynkarz

IN omnibus terris, ubi vinum, mulſum, cerêviſia & vinum propo-

propinantur, omnes omnino ludi, quorum effectus injuria est, quibus pro pecunia perperam certatur, interdicti sunt. Emend. l. 5. c. 86. Corr. l. 5. c. 65. Revis. l. 5. p. 2. t. 22. art. 1. de alimentis condicendis vid. **Alimenta**, de propinationibus v. **Braxatio.**

CAUSA. *Sprawa*

SI quis in causa in Judicio instituta, aut etiam parte citata eadem infra annum & sex septimanas non prosequatur, causa cadet, eamque præscriptione amittet: Similiter, si decretum in negotio principali obtinuerit, aut etiam ad executionem rei judicatæ processerit, illumque intra annum & sex menses, non Magistratus, sed sua negligentia, non prosecutus fuerit, decretum id causamque totam commemorati temporis præscriptione amittet, neque iterum suscitare aut revocare in Judicium causam eam poterit. Jus Terrestr. Pruss. t. 6. de litis impens. §. 12. Cum Judicium aliquod ordinarium celebrabitur, sive Terrestre sive Palatinale, eadem die, in quam Judicium incidit, Notarius Judicii copiam sui facere tenebitur: ad eum partes nomina & causas deferent, qui Regestrum omnium litigantium, nulli favendo, ita ut prior illum appellaverit, prior in album referatur, conscribet, idq; publice ad valvas loci, in quo Judicia celebrabunt, proponet. Ex eo deinde albo eo ordine, quo inscriptum nomen cujusq; est, præco præ foribus Judicii alta voce ter partes ad Judicium vocabit. c. I. de process. in causa Civil. §. 18. & 19. De causa finita, vid **Lis**, Vid. pl. **Actio**,

1. Causa Judiciaria deserta.

2. Causarum inscriptio in Regestrum.

CENSUS. *Czynsz.*

STatuimus, ut quilibet homo, hæreditatem a domo nostra habens, Fratribus nostris solvat exinde unum nummum Coloniensem, vel pro eo quinque Culmenses, & pondus duarum marcarum ceræ, in recognitionem dominii, & in signum

1. Census Crucigeris præstitus.

ſignum, quod eadem bona ſua habet a Domo noſtra, & noſtræ debeat Jurisdictioni ſubeſſe, & nos eum favorabiliter confovendo contra eos, qui ipſis injuriam intulerint, debemus in quantum poſſumus, noſtrum præſidium impertiri. Prædictum autem cenſum ſingulis annis in die Beati Martini, vel ab ipſo ad 15. dies dare debent. Quicunque autem in prædicto termino non dederit cenſum ſuum, taliter puniatur: poſt primos 15. dies in 10. ſolidis; elapſis vero aliis 15. diebus niſi perſolverit 10. Solidorum debito ſit aſtrictus; item evolutis aliis 15. diebus tertio in aliis 10. ſolidis, ſi non ſolverit cenſum ſuum, puniatur, & nunc pro his 30. ſolidis, & pro cenſu ſuo tempore non ſoluto, ejus pignora, ſine omni contradictione accipi faciet, & habebit accepta, donec ei ſatisfaciat, domus noſtra. Vid. Privileg. Culmenſe §. 6.

2. Cenſus Vaſallagii.

Volumus ut omnes & ſinguli Subditi noſtri terrarum Pruſſiæ in recognitionem dominii, prout etiam prius ſolitum erat, pro quolibet feſto S. Martini denarium Culmenſem, vel loco ejus quinque allenſes Prutenicales, cum uno talento ceræ albæ Nobis & Succeſſoribus Noſtris ac Officialibus ad exigendum per Nos deputatis, dent, ſolvant & conſignent. Vid. Privileg. D. Caſimiri Regis ab Anno 1476. Marienburgi editum.

3. De cenſu vendito cum pacto reemendi

Si quis alicui reditus ſuos in certam diem, cum pacto de reemendo, vendiderit, hac lege, ut liberum ſibi ſit, reſtituto pretio reditus ad ſe vocare, quandocunque velit Jus integrum habet proventus ſuos, quos hoc pacto vendiderat, redimendi ante vel poſt diem, quo percipi debent, ita quidem, ut ex numero hebdomadarum ante vel poſt diem cedentium ſolutionis ratio conficiatur. Emend. l. 4. c. 12. Corr. l. 4. c. 22. Reviſ. l. 4. t. 5. art. 20.

4. De annuo cenſu revendendo.

Qui cenſum habet annuum legi revenditionis obnoxium, illo diem functo hæredes ejus cenſum percipiunt, & nihilominus ei, cui pacto retrovenditionis proſpectum eſt, redemptionis facultatem integram conſervant, & cenſum interim, cui volent, citra cujusvis impedimentum, & absque Succeſſorum ſuorum conſenſu, cedere vel adjudicare poſſunt. Emend. l. 4. c. 14. Correct. l. 4. c. 49. Reviſ. l. 4. t. 5. art. 21.

5. Jus Retra-

Si quis vendat undum

fundum, possessiones, ædes, prædium, censum hæreditarium, vel quam aliam rem, quæ immobilium appellatione venit, quamque ipsemet, vel per successionem, vel per emptionem vel alio quovis titulo acquisivit, proximo consangvineo utriusque sexus potestas esto, intra diem annuam, ab eo tempore computandam, qua traditio & adscriptio judicialiter celebrata fuit, Jure protimiseos vel retractus emptorem amovendi, ea lege & conditione, ut proximam sangvinis conjunctionem, nisi de ea publicè constet, in Jure planum faciat, & retractum tanta pecunia, quantum emptor dederat, præsentibus nummis evincat. Quo facto emptor proximo consangvineo fundum emptum cedere & restituere compellitur. Cum emptor intra diem annuam in fundum emptum necessarias, probabiles & utiles expensas fecit, neque consangvineus, cui retractandi Jus erat, novum opus illi Judicis auctoritate nunciavit; Si is deinde fundum in familiam revocare volet, emptori tam emptæ rei pretium, quam sumptus in eam factos, arbitrio boni viri restituito. Si creditor dolo malo majus pretium in Judicio dixerit, quam quanto fundus venditus fuit, scilicet ut eo magis consangvineum a retractu absterreret, quatenus is fidem illi habere noluerit, venditor de conscientia sua cum jurisjurandi religione pretium verum nuncupato. Nam qui Jure propioris conjunctionis venditionem retractare cupit, non in amplius pretium, quam quo fundus vere venditus fuit, refundendum obligatur. Emend. l. 4. c. 19. Revis. l. 4. t. 6. art. 1. Qui tabernam ex empto vel donato acquisiverit, sic ut annuum inde censum exsolvat, quanti majoris est pretii fundus, quam census, tanti fundum vel tabernam vendere vel dare, cui volet, non prohibetur. Emend. l. 4. c. 18. Correct. l. 3. c. 113. Si quis alteri fundum locaverit, ut in eo ædificium exstruat, pensione seu censu in fundum constituta, deinde domus in eo loco posita incendio consumpta fuerit, ut pars saltem ædificii remaneat, neq; conductor in eam pensionem domum reparare velit; locator, qui fundi dominus est, recte fundum & ædificium quod reliquum mansit, cum iis, quæ ad eum pertinent occupabit, neque

[Margin: ctus circa censum venditum.]

[Margin: 6. De fundo censuali vendendo.]

[Margin: 7. De fundo emphiteutico]

neque conductori quidquam impensarum nomine restituere jubebitur. Emend. l. 4. c. 27. Correct. l. 5. c. 9. Revis. l. 4. t. 7. art. 11. Si quis alteri fundum vendat & in constituto Judicio tradat, ac interim in lege venditionis silentio supprimat, nexum æris alieni & census, quo fundus in hypothecam obligatus est, creditori Jus pignoris in illo fundo relinquitur integrum. Ac licet emptor prætendat, ædes se liberas emisse, & æris alieni nexum in conventionem non venisse, idque testimonio publicarum Judicii tabularum probari posse, se fundum jam ultra diem annuam sine cujusvis impedimento possedisse dicat, nihil tamen his omnibus adversus creditorem proficiet, sed magis venditorem ædium ob debiti nexum clam habitum Jure conveniat ac compellat, ut ædes ipse liberas, uti conventum fuerat, & a pignoris nexu vacuas tradat. Emend. l. 4. c. 15. Correct. l. 4. c. 18. Revis. l. 4. t. 5. art. 19. Si locator conductori controversiam faciat ob pensionem seu censum præteriti anni non exsolutum, conductor autem debitum inficietur, potior habendus est locator ad comprobandum jurejurando suo debitum, quam conductor ad negandum. Emend. l. 4. c. 41. Correct. l. 3. c. 68. Si maritus uxori in Judicio solenniter constituto fundi usumfructum seu censum, quoad ipsa vitæ hujus usura fungeretur, donaverit, uxore diem functa & æs alienum in creditorum nominibus relinquente, hæres, ad quem hæreditas mariti redierit, ex eo fundo, cujus usumfructum mulier habuerit, debitum mulieris nulla ratione solvere cogetur. Emend. l. 3. c. 17. Correct. l. 4. c. 14. Revis. l. 3. t. 8. art. 26. Si quis Juris ordine in Judicio constituto, Judice & Scabinis auctoribus, uxori suæ reditus annuos certæ Summæ pecuniariæ post mortem suam stato die, quoad ipsa vivat percipiendos donaverit, quatenus deinde mulier inter homines esse desierit, priusquam dies pensionis exeat, ejus anni reditus ad defuncti mariti hæredes revertuntur. Nam cum ipsa diem pensionis humanæ sortis fato præventa non attigerit, nec ad hæredes Jus illud transmittit. Emend. l. 3. c. 18. Correct. l. 4. c. 17. Qui tabernam vel Officinam, vel macellum, vel pergulam cauponariam, vel

8. De domo vendita alteri censûs nomine obstricta.

9. De probatione censûs.

10. De censu & usufructu bonorum uxori donato.

11. Donatio censûs pecuniarii.

12. De pignore censitico non nisi de-

vel cujusvis generis fundum, emptionis titulo possidet, sic ut annuam pensionem inde solvere teneatur, quantumvis annuæ pensiones, velut usurarum proventus fundi pretium excedant, non ideo tamen, si nolit, fundi proprietatem amittit, nisi tabernæ seu fundi possessio, vel ob suum debitum, vel propter annuas pensiones, etiamnum debitas, secundum Juris præscriptum evincatur, & actori per decretum in debiti sui supplementum addicatur. Tum enim demum actori liberum est, cum eo facere vel non facere quod volet. Emend. l. 4. c. 79. Correct. l. 4. c. 112. creto manu capiendo.

CELLA. Piwnica.

QUi cellam subterraneam, vel ejus generis foveam effodit, ita opus facito ne quid noceat, nec in latitudinem plateæ patentis ultra septem pedes specum concameratam producito. Si angustior sit platea, quam ut latum opus ferre possit, subtus viam publicam opus non porrigito. Cujuslibet viæ, quo currus publice commeare solent, latitudo 16. pedum esto, quo carrus commode currui cedere possit. Emend. l. 5. c. 84. Correct. l. 5. c. 13. Revis. l. 5. p. 2. t. 19. art. 10. 1. Structura cellæ.

CHYROGRAPHUS.

CHyrographi, apochæ & his similes scripturæ, a privatis hominibus scriptæ, & illarum sigillo confirmatæ, hæ testificantur plenarie contrascribentes, sive vero ille duobus testibus probare potuerit, eam non suam manum fore, nec sigillum sua voluntate aut scientia, sed falso sub impressum esse, tunc eo ipso ab obligatione harum literarum, & in ea contenti debiti, conventus liber est. Ubi vero in Chyrographo penes eum, qui illud scripsit, etiam alii duo testes nominati fuerint, & ab ipsismet subscriptum, tunc per hunc chyrographum omni suspicione & contradictione pars libera esto. Revis. l. 2. t. 19. art. 4. Vid. pl. Documenta. 1. Recognitio chyrographi.

CHRISTIANUS.

1. Christiani Juramentum Judæo prævalet.

SI Judæus Christianum de pecuniario debito conveniat, actionem Christianus Juramento suo potest elidere. Nullius enim Judæi Juramentum Christiano prævalet, nec cuiquam Judæo adversus Christianum jurare fas est in causis pecuniariis. Sin autem Judæus Christianum accuset ob maleficium, puta vulnerationem, membri mutilationem, vel homicidium, eo casu Judæus Christianum, qui pacem publicam violasse dicitur, in facto recenti æque convincendi potestatem habet, atque Christianus Christianorum testimonio convinceret. Emend. l. 2. c. 31. Correct. l. 3. c. 62. Si quis rem suam furto vel rapina amissam penes quempiam deprehenderit, ejus rei Judæus evictionem Christiano actori, qui furtum vel rapinam passus est, in Judicio præstare non potest, sed actor vendicandi rem suam Jus habebit. Emend. l. 2. c. 75. Revis. l. 4. t. 12. art. 2.

2. An Judæus Christiani evictor esse possit?

CHYRURGUS. Cyrulik

1 Chyrurgicæ expensæ ex vulnere.

SI aliquis alium in stratis publicis hostiliter aggrediatur, seu alias ex rixa vulneret, is parti læsæ æstimationem mutilationis vel dolorum, Judici mulctam, Chyrurgo vero mercedem solvet. Emend. l. 5. p. 2. t. 20. Vid pl. **Vulnus.**

CESSIO. Ustąpienie Prawne

1. Nemo actionem in Jure cœptam cedere potest.

NEmo potest actionem cedere aut omittere, quæ in Judicio constituto cœpit, cœptave pendet, sed actionem oportet ad finem perduci, uti Jure constitutum est, nisi permissu Judiciali cedatur, aut omittatur, vel nisi litigantes inter se transigant, vel ad arbitros remittantur, eorumque arbitratu causa determinetur. Emend. l. 2. c. 25. Correct. l. 2. c. 32. Revis. l. 2. t. 10. art. 6. Nemo actionem in Jure cœptam alteri donare vel cedere potest, nisi ad finem fuerit perducta & determinata, vel quando partium utrinque consensus

2 Cessio actionis.

ſenſus intervenit. Emend. l. 2. c. 26. Correct. l. 3. c. 76. Reviſ. l. 2. t. 10. art. 7. Jus retractus cedi non poteſt alii, nec ei quidem, qui ejusdem generis ac familiæ ſit, niſi ſecundum eum, cui Jus iſtud competit, proximus eſſet, ad quem alioquin Jus revocandi per ordinem fuiſſet proventurum. Emend. l. 4. c. 21. Reviſ. l. 4. t. 6. art. 3. Si quis fundum vel poſſeſſiones in tantum æris alieni magnitudine oneraverit, ut niſi fundo vel poſſeſſionibus addictis, creditoribus ſatisfacere nequeat, hacque neceſſitate ductus, eum easve creditoribus in manu ceſſas reliquerit, Jus nihilominus erit proximo conſangvineo, intra diem annuam ex quo poſſeſſiones Jure evictæ, vel ſponte traditæ fuerunt, exſoluto ære alieno fundum in familiam revocandi. Emend. l. 4. c. 22. Rev. l. 4 t. 6. art. 4. De emancipatione debitor ſe eliberat per bonorum ceſſionem neutiquam, cum antea moratorio fruebatur. Correct. l. 4. c. 56. Emend. l. 4. c. 56. Creditor tenetur fidejuſſoribus, qui eidem ſatisfecerunt, actionem ſuam cedere, qua illi a principali reo ſuum recuperare poſſint; ſimiliter quando plures ſimul fidejubent cum expreſſa formula, quod omnes pro uno, & unus pro omnibus teneri vellet, & poſtmodum unus ſolus exſolvit, pro quo fidejuſſerat, tunc eidem actio contra confidejuſſores etiam cedi debet, ut id, quod ex reliquis portionibus illi deeſt, Jure conſequatur. Emend. l. 4. c. 65. Reviſ. l. 4. t. 11. art. 3. Poſt rem judicatam, Jus evictum, & in terminis executivis ceſſio bonorum ſine conſenſu creditorum locum non habet. Reviſ. l. 2. t. 23. art. 6.

3. Jus retractus non ceditur.

4 In bonorum ceſſione Jus Retractus etiam habet locum.

5. Qui gaviſus eſt antea moratorio, non fruitur poſtmodum beneficio ceſſionis bonorum.

6. Fidejuſſoribus ſatisdantibus actio ceditur contra principalem debitorem.

7 Quando ceſſio bonorum procedat.

CITATIO.

Si ad Judicium Terreſtre quis aliquem vocaverit, citationi nomen Regium præponi, Actoris deinde atque Rei prænomen, & nomen, ſine cujusquam contumelia, & debito cuique honore ſervato, ſubjici debet: Res denique ipſa, ob quam in Judicia vocatur, in citatione breviter narrari, atque ita ſigillo, quo Judicium id utitur, conſignari debebit. Si ad

1. Forma citationis ad Judicium Terreſtre.

2. Sigilla citationis Judicii

Terrestr. Palatinique. ad Conventum Terrarum Prussiæ quis evocetur, Sigillum Terrestre Palatinatus ejus, in quo reus fuerit, ei applicabitur: Si ad Palatini Judicium, ipsius Palatini: Si ad Tribunal, Terrestre.

3. In citationibus injuriis abstinendum est. Nemo in citatione, existimationem aut honorem alicujus lædere, verbisque aliquibus, quibus ea lædantur, uti debet. Quod, si quis contumeliosa aliqua verba, sine quibus res ipsa narrari poterat, citatione comprehenderit, producens

4. Pæna injuriarum in citatione expressarum. citationem ejusmodi, tam Actor ipse, quam Procurator ejus, unius septimanæ sessione in turri mox puniri debebit, Reus autem a termino & citatione liber pronunciari.

5. Membranæ ad citationes. Membranæ ad citationes pro singulis grossis a quocunque Judicio & Officio dentur.

6. Insinuatio citationis & termini præfixio. Ad Terrestre Judicium citato duarum septimanarum, ad Palatinale autem unius terminus præfigi debet, citatioque ea tanto tempore ante præfixum terminum per præconem seu ministerialem, ut vocant, Terrestrem, in bonis ejus, qui evocatur, ponetur, si absens fuerit, domesticis seu colonis insinuetur, eisque denuncietur, in Jus Dominum vocari. Si citatus possessiones nullas habet, vel ipsi per præconem in manum citatio tradatur, si præco copiam ejus habere potuerit; vel ad valvas templi ejus loci, in quo commorari eum constiterit, a præcone affigatur, vel proclametur, vel etiam Parochiæ ejus, in qua bona aliquando possedit, sine præjudicio tamen ullo legitimi Possessoris.

7. Ministerialis citationem non rite insinuans & diversam relationem faciens. Si probari in Jure poterit, citationem a Ministeriali vel omnino non insinuatam, aut publicatam fuisse, illeque nihilominus diversam relationem fecerit, per carnificem virgis publice cædi, auribusque & naso mutilari, & ab officio removeri debet, de quo coram officio Palatinali terminum habebit.

8. Inordinata citatio. Quæ omnia nisi inscribenda & insinuanda citatione observata fuerint, citatus vitium id in termino præfixo Judici demonstrarit, a termino & citatione liber erit. Actori autem denuo in Jus eum vocare integrum erit, ad quam citationem si non comparuerit; tum primum contumaciæ condemnabitur, nisi forte vel ex Jure, vel ex sententia Judicis peremptorius is terminus fuerit. Quod si iterum docere possit, sibi de citatione illa nihil constitisse, vel minime legitime insinuatam fuisse, ab eo

etiam

etiam termino, & citatione, non vero à causa, toties, quoties hujusmodi vitium intervenerit, liber erit. Terminus primus in nullo Judicio peremptorius sit, præterquam si, de quibus diserte, ut peremptorii sint, Jure constitutum est, aut inscriptione quis se submisit; in aliis causis, in quibus peremptorius terminus diserte non constitutus est, si ad primam citationem Reus non responderit, simplicis contumaciæ tantummodo contra eum feretur decretum, pro quo Actor Judici & Notario sex grossos numerabit. Contumacia ea obtenta, denuo modo supra demonstrato, & intra eosdem terminos, qui supra descripti sunt, Reum citet, qui ita secundo citatus, tum demum, tanquam in termino peremptorio, respondere tenebitur. In termino secundo peremptorio si quis non steterit, parti in causa vel lucro condemnabitur, executioque mox Actori decernetur. Jus Terrestr. Terrar. Pruss. de process. in causis Civilib. t. 6. §. 5. usque 16. Si utraque pars steterit, ut constare possit, legitime Reum in Jus vocatum, ante omnia Actor, si Reus id postulaverit, vel ipsum præconem, qui citationem insinuavit, statuere debebit, vel relationem ejus de citatione reddita ad Acta factam, ex Actis publicis proferre, quorum alterutrum nisi præstiterit, Reus a termino absolvetur. Postquam Actor citationem legitime insinuatam fuisse docuerit, causam, ob quam Reum in Jus vocarit, exponet, utque Judex, quod Jure deberi sibi existimarit, decernat, petet, ulteriusque in causa procedetur. Jus Terrestr. l. c. §. 20. usque ad 22. Tenebitur quilibet, cum ad testimonium dicendum citatus fuerit, comparere & testimonium dicere, sub pœna decem Aureorum Ungaricalium, subque eadem pœna, Subditos etiam suos statuere, si testimonium ab illis requiratur; quam pœnam Judicium Terrestre, aut Palatinale, aut Commissoriale, in quo causa versabitur, mox decernere debebit, parsque a Judicio non recedendo eam Parti & Judicio dependere, aut si eam non dependat, Judicium pro executione ad Officium Palatinale remittere. Cum autem iniquum sit, ut ad testimonium, in aliena causa dicendum, in longinquiorem aliquem locum, cum

9. Relatio insinuationis ad acta ferenda.

10. Citatio testium.

cum sumptu & molestia sua quis evocetur, liberum unicuique erit, a quo testimonium exigetur, apud proximum Judicem, vel Officium, quod elegerit, sive Terrestre, sive Civile, tam in Regno quam in Prussia, testimonium deponere, quod quidem testimonium cum ab illo Judicio obsignatum, in Judicio in quo causa vertitur, prolatum fuerit, eandem authoritatem habebit, ac si in eo ipso Judicio depositum fuisset. Observari porro in omni testimonio debet, primum, ut pars, cum qua lis intercedit, ad inducendum testimonium in Judicium illud, in quo testaturi testes sunt, ad minimum duabus septimanis ante citetur, facultasque eidem fiat interrogationes suas, de quibus testis interrogetur, Judicio offerendi, contra testes testimoniave eorum, quæ ei videantur, dicendi; quod si fecerit, Judex una cum testimonio utriusque partis interrogationes & oppositiones scripto comprehendet, atque utriq; parti, si id petierit, sub sigillo edere tenebitur. Si pars citata in termino non steterit, testimonia nihilominus recipientur, partique producenti edentur; libera tamen facultate alteri parti relicta, cum apud Judicem causæ prolatæ fuerint, si, quæ contra testes aut testimonia dicat, habuerit, apud Judicem causæ ea opponendi. Si etiam testis aliquod proximum Judicium sibi elegerit, ad quos pars citari aut venire non potuerit, testimonium nihilominus recipietur, salva contradictione, si quam habeat, alterius partis apud Judicem causæ c. l. §. 37. usque 41. quod contra fidejussores in causa expensarum citando procedatur. Vid. infra de Expensis, quomodo circa rem judicatam. Vid. Executio.

11. Ad inductionem testium altera pars adcitanda.

12. Citatio in causa processus granicia-rii.

Qui Jure regere fines voluerit, ad Judicium Terrestre duabus septimanis ante terminum citatione insinuata vocare vicinum vicinosve debet, atque æstimationem quidem in citatione nullam ponere, sed tantummodo ad decernendum sibi ductum, sequente aut simili forma citare: Qui te citat ad constituendos limites inter bona sua hæreditaria villæ N. ab una, & tua itidem hæreditaria villa N. ab altera partibus, ad videndum audiendumque sibi Actori ductum decerni, vigore præsen-

præsentis citationis, ad quam Judici liter respondebis. Alii etiam vicini, qui contiguas cum bonis iis, inter quæ Judicium finium intercedit, possessiones habuerint, atque alia ratione negotium illud eos attigerit, ad eundem terminum una cum Principali, sequentis aut simul forma citationis vocari debebunt: citat vos ad demonstrandum parietem vestrum, si quem vos habere prætenditis villæ suæ hæreditati ipsius N. contiguum, quæ bona sua hæreditaria commemoratus N. secernere & dislimitari vult, limitibus signisque metalibus cum bonis N. Nobilis N. hæreditariis, ad quos limites constituendos citavit commemoratum N. tanquam Principalem, & vos adcitat tanquam Collaterales, ut ductum sibi Actori agnoscatis, vel eundem ductum Judicio contra commemoratum Principalem, & vos tanquam Collaterales, sibi decerni audiatis, ad præmissa Judicialiter responsuri. Si citatus in primo termino non comparuerit, simplicis contumaciæ tantum condemnetur. Si nec in secundo quidem termino peremptorio comparuerit, ductus Actori decernatur & in campum mittatur. Quo decreto interposito, Judex cum duobus Scabinis a Judicio ad id deputatis, in campum cum Actore ad ductum ejus exequendum descendet; vel si Judex ob valetudinem, vel alia aliqua impedimenta, adesse non possit, Scabinus prior vel sequens vices ejus obibit. Jus Terrestre Terrar. Pruss. de finib. regund. t. 7. §. 1. usque 7. seqq. Vid. plura Condescensio. Talis Praxis obtinet secundum Jus Terrestre, Jus Culmense vero sequentem in modum disponit: In omnibus casibus, ex quibus alicui in Judicio præjudicium resultare potest, prout & in omnibus actionibus & litigiis causarum, is cujus, vel alicujus alterius gratia, a quo plenipotentiam susceperit, intererit, per Judicialem præconem ordinario modo ad hoc adcitari debet, alias actus invalidus censetur; & talis citatio ex consensu & præcepto Judicis, coram quo causa ista postulatur, fieri debet. Verum enim vero in qualibet causa quilibet trina vice citari debet, antequam in causa victus pronuncietur. Quotiescunque citatus fuerit, tunc oportet eum, toties quoties primam citationem

13. Citatio est actionis basis. Trina vice quis citatus contumaciatur.

prætermiſerit, Judici mulctam præſtare, & ante exſolutionem iſtius mulctæ ulterius audiri non debet. Reviſ. l. 2. t 6. art. 1.

14 Nemo non citatus in Jure reſpondet.

Nec Scabinus nec Judex nec alius quisque in Jure reſpondere cogitur, niſi legitime per Judicii Miniſterialem publicum in Jus vocati fuerint. Judex ſi in Jure conveniatur, loco ſuo ſurgat, & Scabinum ſibi conſtituat, eoque modo Actori reſpondeat. Emend. l. 2. c. 6. Correct. l. 2. c. 13. Reviſ. l. 2. t. 6. art. 2.

15. Citatio ad incompetentem Judicem.

Si quis citatus ad locum Judicii Jurisdictionisq; cui non ſubjectus fuerit, tunc ad emanatam citationem comparere debet, cauſas ob quas ibi judicari non poſſit, propoſiturus & allegaturus. Quando vero Judex ultra productam relevantem exceptionem injuſte in Judicio attentare voluerit, tunc illud pro invalido & nullius momenti cenſendum eſt. Reviſ. l. 2. t. 6. art. 3.

16. Terminus in citatione præfixus.

In una Civitate unus & alter præſens exiſtens, die antecedente ad Judicium citari debet, ex aliis vero Civitatibus ante 14. dies citationes inſinuari debent. Ex alio ſeu altero contiguo territorio 6. ſeptimanæ, tamen quo longius e regione citatus abfuerit, eo plus dilationis pro juſta cognitione Judicii ad hoc concedi debet. Reviſ. l. c. art. 4.

17. Quando citandus præſens aut non præſens ſit.

Quilibet in præſentia exiſtens oretenus citari debet, poſt vero ſedulam requiſitionem non deprehenſus, citatio illi in domum ejus denunciari, & ſcriptotenus inſinuari debet, hoc modo, ut ipſi veraciter ad notitiam perveniat. Si vero quis omni domicilio careat hocce in loco, nec etiam ſciri poſſit, ubinam ſit deprehendendus, hunc per publicum edictum Curiæ affixum Judex adcitare debet. lib. cap. art. 5.

18. Nemo alterum in Judicium protrahet, ſed ordinario modo citet.

Ne quis alterum violenter ob quodvis debitum impedito, neve per vim in Judicium pertrahito, ſine Judicis permiſſu ac ſine Miniſterialium ope, qui in Judicii functionem jurati ſunt. Qui ſecus fecerit, vel ſibimet ipſi Jus dixerit, æſtimationem injuriæ læſo, mulctam Judici dato. Judicis autem erit arbitrium, pro conditione perſonarum & cauſæ mulctam & injuriæ æſtimationem augendi, eo ſolum excepto, ſi debitor ex fuga retrahatur. Emend. l. 2. c. 18. Correct. l. 2. c. 45. Reviſ. l. 2. t. 6. art. 6. De arreſt. Vid. ſupra Arreſtum. Si debitoris bona conveniantur.

19. An profu-

vel

vel in pignorationis causam pertrahantur, uti Juris est, debitor autem in Jus vocatus fugam ceperit, nullius rationis est fugitivum amplius evocari, sed Actor tribus Judicii solennis vicibus bona forensi præconio prostituat, uti moribus cujusque loci receptum est. Si debitor non apparuerit, Judex Actorem pro consequendo, quod probaverit debito, in bonorum possessionem per decretum immittat, uti Juris auctoritate liquet constitutum. Emend. l. 4. c. 83. plura vid. de Contumacia. Quilibet Actor ad Judicii diem post emanatam primam citationem coram Judicio comparens, citationem attestari, nec non relationem ad acta inscribere tenetur, Reus conventus compareat nec ne: Eo tum comparente, Actor libellum suum, in quo persona vel bona, super quibus agitur, etiam causa petitionis cum petitione concludendi, de quo juris cognitionem petit, expressum & comprehensum inscriptis, unum Judici, & alterum parti insinuare debet. Revis. l. 2. t. 10. art. 1. Reus conventus trina vice citatus non comparens, quando quarto ad Judicium citatus fuerit, suum legitimum impedimentum inferre debet, quare in tribus Judicii vicibus non comparuerit, attamen cum depositione Judicis mulctæ. Hæc cum secundum Juris ordinem facta sint, ad responsionem in principali causa admittitur, & ita a contumacia liberatur. Non probato vero legali impedimento, in priori condemnatione causæ ei acquiescendum est. Revis. l. 2. t. 8. art. 3. Hæc dicta sint de Civilibus, jam indagabimus Criminalia.

Fugus citandus sit.

20. Semper attestatio insinuatæ citationis in termino fiat.

21. Quarta vice citatus impedimentum suum legale probare tenetur.

In omnibus Criminalibus actionibus & postulationibus, quibuscunque modis prout possint, vel velint, intentatis, Reus conventus ad hoc legitime semper adcitari debet, quæ citatio ipsimet tunc præsenti, vel in domum suam consvetam intimari debet. Reo vero aufugiente, ista citatio per publicum edictum exequi, & Reo convento competens tempus induciarum præstari debet. Revis. l. 5. P. 1. t. 8. Reus conventus fugam arripiens, tribus vicibus, unaquaque post 14. dies, citari debet, quando se in termino non sistat, condemnatur in proscriptionem ad inferendum legale, cum itaque etiam in

22. Citatio in criminalibus.

23. Quando criminaliter accusandus aufugiat.

hoc quarto termino se non sistat, proscribitur ut Juris est. Reo in Criminalibus sese sistente, & postmodum in secundo & tertio termino Judiciali sese absentante, absque legali necessitate, vel fugam arripiente, tunc de Jure pro convicto censendus & proscribendus est. Revis. l. 5. p. 1. t. 12. art. 1. & 2. it. t. 18. art. 2.

CISTA. *skrzynia*

1. Claves cistæ Judicii Terrestris.

IN Judicio Terrestri claves cistæ, in qua libri asservantur, tres erunt, una in Judicis, duæ in Scabinorum potestate. Quod si forte vel Judex vel ex Scabinis iis aliquis legali impedimento impediatur, Judex suam seniori Scabino, Scabini proxime sequenti Scabino, & consequenter, ut quisque aliquem ordine subsequitur, claves suas transmittet. Jus Terrestre Terr. r. Pruss. de Magistratu & Judiciis t. 5. §. 25. & 26.

CIVIS. CIVITAS.

1. Civis in Senatum legi potest.

VIr bonus & nulla notatus infamia, qui Civis est, & in Civitate domicilium constitutum habet, in Senatum legi potest, si Civitati in commodo futurum æstimabitur, quantumvis fundos vel ædes proprias in Civitate non possideat. Emend. l. 1. c. 3. Correct. l. 1. c. 3. Revis. l. 1. t. 2. art. 8. Vir bonus qui Civis est, & intra Civitatis mœnia Larem collocavit, sive annonam venalem habeat, sive opificium honesti nominis exerceat, in Senatum legi potest, si ita videbitur illis, quibus optandi Jus competit, pro Jurisjurandi religione sui. Qui vero lectus, quantum ad ordinis sui vel opificii professionem attinet, eodem Jure cum cæteris Civibus censetur. Emend. l. 1. c. 4. Correct. l. 1. c. 4. Quicunque Consules, Prætores vel Scabini nominati fuerint, electionem non repudianto, sed absque ulla contradictione pro fide jusjurandi, quo Magistratui Civitatique sunt obstricti, reverenter parento. Si quod plebiscitum sit, vel si qua mulcta sit in contumacem constituta, eam contumax luito,

2. De Cive opifice in Senatum legendo.

3. Civis in Magistratus numerum lectus officium non repudiare debet.

luito, & ejus electionis immunitatem habeto. Emend. l. 1. c. 5. Correct. l. 1. c. 5. Jus Revisum loco mulctæ sancit pœnam amissionis sui Juris Civilis l. 1. t. 2. art. 9. Qui contra plebiscitum ex conventione publica latum committit, commissum Consules nomine Civitatis exequi debent, nec hanc in rem alterius Judicis indigent authoritate. Emend. l. 1. c. 9. Correct. l. 1. c. 15. Revis. l. 1. t. 2. art. 11. Si quis delinquit contra Consules vel contra Jus Civitatis & plebiscitum, ejus delicti mulctam Consules suo placito, suoque arbitrio exigant, nec eam ob rem alteri cuivis obnoxii sunt, quoniam ex re Civitatis publica delinquentes mulctant. Emend. l. 1. c. 10. Correct. l. 1. c. 11. Revis. l. c. Si quis Civis adversus Senatum temere insurgat, ubi Jus Culmense receptum sit, potestas esto Senatui Civem illum ad se accersendi, ac eidem sub mulcta pecuniaria, vel sub relegatione unius, duorum vel plurium annorum denunciandi, ut animum ab ista temeritate revocet, & Magistratui æque cum cæteris Civibus obtemperet, si dicto audiens esse noluerit, mulctam vel pœnam, sive ea relegationis, sive qua alia sit, ex condicto sustineat. Si Consules Civitatis nomine quempiam relegaverint, ipsorum arbitrium est, an cum eo depacisci & relegatum in Civitatem recipere velint vel nolint. Emend. l. 1. c. 11. Correct. l. 1. c. 12. Revis. l. 1. t. 2. art. 12. Si Senatus Civem accuset, ob delictum adversus Civitatem & plebiscita commissum, isque se gratiæ ejus dederit; Senatus si volet, gratiam delicti facere, & pœnam leviorem imponere; vel totam condonare suo poterit arbitrio. Emend. l. 1. c. 12. Correct. l. 1. c. 15. Revis. l. 1. t. 2. art. 13. Si quis Consul, Scabinus, vel quis alius Civitatis officiis vel ministeriis obnoxius, vel juratus in eodem officio, vel ministerio, corporis, vitæ vel bonorum damnum perpessus fuerit, quatenus Consules affirmant calamitatem illi causa Civitatis accidisse, is, qui dedit damnum, tanti luito, quanti plebiscito constitutum est. Si plebiscito cautum non sit, Consules expensis personæ causæque rationibus, tanti, quanti videbitur, auctorem condemnato. Si damni auctor non appareat, Civi-

4. Committens contra Plebiscitum.

5. Committens contra Consules, Jus Civitatis & plebiscitum.

6. De Civibus relegatis.

7. Civis ob patratum delictum se gratiæ Senatus committens.

8. Si quis Civitatis gratia damnum passus sit.

Civitas ipsa, cujus causa damnum datum est, ex æquo & bono compensato. Emend. l. 1. c. 14. Correct. l. c. 7. Plura vid. in Privilegio incorporationis supra sub verbo Casimirus Rex. Item infra in sic nominato Privilegio Culmensi sub verbo, Culma. De beneficio Braxationis vid. supra. De Opificibus vid. infra.

9. Cives Culmenses ad externum forum non sunt trahendi.

Quam diu Cives Culmenses justo tempore Judicium exercent, seque Juri parituros spondent, ex legitima cognitione Principis sui, vel ejus qui Principis personam gerit, tam diu ex Jure Civitatis in alienum forum ne protrahuntor, quod æque cæteris Civitatibus Jus esto omnibus proprium. Emend. l. 2. c. 32. Correct. l. 2. c. 30. Revis. l. 2. t. 7. art. 1. Vid. de Privilegiis ulteriora sub verbo, Prussia.

10. Cives non captivent Nobiles.

Cum aliquis Nobilis decreto publici Conventus, Judicio Palatinorum aut Terrestri capitur, quod sub certis pœnis in potestatem aut carcerem Civilem non tradatur, sed in manus Palatinorum. Si quis autem in Civitate, ubi nulla arx est, capitur, & auctoritate Conventus, Palatini aut Judicii in carcerem Civilem conjicitur, in potestate eorundem, & non Civitatis permaneat; Fidejussoria cautione vero a carcere hujusmodi liberetur, nisi causa fuerit Criminalis.

11. Nobiles haud arresto innodent Cives.

Et ut sub pœna viginti florenorum Hungaricalium, quorum medietas Palatino, altera parti læsæ cedat, absque ulla remissione persolvenda, Nobiles & eorum Subditi, authoritate seu potestate Civili non capiantur, detineantur aut arrestentur. Nec Nobiles auctoritate propria capiant aut detineant Cives vel eorum Subditos, sed unusquisque coram Judice suo ordinario conveniatur, & Justitiam requirat, nisi in casibus recentibus, & actionibus Criminalibus, prout pax perpetua disponit, statuens, quod delinquens in loco delicti deprehensus, & contrahens de contractu recenti in loco contractus, poterit conveniri. Vid. Constit. Sigismundi ab Anno 1538. Revis. l. 2. t. 7. art. 6.

12. Cives Terrestria bona, & Nobiles Civilia bona possidere possunt.

Civibus bona Terrestria, & Nobilibus Civilia bona liberum sit deinceps emere, ita tamen ut ad paria onera utrinque ferenda sint obligati, quod scilicet Cives ratione bonorum Terrestrium, omnia Nobilitatis onera,

onera, & Nobiles ratione Civilium bonorum, omnia Civilia onera æquis passibus ferant. l. c. item Revis. l. 4. t. 5. art. 5. Cum etiam Mercatores, & præsertim peregrini sive exotici homines, in Nobilitatis sive Civitatum injuriam, pelles, frumenta, humulum, ceram, linum, & alia mercium genera, in villis & pagis, clam & publice coemere, & negotiationes illicitas exercere soleant, auctoritate Nostra Regia firmiter inhibemus, id ne de cætero fiat, statuentes, ut deinceps Subditi Dominorum merces & res suas vendibiles in Civitates juxta veterem consvetudinem ducant, & in foro publico venales exhibeant, legitima tamen Dominorum suorum, cum pellibus ferarum & bestiolarum sylvestrium, ratione habita; Alioqui emptoribus equos & currus, venditoribus autem res venditas a Præfectis Nostris adimi & confiscari volumus. l. c. Vid. plura **Mercatura.** Ubi ratione non administratæ seu protractæ Justitiæ Magistratus in Civitatibus, nempe Senatus & Judicium conveniri debeant, id nullibi alias quam coram S. R. Majestate per ordinarias præmissas citationes fieri debet. Revis. l. 2. t. 7. art. 2. De Civium foro, eorumq; actionibus inter se vid. **Forum.**

13 Mercatura tantum adj Civitates pertinet.

14. Civitatum Magistratus coram S. R. Majestate est conveniendus.

CLAMOR, Wołanie

OLim omnis actio Criminalis primordia capiebat a clamore, uti in diversis locis Juris Culmensis leguntur vestigia. Vid. Emend. l. 5. c. 1. 17. l. 2. c. 27. Correct. l. 3. c. 1. 3. 8. 13. 16. 27. 30. 31. 51. Quæ solennitas, tametsi pro essentiali æstimabatur, hodie tamen in desvetudinem abiit, & in praxi non observatur, uti etiam de hoc testatur Revis. l. 5. t. 4. art. 1. & 3.

1. In criminalibus olim clamor initium actionis erat.

CLAVIS. Klucz.

De clavibus cistæ Judicii Terrestris vid. supra **Cista.**

COAD-

COADJUTOR. Vid. supra Auxiliarius.

COECUS.

Cœcus non potest esse testis. Emend. l. 1. c. 5. Correct. l. 5. c. 46. Revis. l. 2. t. 18. art. 1. De testamento cœci Vid. infra Testamentum.

COERCITIO.

1. De coercitione minorum. Intra pubertatis annos minores nihil intelliguntur delinquere, quo vitam vel caput committant. Si minor quempiam occiderit, vel corporis noxam intulerit, tutor æstimationem damni præstabit, uti pro cæsi vel vulnerati conditione sancitum est, si modo minor facinoris rite convincatur. Quodcunque etiam damnum minor injuria dederit, ex ejus bonis æstimationem tutor exsolvet. Si quis adultus casu, non ex animi sui proposito, minorem interfecerit, noxam æstimatam, juxta conditionem occisi integre præstabit. Si quis minorem percusserit, vel capillo traxerit, vel virgis cæciderit, ob id, quod male fecerat, non erit culpæ adscribendum, quatenus Jurejurando probaverit, se non injuriæ causa, sed emendandi saltem animo malitiam coercuisse. Emend.

2. Immoderata coercitio Mariti & Parentis. l. 5. c. 47. Correct. l 5. c. 33. it. l. 3. c. 34. Si eveniat ut mariti suas uxores prægnantes graviter & supra modum plagis coerceant, ut inde fructus lethaliter læderetur, vel etiam cum Parentes suos liberos graviter vapulassent, aut ictibus & virgis castigassent, quod probabile aut forti præsumptione fulcitum sit, eos per hoc esse interfectos, hi ejusmodi immoderatam castigationem vita & corpore eluunto. Revis. l. 5.

3. Coercitio discipulorum p. 2. t. 7. art. 6. Cum Magister discipulum manu vel ferula cædit, absque cruento sangvine, mulctam non committit. Sin ita cæciderit, ut cruenti sangvinis notam habeat, nisi quod ferularum vibicibus, vel narium effluxu fit, tam Judici quam cognatis mulctæ nomine obnoxius erit. Sin discipulum ver-

beribus occiderit, tanquam in reum cædis animadvertetur. Emend. l. 5. c. 79. Correct. l. 5. c. 17.

COEMITERIUM. Vid. Funus.

COLLATERALES. Vid. Cognatus & Hæreditas. Granicies. Condescensio.

COLONI. Vid. Rustici.

COLLUM. Vid. Vulnus.

COMPROMISSARII ARBITRI. Vid. Arbitri.

COMMISSARIUS.

UT temerariæ lites amputentur, Commissarios, sive Judices delegatos, non deputabimus in causis ad Judicium Terrestre pertinentibus, & minus in eo jam pendentibus, nisi per appellationem ordinariam, a sententia definitiva, seu interlocutoria jam lata, ad Tribunal Nostrum devolutæ fuerint, exceptis causis limitum bonorum Nostrorum Regalium, & divisione fratrum & proximorum. Nec Judices delegatos seu Commissarios, a quibus semel appellatum est, in eadem causa denuo deputabimus, aut causam ad ipsos remittemus. Non enim verisimile aut honestum videtur, quod Judex pristinam suam sententiam retractet, aut aliter postea judicet, quam antea judicaverat. Vid. Constit. Sigismundi, Anno 1538. Revis. l. 2. t. 4. plura vid. de Finibus regundis. Condescensio.

1. Rex in causa Terrestri non constituit Commissarios.

COMMODATUM, pożyczana rzecz

1. Commodatum non est deteriorandum.

2. De re commodata.

Quæcunque res commodato vel pignori datur, ita restitui debet, ne deterior facta sit, vel pro ea pretium, quo fungitur æstimatum, veniet solvendum. Emend. l. 4. c. 1. Revis. l. 4. t. 2. art. 3. Correct. l. 5. c. 7. Commodo dat quis, vel commendat alicui rem mobilem, cujuscunque sit generis bona fide, atque is qui acceperat e vita deinde migravit: Si depositor vel ejus hæres rem eam ab hærede defuncti repetat, isque neget auctori suo, dum in vivis esset rem commodatam, vel apud eam depositam, interveniente Jurisjurandi religione sui actionem declinare poterit. Sin autem testibus conveniatur, ipse etiam testium adminiculo actoris petitionem elidat necessum est. Quod si conventus opponat, rem eam sibi suis nummis addictam, magis est ut rem retineat, si modo possidet, quam Actor eam vindicare possit. Si is qui rem commodavit vel deposuit Juris ordine comprobaverit, rem suam ab eo possideri, conventus negans nullo Jurejurando excusatur. Emend. l. 4. c. 2. Correct. l. 5. c. 7.

3. Si res commodata alteri porro detur.

Si quis alicui rem commodaverit, pignori dederit, vel penes aliquem deposuerit, atque is porro eandem rem tertio pro nummis mutuo sumptis oppignoravit, primus a tertio rem ne vendicato, sed ad eum regreditor cui rem suam commodaverat, pignori dederat, vel depositam crediderat. Emend. l. 4. c. 7. Correct. l. 5. c. 8. Revis. l. 4. t. 2. art. 3. Ubi vero additur, nisi ille tertius scivisset rem commodatam ejus a quo eandem accepisset, non propriam sed commodatam fuisse, tunc primo postulanti eo nomine respondere tenetur, prout ac si eadem res ab eodem ipsi commodata fuisset. Vid. l. c.

4. Quando ante præfixum tempus commodatum repeti possit.

Quando quis alteri ex bona voluntate aliquid commodaverit ad quendam singularem usum, & absque conventa vel conducta mercede, tunc commodans non repetit ante tempus, nisi commodatarius, eadem re abuteretur, vel res ipsius taliter se haberet, ut periculum incideret, rem commodatam ab ipso perempturam & ad nihilum redactum iri. Quando etiam commodanti aliquid, ex improviso inciderit, ut re propria

pria ipse indigeat, nec absque suo damno eadem carere possit, vel etiam in hujusce rei periculum inciderit, tunc simili modo ante præfixi temporis exitum hujus, eandem recipere & rursus postulare poterit. Revis. l. 4. t. 2. art. 2. Qui rem commodatam in aliis locis, vel alio modo, vel longiori tempore, quam fuerit commodata, absque commodantis scientia & voluntate usurpaverit vel usus ea fuerit, is ratione abusus omnia damna, decessus & præjudicia refundere tenetur. Revis. l. 4. t. 2. art. 4. plura vid. de Vindicatione.

5. Quomodo commodatum restitui debeat.

COMPARITIO coram JUDICE & JUDICIO

Vid. Citatio Forum, Litis contestatio.

COMPETENS FORUM & Judex.

Vid. Forum.

COMPLEX DELICTI.

Vid. Auxiliarius.

COMMISSUM.

Nullus suo facto res alienas committit. Itaque si quis facinus designet ejus generis, quo bona ejus in commissum cadunt, & interim ab alio rem emerit pretio nondum soluto, re tamen integra, res venditori redhibeatur, si quid ejus ab emptore consumptum sit, compensetur, ac si quid emptionis nomine perceperit, venditori illud utrumque ut restituatur Juris dictat ratio. Emend. l. 5. c. 13. Correct. l. 5. c. 21. plura vid. Sartor.

1. An res alienæ committantur.

COMMUNIO. *Spoteczności.*

1. Vir & uxor vivunt in communione bonorum.

VIr ac mulier matrimonio juncti, juxta Juris Flammingensis hæreditarii ordinem, in communione bonorum vivunt. Emend. l. 3. c. 22. Revis. l. 3. t. 8. art. 21. Si eveniat, ut quispiam in transmarinis regionibus, quin imo alibi, vel extra, vel intra Prussiam, æs alienum clam contraxerit, ac interim filiam honesti viri in matrimonium duxerit, cum Patri & cognatis de ejus ære alieno, quo nexus erat certum non constitisset; tunc enim debita mariti, quæ ante sponsalia contraxerit, ex bonis vel dote mulieris minime exsolvuntor, sed integrum est mulieri res suas dotemque suam tueri ac usucapere, quandoquidem mariti fortuna tum particeps non fuit, sed iniquis utique modis in fraudem illecta satis aperte videatur. Cæterum omne æs alienum quod constante matrimonio per virum vel mulierem contractum est, sive mercimoniis exercendis, sive alia quapiam causa suggerente, quandoquidem Jure Flammingensi hæreditario maritus & uxor in communione bonorum omnium pari lucro parique damno constituti sunt, ex utriusque patrimonio integre, sine ulla prærogativa dotis, vel alterius cujusvis beneficii, Jure communi scripto, mulieribus indulti, ut dissolvatur & dispendatur, jam pridem moribus est constitutum. Emend. l. 3. c. 62. Correct. l. 5. c. 58. Revis. l. 4. t. 14. art. 14.

2 De communione unius fundi dissolvenda.

Cum hæredes quinque seu plures seu pauciores, domum, granarium vel alium fundum, erciscundæ familiæ, vel alio titulo communem possident, eumque communem amplius habere nolunt: Juris auctoritate receptum est, ut ii, qui communionem, vel societatem bonorum dissolvere desiderant, fundum communiter possessum æstimato proponere debeant, utque ii, quibus æstimatus fundus proponitur, optionem habeant, fundum æstimato pretio vel sibi retinere, vel æstimanti eodem pretio relinquere. Emend. l. 3. c. 45. Revis. l. 3. t. 10. art. 13. Vid. infra **Societas**.

CON-

CONCUSSIO. Vid. Injuria, Vulnus, Verbera.

CONCURSUS CREDITORUM

Vid. Creditor.

CONDUCTIO. Vid. Locatio, De Conductione Servorum, Vid. Servus.

CONDESCENSIO JUDICII TERRESTRIS.

QUi Jure regere fines voluerit, ad Judicium Terrestre duabus septimanis ante terminum citatione insinuata vocare vicinum vicinosque debet, atque æstimationem quidem in citatione nullam ponere, sed tantummodo ad decernendum sibi ductum, sequente aut simili forma citare: Qui te citat ad constituendos limites inter bona sua hæreditaria villæ N. ab una, & tua itidem hæreditaria villæ N. ab altera partibus ad videndum audiendumque sibi Actori ductum decerni vigore præsentis citationis, ad quam judicialiter respondebis datum &c. Alii etiam vicini, qui contiguas cum bonis iis, inter quæ Judicium finium intercedit, possessiones habuerint, atque alia ratione negotium illud eos attigerit, ad eundem terminum una cum Principali, sequenti aut simili forma citationis vocari debebunt: Citat Vos ad demonstrandum parietem Vestrum, si quem Vos habere prætenditis, villæ suæ hæreditati ipsius N. contiguum, quæ bona sua hæreditaria commemoratus N. secernere & dislimitari vult, limitibus signisque metalibus cum bonis N. Nobilis, N. hæreditariis, ad quos limites constituendos citavit commemoratum N. tanquam Principalem, & Vos adcitat tanquam collaterales,

1. Citatio pro finibus segundis.

2. Citatio vicinorum & testium.

les, ut ductum sibi Actori agnoscatis: vel eundem ductum Judicio contra commemoratum principalem, & Vos tanquam collaterales, sibi decerni audiatis, ad præmissa judicialiter

3. Citati contumacia. responsuri. Si citatus in primo termino non comparuerit, simplicis contumaciæ tantum condemnetur. Si ne in secundo quidem termino peremptorio comparuerit, ductus Actori

4. Ipsa condescensio. decernetur, & in campum mittatur. Quo decreto interposito, Judex cum duobus Scabinis a Judicio ad id deputatis, in campum cum Actore ad ductum ejus prosequendum descendet; vel si Judex ob valetudinem, vel aliqua alia impedimenta adesse non possit, Scabinus prior aut sequens vices

5. Literæ innotescentiales. ejus obibit. Prius autem sequente aut simili forma innotescentiæ quatuor septimanarum termino præstituto, Reum ad executionem citabunt: Mandamus tibi, ut coram Nobis, tanquam a Judicio deputatis, feria secunda post festum S. N. nunc instans proxima, in loco campestri, inter bona hæreditaria Nobilis N. dicta N. & tua itidem hæreditaria dicta N. in quo videlicet commemoratus N. Actor Nos collocabit, compareas ad attentandum & videndum, Nos ab ipso duci, juxtaque ductum eum fines & limites ab illo regi & constitui, scopulis excitatis, aliisque signis metalibus constitutis, juramentumque ab eo & testibus præstari, tanquam Actore, in veram & justam constitutionem limitum ductumque, quemadmodum commemoratum ductum in Judicio Terrestri, in terminis præteritis, contra te obtinuit; ad quam executionem ejus a Judicio Terrestri deputati sumus, præmissa ju-

6. Adcitatio collateralium dicialiter attentaturus. Eadem fere forma juxta modum superius descriptum Collaterales etiam adcitabuntur: In termino hoc Actor ducet Judicium pro arbitrio conscientiaq;

7. Limitum ductus. sua. Deputati vero a Judicio, itidem pro conscientia & juramento suo, vel approbabunt ductum, vel, si minus modum æquitatis Actorem excedere, ex attestationibus & monumentis animadverterint, moderabuntur, limitesque scopulis exci-

8. Juramentum Actorum. tatis, aliisque signis metalibus constituent, Appellatione ad superius Judicium utrique Parti salva relicta. Ductu finito circa finalem & acialem scopulum jurabit Actor Actoresve

cum

cum Subditis, quos deputati a Judicio delegerint, in veram & justam limitationem, quodque nihil soli proprietatisve ipsius citato ademerit, aut ab illo alienarit. Quod si in eo termino citatus citative in rem præsentem non venerint, contumacesve fuerint, nihilominus Judicium tenebitur Actorem sequi, finesque secundum ductum ipsius regere, ita nimirum; ut non obstante absentia citati, in ipsius Judicii præsentia nihilominus Actor, quemadmodum supra ostensum est, circa ultimum & acialem scopulum, supra commemoratum Juramentum præstet. Qui quidem limites eo, quo demonstratum est, modo constituti, & Juramento Actoris confirmati, durabunt & servabuntur. Si ex consensu vel controversia partium, in rem præsentem remissio fiet, citatio talis edetur: Nos N. N. Judex & Scabini a Judicio N. delegati, tibi Nobili N. hæredi in N. Regio & Officii Nostri vigore mandamus, ut coram Nobis in loco campestri finitimo inter bona hæreditaria N. Nobilis N. in N. tanquam Actoris ab una, & tua itidem hæreditaria N. ab altera partibus, feria N. post festum S. N. ad instantiam præfati N. Actoris personaliter & peremptorie compareas, qui te citat in campum & rem præsentem, ex Remissione Judicii Terrestris ad Nos, ad limites inter bona N. ipsius Actoris hæreditaria, & N. bona itidem hæreditaria tua constituendos, atque audiendum & videndum, alterutri Vestrum, aut alioqui ipsi Actori ductum decerni, juxta citationem ipsius Actoris, remissionemque Judicii Terrestris, secundum limitationem commemoratorum bonorum, quam judicialiter attentabit. Simili fere citatione, verbis ad rem & personas eorum accommodatis, collaterales adcitabuntur. Quod si citatus in aliquo horum termino aliquo legali impedimento retentus, aut etiam citationis ignorantia non comparuerit, eodem modo de restitutione in integrum agere, legaleque impedimentum, aut ignorantiam probare, tandemque restitutionem obtinere poterit. Cum in rem præsentem ventum fuerit, Judicium ad limites constituendos delegatum ei, qui evidentiora signa demonstrabit, ductum adjudicabit. Itaque si alteruter ex litigantibus

9. Ductus limitum in contumaciam.

10. Citatio ex remissione Judicii.

11. Absentis restitutio in integrum.

12. Cui ductus adjudicandus.

bus vel certa literarum documenta, vel ad minus tres ſcopulos, ſeu tumulos, aggeres, ſignave notabilia in campo, in ſylvis vero cruces in arboribus legitime limitum cauſa inciſas, & teſtimonio ſufficienti comprobatus, aliaq; probabilia limitum indicia demonſtrabit, ſub conſcientia ſua ei ductum adjudicabunt. Si pars utraq; ſigna ſua habeat, ei, qui plura & notabiliora; ſi neutra, tum ſi quis fluvius aut rivus utramque poſſeſſionem diſtingvat, naturalis inter eas limes erit, utq; pro limite obſervetur, decernent. Qui quidem fluvius ſive rivus ſi naturaliter ſine ullo hominis miniſterio alveum commutarit, alioque meatum ſuum diverterit, nihilominus primævus alveus, per quem antea aqua decurrit, verus limes hæreditatum illarum erit. Si neutra pars ſigna notabiliora habeat, neque rivus aliquis aut fluvius intercedat, qui ad minimum per decennium in pacifica poſſeſſione ſe fuiſſe docere poterit, ei ductus decernetur; Si ne de poſſeſſione quidem conſtare poterit, a Judicio deputati pro conſcientia ſua vel Actorem vel citatum, moderatione adhibita, ad ductum & Juramentum, ſi neceſſarium judicaverint, quemadmodum ſtatutum eſt, admittent.

13. Appellatio. Si forte contra hæc Judicium ad limitationem deputatum aliquid decreverit, Parti gravatam ſe exiſtimanti ad Conſiliarios terrarum Pruſſiæ, vel Tribunal Regni indifferenter appellare liberum erit: unde deinde ad illud idem Judicium pro executione remittetur.

14. Connotatio ad Acta ductus limitum. Limites ita conſtitutos, tum totius ductus ſeriem ſcriptam & conſignatam Partibus poſtulantibus idem Judicium edet, præterea vero, ad perpetuam rei memoriam in terminis terreſtribus in Acta Terreſtria referendam Pars alterutra curabit.

15. Sportulæ Judicio dandæ. A ſingulis integris bonorum limitationibus, tot nimirum, quot fecerint, etſi uno die plures fecerint, ultra alimenta quinque florenos Pars, quæ ductum obtinuerit, Judicio, ſeu, qui a Judicio deputati fuerint, dare tenebitur.

16. Crimen falſi propter motum metalis ſigni. Si quis tumulos vel veteres vel nuper judicialiter conſtitutos, vel alia ſigna metalia, ſeu integra, vel ex parte disjecerit, exciderit, corruperitve, terminum in Judicio Terreſtri habebit. Ex Actoris & Ditati controverſiis, absque

absque quavis mora & dilatione de medio sui duos Scabinos ad indagandam rei veritatem, Partibus termino constituto, in campum mittet. Et si compertum sit, limitem temere violatum corruptumve esse, ibidem in instanti præsentibus Scabinis violatum limitem Citatus restaurabit. Ratione vero pœnæ quinquaginta aureorum in Judicio Terrestri in primis terminis Terrestribus conservatum terminum peremptorium habebit. Iisdem pœnis tenebitur qui privatim sine auctoritate Judicii limites signaque aliqua limitanea erexerit, constituerit, feceritve. Quarum pœnarum nomine eodem omnino modo, quemadmodum contra legitimi termini motorem, contra eum procederetur. Si plures unius possessionis domini fuerint, interque eos minorennes aliqui essent, nihilominus æque Judicium ad limitationem procedat, minorennitate aliquorum non obstante. Vid. Jus Terrestr. Terrar. Pruss. tit. 7. plura Vid. Finis.

CONDICTIO. Umowa.

SI quis alterum ob crediti causam in Jus vocet, quod testibus planum facere possit, reus autem neget quicquam illi debere, eamque in rem innocentiam suam se religiose testibus præsentibus probaturum asseruerit, ac ideo dilationem in tres Judicii constituti vices impetraverit, ut conscientiæ Jurique satisfaciat, quo die se Jus suum probaturum suscepit; si ea die cum testibus non adsit, Actor debiti causam, quod petebat, Jure vicit, sic ut conventus intra diem decimum quartum solutionem præstare compellatur. Emend. l. 4. c. 34. Correct. l. 3. c. 40. Qui coram Judicio pecuniam postulat, ab alio quopiam, interroget tunc Conventus, unde & quare illi debeat? Jure Actor dicere tenetur, an ex promissione, vel ex extradenda hæreditate debeat, vel acceperit, & hoc probare tenetur ut Juris est. Revis. l. 3. t. 6. art. 1. Emend. l. 4. c. 36. De pensione condicenda Vid. Census. De alimentis condicendis Vid. Alimenta.

1. Condictio crediti.

2. Titulus debiti est allegandus circa conditionem.

De condictione mercedis servorum Vid. infr. **Merces.**

3. De diversis debitis diverso die condictis.

Si quis in Judicio constituto spoponderit, interposita bonorum omnium hypotheca, se debitum certo die soluturum, ab eodem debitore etiam alii Creditores, tam ante quam post hanc sponsionem æs suum Jure obtinuerint ac evicerint, hunc servabimus ordinem; ut illi primum solutionis locum sortiantur qui debita sua primum Jure decretoque adjudicata habeant: deinde stipulatorem, cui in diem certum sponsio sub hypotheca bonorum facta est, vocabimus: tandem reliquos, qui post sponsionem æs suum evicerunt, in debitoris bona vel possessiones quascunque habet vel post mortem relicturus est, admittemus. Emend. l. 4. c. 46. Correct. l. 3. c. 98.

4. Si tres creditores simul creditum condicant.

Tres Creditores debitorem unum in Jure solenni conveniunt, primus, verbi gratia, marcas petit decem, quas debitor fatetur, secundus sex petit marcas, quas iti dem sibi creditas ille affirmat, tertius quatuor condicit marcas, quas debitor non inficiatur, eaque omnia in Judicio constituto solenniter aguntur, itaque omnes in bona debitoris ex ipsiusmet confessione, qua in Jure debita singulorum agnoverat, immittuntur; Bona vero non omnium debito ferendo sufficiunt. Etenim si primus & secundus, quod in illorum est nominibus, integrum capiunt, tertio nihil quo sibi consulat, erit reliquum. Proinde si tertius Judicis cognitionem interponi petat, quandoquidem creditum ejus confessione sua in Judicio constituto cum cæteris æque liquido testatus sit, an non teneantur cæteri, tertium in viriles portiones admittere, & simul Jusjurandum dare quod debitor tanti sit illis obnoxius, tantumque in ejus usum erogaverint, quanti actionem instituerunt? Quæstio sic deciditur: Cum tres creditores in unius debitoris bona Jure mittuntur, quod debiti nomine se teneri ipsemet in Jure confesso testatus sit, primus Creditor debitum suum præcipiat, secundus porro sequatur, neque coguntur tertium in viriles portiones secum admittere. Sin autem tertio quicquam desit, quo minus debitum suum ex bonis iisdem consequatur, Jure decretoque primum & secundum

dum adigere poterit, ut jurati fidem faciant verum debitum se condixisse, & debitor juret non suo compendio in alicujus fraudem tanti se debiti summam agnovisse. Emend. l. 4. c. 76. Correct. l. 3. c. 123. Quisquis ab alio, nec interest, viro seu muliere post auctoris mortem debitum exigere volet, manifesti Juris est, ut testimoniis probatio constituatur. Atqui liberum erit Actori, debitum a Convento post Auctoris mortem petenti, Jurejurando suo debiti fidem facere, si modo conventus ejus animi religionem sequi volet. Sin is autem opponat, se nullius debiti sibi conscium, neque se debitorem esse, tunc Actori incumbit probatio. At si dicat debitum a se solutum, onus probandi in ipsum Juris ordine redundat. Si minor in Jus vocetur ob æs alienum a patre contractum, nec illud minori propinquis & tutoribus liquido constet: Actoris erunt partes ut debitum vel testibus vel aliis legitimis documentis, quæ Jure requiruntur, demonstret, hoc facto minor cogitur ad paterni debiti solutionem, nisi contrariis documentis vel testibus Actoris probationes confutare possit: quo casu fortius dicendum, quod minoris, tanquam Rei, liberationi consulatur. Emend. l. 4. c. 38. Correct. l. 3. c. 54. Revis. l. 3. t. 6. art. 2. Auctoris mortem tum intelligimus, cum alicujus pater, mater, frater, soror, vel alius consangvineus proximus in fata concessit, cujus hæreditatem ille capit. Hæreditatis enim ratione Jura & actiones in Successorem ab Auctore transeunt. Emend. l. 4. c. 39. Correct. l. 3. c. 55. Revis. l. c. Vid. plur. infra Creditor.

5. De probatione debiti condicendi.

6. Quid per auctoris mortem intelligatur.

CONFESSIO. wyznanie

PRætori in dies singulos ob debitum quod liquidum & confesso constat & probatum est, Jurisdictionem exercendi sine probationum solennitate potestas esto. Emend. l. 2. c. 15. Correct. l. 2. c. 21. Quando quis mente vel ratione integra sanus, aliquid in Judicio bannito, coram Judicibus & Scabinis confessus fuerit, id pro sufficienti probatione in eadem causa contractum censendum est, & ad ejus-

1. De notione debiti liquidi

2. Propria confessio plenissima probatio.

modi confessionem executio Juridica absque ulteriori consideratione contra ipsum fieri debet. Quando quis extra Judicium benevole & libere confitetur, & is, cujus interest, cum bonis viris obtestetur, etiam postmodum duobus testibus judicialiter probaverit, illud tam validum ac firmum esse debet, ac si ab initio coram Judicio bannito factum foret; ubi vero quis non obtestaretur, vel ipse non præsens fuerit, cum alter confiteretur, tunc iste confitens ex æquis productis causis revocare facultatem habet. Cum quis aliquid modo ebrioso ex ira, vel errore factorum, vel aliis similibus circumstantiis, inconsiderate extrajudicialiter, præmemorato modo, confessus fuerit, tunc id revocare eidem licitum est, nimirum cum Jurejurando suo comprobaverit, se ex præfatis & similibus causis sine ratione inconsiderate elocutum esse, & dicta sua neutiquam in veritate existere. Revis. l. 2. t. 17. t. t. plura Vid. Creditor. item Tortura.

CONFISCATIO.

1. Ob maleficia, quæ morte eluit, nemo bona sua amittit.

NEmo ob maleficium amittit bona sua, quando vitæ amissione punitur, sed suis proximioribus hæredibus ipsius bona cedunt & dari debent. Simili etiam modo observandum est cum his, qui metu pœnarum sibi mortem consciscunt, etiamsi illud post latam sententiam factum fuerit. Revis. l. 5. p. 2. t. 14. Correct. l. 4. c. 48. Quando quis mortuorum cadavera e conditoriis proprio ausu eximit, ejus bona Ecclesiæ Fisco omnia adjudicantur. Vid. infra Sepulchrum, item de Executione.

COMMODUM. Vid. Societas. Towarzyst[wo]

Spółmieszkania Rzemieślnik

CONTUBERNIUM. Vid. Opifex.

CON-

CONTUMACIA. niestaiączych Prawa.

1. Contumacia Juris Terrestris.

IN Jure Terrestri ratione contumaciæ tales habentur leges: Actori in Jus reum vocare integrum erit, ad quam citationem si non comparuerit; tum primum contumaciæ condemnabitur, nisi forte vel ex Jure vel ex sententia Judicis peremptorius is terminus fuerit. Si vero citatus docere poterit sibi de citatione illa nihil constitisse, vel minus legitime insinuatam fuisse, ab eo termino & citatione, non vero a causa, toties quoties hujusmodi vitium intervenit, liber erit. Terminus nullus in nullo Judicio peremptorius sit, præterquam ii, de quibus diserte, ut peremptorii sint, Jure constitutum est, aut inscriptione quis se submisit; in aliis causis, in quibus peremptorius terminus diserte non constitutus est, si ad primam citationem Reus non responderit, simplicis contumaciæ tantummodo contra eum feretur decretum, pro quo Actor Judicio & Notario sex grossos numerabit. Contumacia ea obtenta, denuo modo supra demonstrato, & intra eosdem terminos, qui supra descripti sunt, reum citet, qui ita secundo citatus, tum demum, tanquam in termino peremptorio, respondere tenebitur. In termino secundo peremptorio, si quis non steterit Parti in Causa vel lucro condemnabitur, executioque mox Actori decernetur. Si forte parte aut Procuratore ejus, in loco Judicii quidem præsente, per negligentiam tamen, vel etiam aliam justam causam non respondente, decretum latum fuerit, ante occasum solis arrestare integrum ei erit; quo quidem ita arrestato, sequente die aut Judiciis ante omnes alias causas de eo cognoscere Judicium tenebitur. Si Actor non steterit, in quolibet termino in evasione condemnari poterit. Jus Terrestre Terrar. Pruss. tit. 6. de Process. in caus. Civil. §. 12. usque 20. circa Processum finium regundarum sic observatur:

2. Contumacia in processu graniciario

Si citatus in primo termino non comparuerit, simplicis contumaciæ tantum condemnetur. Si ne in secundo quidem termino peremptorio comparuerit, ductus Actori decernatur & in campum mittatur. Si in ter-

mino per Deputatos, mediantibus literis innotescentialibus, in termino citatus citative in rem præsentem non venerint contumacesque fuerint, nihilominus Judicium tenebitur Actorem sequi, finesque secundum ductum ipsius regere, ita nimirum, ut non obstante absentia citati, in ipsius Judicii præsentia nihilominus Actor, circa ultimum & acialem scopulum solutum juramentum præstet. Vid. Jus Terrestr. tit. 7. plura vid. Condescensio Judicii Terrestr. Contumacia proprie est, si quis tribus Judicii vicibus adcitatus non comparet, aut equidem comparet sed sine causa quæ Juris est, non vult respondere. Citatio autem per Pedellum Juris ordine debet attestari, quod secundum Praxin sit insinuata & expedita Jus Culm. Revis. l. 2. t. 9. art. 1. Quando Conventus non comparet, & hoc coram Judicio attestatur contra eum, tunc ad instantiam Actoris in hoc ad quod fuit adcitatus in contumaciam condemnatur usque ad inferendum suum legale, ad quod iterum peremptorie adcitandus est. Si non comparet, neque sufficiens legale impedimentum probat, ad petita libelli condemnando pronunciatur, &, quasi ordinaria sententia sit lata, pro executione remittitur. ib. art. 2. Quando Actor aliquem prima & secunda vice adcitat, & in præfixo termino ipse non comparet, tunc Conventus ab observantia termini & instantia Judicii absolvitur, ut Actori reassumptio causæ non prius sit concedenda nisi prius Convento omnes expensas judiciales, quæ causatæ fuerunt, refundat: Quando vero Actor in termino tertio non comparet & contumax ipse fit, tunc Conventus in universum à causa absolvitur, & Actor in hac causa ad ulterius agendum non admittitur. ibid. art. 3. Si quis absens accusetur ob maleficium, cædem, vulnerationem atrocem, vel ejus generis simile factum recens designatum, cujus pœna in corpus delinquentis extenditur, dies illi dicitor post triduanæ noctis interstitium, deinde vadem ter postulato. Si vadimonium sua fide nemo præstare velit, absens in continenti proscribitor, nec Actori deinceps testibus eum convincendi necessitas esto. Jus Culm. Emend. l. 5. c. 4. Correct. l. 2. c. 9.

Marginalia:

3. Quid sit contumacia.

4. Contumacia usque ad inferendum legale impedimentum.

5. Quando Actor ipse fit contumax.

6. Si quis absens de maleficio conveniatur & contumax fiat.

c. 9. Jus Revisum sic disponit {: Quando in Criminalibus reus se per fugam eripuit, tribus vicibus semper post 14. dies adcitandus est, si non compareret, proscribitur usque ad inferendum legale; & si iterum in quarto termino se non sistit, proscribitur ut Juris est. Revis. l. 5. part. 1. t. 12. art. 1. Quando Reus in criminalibus primo se sistat, & postea secunda & tertia Judicii die emaneat, absque legali impedimento, seu aufugiat, tunc de accusatione est convictus & Proscribendus est. ibid. art. 2. Si aliquis in Criminalibus ex Actoratu agat contra aliquem, & ipse in termino non compareat, solvit ille Judici mulctam, & Convento expensas, & ipse Conventus ab instantia absolvitur. Revis. l. 5. p. 1. t. 11. Cum quis alium in Jus vocat, eumque accusat vel ob literas falso confectas, vel ob debitum, vel ob vim sibi illatam, reus autem ad Judicium suis vicibus ordine constitutum defendendi sui gratia non veniat, Actor causam eam in Reum Jure obtinuit, sic ut intra dies quatuordecim ille rem judicatam facere jubeatur, nisi quod gravius impedimentum obvenerit. Itaque cum Actor omnes actionis suæ partes in Reum solenniter peregerit, & testimonio Judicis & Scabinorum executio sit decreta in dies quatuordecim, in dies octo, in triduum, tandem in diem unum, bona Rei ob eam causam, quam Actor in Jure vicit, manu & auctoritate Judicis capiatur, & Reo usque & aditus illorum interdicatur. Sin Reus in eo foro nulla bona possideat, Judex eum Edicto suo circumscribat: ubicunque tum Actor eum apprehenderit, detinendi & impediendi, absque Judice, Jus habebit, propter rem in eum judicatam. Nec Reus innocentiam prætendere poterit, sed debitum, quanti dicatum est, exsolvere cogetur. Ob vim vero factam adversus eum decernetur uti in pacis publicæ violatores legibus sancitum est. Oportet autem ut Actor fractæ pacis Reum evidenter convincat, ut in eum falsi Judicium exerceatur. Si Actor Reum autem in Judicio antea de crimine falsi, de debito, vel de pace violata suspectum non fecerit, etiam nunc actionem intendere non prohibetur, si Reus factum agnoscit, pœnam

Jure

7. Dispositio Juris Revisi.

8. Alia accusati contumacia.

9. Quando in Criminalibus Actor sit contumax.

10. Decretum in contumaciam absentis

Jure constitutam patietur: Si negat, innocentiam Jurejurando comprobabit. Emend. l. 5. c. 59. Correct. l. 3. c. 59. Vid. plura Impedimentum legale, Absentia.

CONSUL.

1. De Consulum & Pro-Consulum electione.

CUm primum Civitas Culmensis scitu consensuque Principis constituta & Jure Civili donata fuisset, Jus hoc Civibus dabatur arbitrio suo Plebiscita condendi. Hi Cives re deliberata Consules & Scabinos crearunt, qui tum ab initio jurabunt, & nunc etiam singulis annis Jusjurandum, quoties in ordinem leguntur, sui Principis & Civitatis honorem, commodum & Jus tuendi conservandique, quam optime possint ac valeant cum hominum Consilio prudentiorum. Consules vero Pro-Consules eligunt, unum vel vel plures juxta municipii consuetudinem inter ipsos usurpatam. Cæterum qui Scabinos, Consules & Pro-Consules cooptandi Jus habent, Jusjurandi religionem observanto, ne muneribus, timore, iracundia, vel favore ducti quempiam nominent, nec ullam cognationis vel arctioris amicitiæ rationem ad animum admittant. Jus Culm. Em. Cap. 1. lib. 1. Correct. lib. 1. c. 1. Revisum addit & mutat: Consules eliguntur ex Scabinis, Consules eligunt unum, duos, tres aut quatuor Pro-Consules, secundum unius cujusvis loci consuetudinem. Ista electio inter eos annuatim certa die fieri, & absque gravi impedimento non differri aut dies mutari & impediri debet. Inhibitum quoque sit Capitaneis Arcium minorum Civitatum, ne ejusmodi electioni derogent aut contrarientur, sed solum de noviter electis Jusjurandum accipiant nomine SS. Regiæ Majestatis, neque hoc denegent aut impediant. Revis. l. 1. t. 2. art. 7. Quamprimum novi Consules a veteribus adoptati sunt, spondent se Antecessorum Actis publicis non derogaturos, nec quippiam immutaturos in iis, quæ illi, quam diu Rempublicam administrarunt, in Civitatis usum egerint ac constituerint. Quo facto novis Consulibus veteres potestatem Senatoriam largiuntur

2. De potestate Senatoria novis Consulibus præstanda.

giuntur, eosque in subsellia sua sessum admittunt. Emend. lib. 1. c. 2. Correct. l. 1. c. 2. Vir bonus & nulla notatus infamia, qui Civis est, & in Civitate domicilium constitutum habet, in Senatum legi potest, si Civitatis id commodo futurum existimabitur, quantumvis fundos vel ædes proprias in Civitate non possideat. Emend. l. 1. c. 3. Correct. l. 1. c. 3. Revis. l. 1. t. 2. art. 8. Vir bonus, qui Civis est, & intra Civitatis mœnia locum collocavit, sive annonam publice venalem habeat, sive opificium honesti nominis exerceat, in Senatum legi potest, si ita videbitur illis, quibus optandi Jus competit, pro Jurisjurandi sui religione. Qui vero electus est, quantum ad ordinis sui vel opificii professionem attinet, eodem Jure cum cæteris ejusdem ordinis Civibus censetor. Emend. l. 1. c. 4. Correct. l. 1. c. 4. Quicunque Consules, Prætores vel Scabini nominati fuerint, electionem non repudianto, sed absque ulla contradictione, pro fide Jurisjurandi, quo Magistratui Civitatique sunt obstricti, reverenter parento: Si quod Plebiscitum, vel si qua mulcta sit in contumacem constituta, eam contumax luito, & ejus electionis immunitatem habeto. Emend. l. 1. c. 5. Corr. l. 1. c. 5. Jus Revisum sancit, ut non repudiet votum electionis ad quodlibet officium publicum, sub pœna amissionis Juris Civitatis, l. 1. t. 2. art. 9. Consules potestatem habent curandi & judicandi omnis generis annonam, utputa, panem, cerevisiam, carnem, piscem, & alias annonæ species, ut justo pretio præbeantur, neve Cives vel homines inopes defraudentur. Consules etiam potestatem habent judicandi cujuscunque modi fraudem in mensuris, modiis, libris seu stateris, & ulnis commissam, nec non mercium omnis generis falsitatem & malitiam vindicandi. Si quis in quavis merce fraudem fecisse convictus fuerit, is secundum uniuscujusque loci plebiscitum ac perpetuam consvetudinem puniatur. Emend. l. 1. c. 6. Correct. l. 1. c. 6. Revis. addit Consulibus facultatem disponendi super quibusvis rebus, quæ ad bonum ordinem Civitatis, ejusque membrorum, & conservationem pacis publicæ ac honestatis faciunt. Lib. 1. tit. 2. art. 10. Qui

3. De Cive impossessionato in Senatum legendo.

4. De opifice in Senatum legendo.

5. De electionis voto non repudiando.

6. De potestate Consulum in judicanda annona, ponderibus & mensuris.

7. De exercitatione annonæ & ejus fraudibus.

Qui venalem annonam exercent, si fraudaverint, vel oneraverint eandem, aut virgis cæduntor, aut a Senatu, personarum qualitate, proque delicti modo mulctantor: utramvis pœnam eligere malit, arbitrium Senatus esto. Fraudem is etiam fecisse dicetur, qui pluris annonam vendit, quam a Consulibus constitutum est. Emend. l. 1. c. 7. Correct. l. 1. c. 9.

8. De Jure mensurarum.

Cujuscunque generis modii vel statæ mensuræ sint, quæ in molendinis ad Civitatis Jurisdictionem pertinentibus usurpantur, in eos easve Civitatis Plebiscitum extenditur, ex cujus præscripto Consules definiunto, si qua fraus vel iniquitas modio vel mensura committatur. Emend. l. 1. c. 8. Correct. l. 1. c. 10.

9. Consulum executio.

Qui contra Plebiscitum ex conventione publica latum committit, commissum Consules nomine Civitatis exequi debent, nec hanc in rem ullius alterius Judicis indigent auctoritate. Emend. l. 1. c. 9. Correct. l. 1. c. 15.

10. De Jure & modo mulctarum.

Si quis delinquit contra Consules vel contra Jus Civitatis & Plebiscitum, ejus delicti mulctam Consules suo placito suoque arbitrio exigunt, nec eam ob rem alteri cuivis obnoxii sunt, quoniam ex re Civitatis publica delinquentes mulctant. Emend. l. 1. c. 10. Correct. l. 1. c. 11. Revis. l. 1. t. 2. art. 11.

11. De Civibus relegatis.

Si quis Civis adversus Senatum temere insurgat, ubi Jus Culmense receptum est, potestas esto Senatui Civem illum ad se accersendi, ac eidem sub mulcta pecuniaria, vel sub relegatione unius, duorum, vel plurium annorum denunciandi, ut animum ab istac temeritate revocet & Magistratui æque cum cæteris Civibus obtemperet. Si dicto audiens esse noluerit, mulctam vel pœnam, sive ea sit relegationis, sive qua alia, ex condicto sustineat. Si Consules Civitatis nomine quempiam relegaverint, ipsorum arbitrium est, an cum eo depacisci & relegatum in Civitatem recipere velint, vel nolint. Emend. l. 1. c. 11. Correct. l. 1. c. 12. Revis. l. 1. t. 2. art. 12.

12. De eo qui ob patratum delictum gratiæ Senatus se commisit.

Si Senatus Civem accuset ob delictum adversus Civitatem & Plebiscita commissum, isque se gratiæ ejus dederit: Senatus si volet, gratiam delicti facere, & pœnam leviorem imponere, vel totam condonare, suo poterit arbitrio. Emend. l. 1. c. 12. Correct. l. 3. c. 47. Revis. l. 1. t. 2. art. 13 Ad

Sena-

Senatum si qui sponte veniant, & alteri spoſponderit aliquam pecuniæ ſummam certa die ſolvendam ; vel ſi quid aliud, cujuscunque ſit generis probe faciendum ſtipulaverint, ac aliquis poſtea de fide conventionis haud impleta teſtimonium Senatus allegare volet ; dubitabatur, an teſtimonium illud Jure ſubſiſtat, quove modo ſit deducendum ? Juris auctoritate definitum eſt: Cum unus vel plures coram Senatu quidquam ſpoſponderint, vel receperint, quatenus factum hoc Conſules probe ſciant, ſic ut Juramento ſuo factum aſſerere velint, magis eſt, ut teſtimonium Conſulum prævaleat, quam ut illi ſponſionem abnegare debeant. Sin autem Conſules factum aſſerere nolint, ſponſionem illi mediante Juramento ſuo abnegare poterunt. Quicquid Conſules aſſerunt ſe præſentibus actum, quod recte meminerint, non alia Jurisjurandi religione probare tenentur, quam qua Civitati jam antea ſunt obſtricti. Si quis aliquem ob debitum pecuniarium convenit, & Conventus ad Senatum provocat, æquum videtur, ut Actor auctoritatem Senatus amicæ transactionis ergo ſequatur : Sin Senatus cauſam ad Judicium Civile rejecerit, legitimæ porro notioni res committatur. Emend. l. 1. c. 23. Correct. l. 1. c. 13. 14. Si quis Conſul, Scabinus, vel quis alius Civitatis Officiis vel Miniſteriis obnoxius ac juratus in eodem Officio vel Miniſterio, corporis, vitæ vel bonorum damnum perpeſſus fuerit, quatenus Conſules affirmant calamitatem illi cauſa Civitatis accidiſſe, is qui dedit damnum tanti luito, quanti Plebiſcito conſtitutum eſt. Si Plebiſcito cautum non ſit Conſules in expenſas pro perſonæ cauſæque rationibus, tanti, quanti videbitur, auctorem condemnanto. Si damni auctor non appareat, Civitas ipſa, cujus cauſa damnum datum eſt, ex æquo & bono compenſato. Emend. l. 1. c. 14. Correct. l. 1. c. 7. Reviſ. l. 5. part. 2. t. 19. art. 2.

13. De Conſulum teſtimonio.

14. De eo, qui Civitatis cauſa damnum patitur.

Zalumpowania ;

CORRUPTELA, CORRUPTIO. Skazenie

IN quamcunque cauſam teſtis quiſpiam producitur, ne pecuniam munusve eo nomine accipito, quod ſi ad Judicem teſti-

1. Pœna corrupti teſtis.

testimonii dicendi ventum sit, ei, contra quem juratur, testem illum refutandi Jus esto, quoniam pecunia muneribusve ad testimonium dicendum sit conductus. Si negat sibi pecuniam vel munus in eam rem promissum datumve, Sacramento innocentiam probato, adversarius vero testibus, quibus id liquido constet, evincito, pecuniam illi munusve datum aut promissum, & in eam rem ab ipso acceptatum. Testis hoc modo convictus Judici perjurium duobus digitis luito, & insuper infamia notator, nec amplius ad testimonium dicendum admittitor. Emend. Jus Culm. l. 2. c. 48. Correct. l. 5. c. 62. Revis. tantum de infamia & de non admissione ad testimonium imposterum, non vero de amissione digitorum mentionem facit. l. 2. t. 18. art. 3. Si aliquis Scabinus pro Sententia ab aliquo pecuniam accipiat, & eandem sententiam fert absque consensu suorum Collegarum, ista nullius est valoris. Si Scabinus de hoc fuerit convictus, ejus Collegæ eum ab officio debent removere, nec ei licitum est Scabinum esse. Corr. l. 2. c. 14.

2. Corruptus Judex.

wdanie się w prawo.

CONTESTATIO LITIS.

1. De dilationibus tam reo quam Actori dandis.

Tam Reo quam Actori licitum est singulatim secedere ad consultandum de quovis causæ capite, tribus vicibus, sic tamen ut exercitio Juris durante responsiones inferant, nisi Judex prorogare diem maluerit. Emend. l. 2. c. 29. Correct. l. 2. c. 50. Revis. statuit, quod Convento pro inferenda litis contestatione quatuordecim dies sint concedendæ l. 2. t. 14. art 1. Facta & reproducta actione Reus Conventus per se vel suum sufficientem Mandatarium in proximo Judiciali termino ad intentionem actionis respondere & litem contestari tenetur. Si vero exceptiones aliquas dilatorias habeat, quarum virtute principalis causa tantummodo differri, & non penitus tolli possit, utpote contra Jurisdictionem Judicis, vel Actoris personam inhabilem, actionis deformitatem, vel his similes; tunc has simul & semel omnes ante litem contestatam producere, & insimul probare debet, adeo,

2. Quando lis debeat contestari, & de exceptionibus ante litis contestationem.

adeo, quod ubi ex his unam quamlibet præterierit & non allegaverit, hæc ipsi postmodum nullum sit allatura adjumentum. Revis. l. 2. t. 11. art. 1. Reo convento ratione bonorum, debiti, vel aliarum quarumcunque causarum accusato, & convento, & id simpliciter & absque omni alia conditione malitiose in sua responsione inficiante seu negante, postea vero hujusce per sufficientem probationem convicto, tunc non solum id, quod ab ipso postulatum fuerit, sed etiam in pecunia duplicata, alioque quovis pretio, & ita petitam rem duplicatam Actori deponere & restituere tenebitur. Revis. l. c. art. 5. Post Patris obitum minorennes superstites, quamdiu nec in tutelam suam pervenerint, nec alium tutorem habeant, ob debiti causam in Jus vocari non debent, nec vicissim ipsi creditum petendi vel exigendi Jus habent. Si quis autem minorennium nomine creditum petere desiderat, idem versa vice eorundem nomine debiti actiones excipere non refragetur. Emend. l. 2. c. 24. Correct. l. 4. c. 52. Rev. l. 2. t. 10. art. 3. Cum mutus in Jure convenitur, qui non lingvæ officio potest fungi, siquidem nutu gestuve procuratorem petat, procurator illi dandus erit. Agetur autem cum eo Judicio quod ex signis & nutibus quod velit intelligi possit, eoque pacto, quanti Actoris intererit, quantumque sibi deberi palam fecerit, tanti Judex secundum Juris præsciptum litem æstimabit. Emend. l. 2. c. 23. Correct. l. 5. c. 43. Rev. l. 2. t. 10. art. 4. Quale circa litis contestationem hospitibus contingat beneficium. Vid. Hospes. Reo criminaliter in Judicio convento desideranti & petenti merito induciæ ad respondendum dari debent, quo tempore etiam exceptiones suas defensionales, tam contra Judicem quam adversus partem opponere & proponere potest. Nam nullus tenetur respondere in alieno & extraneo Judicio. (2) Non tenetur respondere proscripto & bannito, item filius non respondet pro maleficio sui Patris: Nemo etiam sermone incognito tenetur respondere, talibus & his exceptionibus similibus justificatis, & pro legitimis pronunciatis, Conventus Reus frui debet, his vero exceptionibus rejectis & reprobatis, Reus Con-

3. Conventus malitiose negans.

4. Minoribus absque Tutoribus in Jure agentibus non respondetur, nec ipsi litem contestantur.

5. De muto convento.

6 De litis contestatione in Criminalib9.

Conventus directe ad institutam actionem respondere, & in causa ulterius cum probationibus & documentis procedere debet. Revis. l. 5. p. 1. t. 10. art. 2. Conclusio. Vid. infra.

CONSILIUM.

De Consiliis Juridicis vid. supra Advocatus.

1. Consilium in causa veneficii.

Quicunque ad præstigia, veneficia, improbatas artes, & malos dæmones geniosve accersendos consilia tulerunt, & factum vel confesso seu testato constet, capite mulctantur, Em. l. 5. c. 61. Corr. l. 5. c. 67. Revis. l. 5. p. 2. t. 2. art. 1. Qui furi consilium dedit, vel opem tulit, furti reus tenetur. Emend. l. 5. c. 67. Corr. l. 5. c. 31. Revis. l. 5. part. 2. t. 16. art. 5. vid. Furtum.

CONTRACTUS.

kupowanie. przedawanie

Vid. Emptio. Venditio. Contractus Societatis Vid. Societas.

1. Contractus forum.

SI quis in Actoris foro possessor non sit, sed alibi lares & fortunas collocatas habuerit, ac in alieno Judicio conveniatur, Actore postulante, non debet ejus persona detineri, sed oportet, ut Actor rei forum in terris Prussiæ sequatur, atque reus cautionem præstet se ad diem condictum coram suo Judice staturum, nisi Reus in Actoris foro contraxisset, vel maleficium admisisset, vel eo se loco soluturum spospondisset. His enim casibus ratione contractus convenietur, & delinquens in loco delicti Judicium patietur. Si homines sunt extranei qui conveniuntur, Actor eorum forum sequi non cogitur, sed Jus habet, illorum bona & personas detinendi. Emend. l. 4. c. 66. Corr. l. 4. c. 57. Revis. l. 2. t. 6. art. 7. vid. infr. Mutuum, Commodatum, Depositum, Pignus, Interventio. Locatio. Societas. Obli-

Obligatio, Fidejussio, Evictio Transactio. Tutela & Curatela, Forum, Stipulatio,
Zgromadzenie Urzędowne.

CONVENTUS PUBLICI.

SI ad Conventum Terrarum Prussiæ quis evocetur, sigillum Terrestre Palatinatus ejus, in quo reus fuerit, ei applicabitur: Si ad Palatini Judicium, ipsius Palatini: Si ad Tribunal Terrestre. Vid. Jus Terrest. Terr. Pruss. t. 6. sect. 1. §. 6. in causis Judicii Terrestris Appellationes, antequam Judicium ex loco Judicii eadem die recedat, fient indifferenter ad Conventum generalem Terrarum Prussiæ, vel ad Tribunal Regni, quod prius horum celebratum fuerit. Qui appellat a Conventu generali Terrarum Prussiæ, tres florenos per triginta grossos, qui, si appellans in superiori Judicio succubuerit, in usum Judicii cedant; si causam obtinuerit ei restituantur sub pœna. Jus Terrest. Terar. Pruss. t. 6. sect. 1. §. 45. 46. vid. plura Appellatio. Palatini & Capitanei citati tam in Judicio Terrestri quam coram publico Conventu respondere, sint obligati. vid. Constit. Terrar. Pruss. D. Sigismundi ab Anno 1538. Revis. J. Culm. l. 2. t. 7. art. 4. Conventus autem publici seu generales, juxta proximam ordinationem nostram, quotannis bis celebrentur, verno videlicet tempore Marienburgi ad diem St. Stanislai; tempore autem autumni ad Graudentz ad diem S. Michaelis. In nostro autem arbitrio erit, cum res ita postulaverit, alium locum & tempus hujusmodi Conventibus præscribere. Peculiares autem Conventus per nos instituendi locum & diem ex nostro arbitrio sortientur. Ad prædictos generales Conventus omnes causæ tam ex Civitatibus, quam ex Judiciis Terrestribus per Appellationem devolvantur, & etiam sine speciali commissione nostra judicentur. Deinde vero & non antea, ad supremum Tribunal nostrum remittantur, parte provocante, cui ad prosequendam Appellationem a Judicibus legitimus terminus

1. Sigillum citationis ad Conventum.

2. Appellatio ad Conventum.

3. Locus & tempus Conventuum generalium.

nus præfigatur. Quam appellationem, si intra unius anni spacium non prosequeretur, prior sententia, juxta Juris communis dispositionem, ut prædictum est, in rem transeat judicatam, & executioni demandetur. Ante Conventum vero publicum per nos & Successores nostros singulariter instituendum, in singulis Palatinatibus, Culmensi videlicet, Marienburgensi & Pomeraniæ fiat Nobilitatis Convocatio Particularis, quam secundum morem antiquum Palatini in singulis districtibus Palatinatus sui, ad aliquem locum convenientem literis suis convocent, ut Nuncii ad ejusmodi Conventum mittendi eligantur. Qui autem vocatus non comparuerit, pœnam duarum marcarum pendet, cujus medietas Palatino ejus loci, altera vero ærario publico proveniat; exceptis dictarum Terrarum Prussiæ Consiliariis nostris, sive equestris sive Civilis sint Ordinis. vid. Constit. D. Sigismund. l. c. §. 8. 9. & 10. Zgromadzenia

4. Conventus particulares.

5. Pœna non comparentis in Conventu.

Sąd.

CONVENTIO. Vid. Actio.

Umowny. Pozew

CONVENTIONALIS LIBELLUS. Vid. Libellus. Księgi ztei pamiętne

Swar. CONVICIUM.

1. Conviciis abstinendum est in Judicio.

NEmo alium impediat aut obtundat in loco Judicii clamando cursitando, conviciando, vel aliud quidpiam illiberaliter aut impudenter agendo, quod cum actionis ejus damno vel præjudicio sit conjunctum. Si quis secus maligno studio fecerit, ob eamque rem Judicis & Scabinorum duorum testimonio convictus sit, injuriam læso, mulctam Judici luat. Si præsente Burggrabio deliquerit, trium librarum, sin præsente Prætore, octo solidorum mulcta esto. Ex quacunque causa Actor damni vel injuriæ æstimationem adjudicatam obtinuerit, ex eadem etiam Prætor mulctam suam recte

recte vindicabit. Emend. l. 2. c. 17. Correct. l. 2. c. 44. Si quis Scabinum in Jure sedentem maligne reprehenderit, ob dictam sententiam, quam cæteri collegæ calculo suo comprobassent, singuli Scabinorum injuriæ æstimationem ab eo, qui convicium fecit, exigunt: Judex autem mulctam toties petat, quoties ille Scabinis injuriam passis æstimationem præstiterit. Em. l. 2. c. 3. Corr. l. 2. c. 2. Nemo in Citatione existimationem aut honorem alicujus lædere, verbisque aliquibus, quibus ea læduntur, uti debet. Quod si quis contumeliosa aliqua verba, sine quibus res ipsa narrari poterat, citatione comprehenderit, producens citationem ejusmodi, tam Actor ipse, quam procurator ejus, unius septimanæ sessione in turri mox puniri debebit: Reus autem a termino & citatione liber pronunciari Jus Terrest. tit. 6. §. 7. sect. 1. Advocati & Procuratores in scriptis & verbis ab omnibus illicitis calumniis & injuriis verbalibus abstineant, & qui contra fecerit, quoties id factum fuerit, toties pro qualitate & cognitione Judicii puniri, & nihilominus Parti læsæ ratione injuriarum respondere tenebitur. Revis. lib. 2. t. 5. art. 5. Injuriæ committuntur verbis, scriptis & factis, quo tum quis ex temerario proposito, & petulanti modo proximum suum masculini seu fœminini generis in honore diffamaverit, & ad diminuendum eundem procciderit & male affecerit, & idcirco in Jure conventus fuerit, is parti læsæ post adinventam innocentiam, publicam revocationem vel palinodiam canere vel facere tenebitur, & propterea mulcta pecuniaria, vel etiam pro modo causarum carceribus castigari debet. Si alicui pacis præceptum indictum fuerit, & nihilominus alterum diffamare præsumat, ac criminibus proscideret, tunc pœnam pacis interdicti incurrit, & nihilominus læso competentem transactionem præstare tenetur. Revis. l. 5. part. 2. t. 20. art. 1. & 2. de Famosis Libellis vid. infr. Mortuo injuriante cessat & tollitur causa, nec post hæredes eo nomine conveniri Jus est, nisi cum prædefuncto processus fuerit inchoatus, & lis contestata; nam eo casu hæredes processum sequi tenentur,

2 De convicio propter sententiam dicto

3. Citatio haud sit contumeliosa.

4. Advocati abstineant ab injuriis.

5. Pœna injuriarum.

6. Quomodo actio injuriarum evanescat.

tur. Quando læsus vel injuriatus in causa injuriarum intra annum & diem non fuerit prosecutus suam actionem, computando a tempore quo injurias resciverit, tunc actio exstinguitur & ulterius non potest nec debet cum eadem audiri. Quod de in literalibus injuriis non intelligendum est, quia actio in literalibus injuriis non proscribitur ante spacium triginta annorum. Quando læsus injurias remiserit, vel per amicabilem cohabitationem, conversationem, vel alia indicia easdem dissimulaverit & postposuerit, tunc postmodum cum actione admittendus non est. Revis. l. c, art. 5. & 6. Vid. plura Injuria.

Załączenie

CONCLUSIO.

1. De conclusione processus.

LIte jam in Jure contestata, & ita intentione & responsione directe insinuata, tunc ambæ partes in eodem termino suas probationes indicare, nec non munimenta literaria, quæ ad fundandam intentionem illorum usurpare intendant, publicare, & subinde Judici & Parti copiam dare tenebuntur. In sequenti termino declaratoria, & quod cum uno quoque probare intendunt producere, & sic consequenter ad interrogatoria, reinterrogatoria reclusiva, nec non examinationem testium procedere, & omnia testimonia literaria producere tenebuntur. Hoc in competentibus juridicis induciis, & adhoc præstitutis terminis facto, si ulterioribus productis renunciatum & ad sententiam conclusum fuerit, ad hanc ambabus vicibus, actis traditis, quibus una positione simul ad sententiam concludere possint; penes traditionem positionis ambæ partes stipulant gvarandam, se in causa scripto vel oretenus nihil producturas, sed sententiam definitivam præstolaturas fore. Hoc modo omnes processus continuari & inposterum replicæ & duplicæ, prout & omnes reliquæ ambages penitus è medio tolli debent. Revis. l. 2, t. 11. art. 4.

CON-

Zwołanie Urzędowne

CONVOCATIO PUBLICA.

Vid. Conventus. Zgromadzenie.

CORPUS. Ciało

Cum quis alterum aliquem noctu vel interdiu invadit nemine præsente, qui rem geri videat, alter retrocedit quantum poteſt, ac lubens ſe ab eo miſſum fieri cupit; ille plagas ingerere pergit, alter ubi videt ſibi defenſionis neceſſitatem impoſitam, pari vi reſiſtit, & ob tutelam ſui corporis hominem interficit, quæritur, quomodo fidem juſtæ ac neceſſariæ defenſionis facere debeat? Noſtri Juris auctoritate reſponſum eſt, ut is, quamprimum ejus copiam habere potuerit, Judicem adeat, & Judicis poteſtati ſe committat, eidem etiam gladium ſuum in notionem legitimam tradat, atque Judex eum in finem recipiat, quoad innocentiam, quam præ ſe fert, oſtenderit. Si quis illum cædis accuſet, Judex illum in Jure ſiſtat, & ille a defuncti cognatis actionem ſuſcipiat. Deinde Jure decernetur, ut reus, quatenus ob tutelam ſui corporis ſe cædem facere coactum prætendit, Jurejurando probet ſuo, tribus vel pluribus ſe retroceſſiſſe, nec amplius evadere potuiſſe, coactum demum defenſionem paraſſe, & quicquid ejus fecerit, ob neceſſariam ſaltem corporis ſui tutelam perpetraſſe. Si teſtibus præſentibus reus accuſetur, ipſe quoque teſtibus actionem declinandi prærogativam habebit. Si nemo ſit ex propinquis occiſi, qui cum percuſſore criminaliter experiri velit, omnis in illum interfecti nomine actio evaneſcit, & defenſionem neceſſario factam ſatis abundeque probaſſe Jure cenſebitur. Emend. l. 5. c. 51. Correctum de hoc nihil diſponit, ſed Reviſum prolixa facit verba de iſta legitima corporis proprii tutela: Defenſio neceſſaria vocatur, cum quis lethiferis armis vel enſibus aggreſſus impugnatur vel verberatus fuerit, & commode abſque periculo, læſione ſui corporis, vitæ, honoris & bonæ famæ evadere nequiverit, ſed ad defenſionem

1. Proprii corporis neceſſaria tutela.

2 Additamenta Juris Reviſi.

onem & tuitionem sui corporis & vitæ vindicandæ gratia susceperit, & compulsorem vel angariatorem interemerit, is propterea nemini tenetur. Revis. l. 5. t. 7. art. 12. Qui vero post factum deprensum alicujus necessariæ defensionis gloriari vel uti voluerit, eamque pars adversa negaverit, tunc facinorosus talem jactantiam de Jure sufficienter probare tenetur: quo non facto pro reo habendus & censendus est Si vero nullus interfuerit, tunc facinorosus quamprimum potest Judicem accedere & adire & cum corpore suo Judici se subdere, committereque potestati tenetur. Quod si quis illum accusaverit, Judex illum præsentabit & sistet, & cognatis occisi respondere tenebitur: facinorosus nihilominus de sua necessaria defensione jactans, tunc jurare tenetur, se ab occiso aggressum, compulsum, & absque periculo corporis, & vitæ evadere nequivisse. Si vero actor facinorosum cum testibus convenerit, tunc facinorosus cum testibus ad evadendum ab accusatione proprior esse debet. Ubi etiam aliquis accusaverit, & facinorosus sese Judicis potestati commiserit, vel alias Jure receptus fuerit, tunc Judex omnes circumstantias personarum, locorum, armorum, vulnerum, item uniuscujusque vitæ & conversationis diligenter inquirere & ponderare debet, & exinde adinvenire, an ista necessaria defensio locum habere possit, nec ne? Si minimum adhuc supersit dubium, tunc Judex ex Officio ulterius inquirere, & in defectu probationum juramentum purgatorium, prout supra dictum est, facinoroso adjudicare debet. art. 13. l. c. Homicidam excusat non solum proprii corporis tutela, sed etiam reliquæ circumstantiæ, adeo cum quis ob pudicitiam cum uxore sua vel filia commissa, facinorosum in facto ipso interemerit, item cum quis pro defensione sui ipsius vel sui proximi corporis, vitæ vel bonorum alterum interfecerit: Furiosi & impuberes utique excusantur, prout & omnes hi ab ordinario Magistratu ad aliquem recipiendum & apprehendendum missi, si hisce temere & audacter adversum itum fuerit, & iste adversator desuper interemptus fuerit, de Jure excusantur: quando autem ejusmodi excusationes locum habere debent, vel in quantum per

hoc

hoc liberari debeant, diſcretus Judex pro qualitate perſonarum & circumſtantiarum ponderabit, ac proinde procedet. art. 14. l. c. Cum quis aliquem in via publica prædandi animo invadit, atque ille defenſionem parat, & latroni vitam adimit, nec amicis occiſi nec Judici damni vel mulctæ nomine fit obnoxius. Si fides illi non habeatur, quod corporis & rerum ſuarum tutelam occupaverit, quatenus facti teſtes in promptu ſecum ſint, eorum teſtimonio ſtabitur, ſi nulli ſint teſtes, religione ſacramenti res expeditur. Emend. l. 5. c. 52. Si quis punctim in corpore vulneretur, ut vulnus ad interiora penetret, quanquam duplex vulnus cenſeri poſſit partis tam interioris quam exterioris, unius tamen vulneris mulcta eſt. Emend. l. 5. c. 33. Si quis occiſum in Judicium deferat, & in ejus corpore Scabini neque vulnera, neque plagas, nec alia cædis ſigna deprehendere poſſint, ex quibus indicium ſit, eum cæde conſumptum fuiſſe, atque poſt Scabinorum teſtimonium proximus agnatus virum integræ famæ, in ipſo facinore non deprehenſum, ejus cædis reum facere velit, & nuda quidem accuſatione, probabilius dicitur, reum jurejurando ſuo accuſationem elidere. Sin autem teſtibus Actori adſtipulantibus accuſatur, & cædes clamore violentiæ inteſtatum venit, itidem innocentiam ejus defendendi Jure conſtitutum eſt. Emend. l. 5. c. 42. Corr. l. 3. c. 27. Qui corpora punitorum in patibulo ſeu rota exiſtentium ſuis veſtibus ſpoliant, fuſtigatione puniri debent, ſi vero corpora fuerint ablata, & id ab amicis factum fuerit, illud incarceratione & in corpore puniri debet; peregrinis vero id facientibus ex malo propoſito vel ad effaſcinationem promovendam, hi pro qualitate virgis cæſi relegari, vel aliter arbitrarie puniri debent. Reviſ. l. 5. p. 2. t. 16. art. 14. de corpore delicti vid. Criminalia.

3. Defenſio contra latronem.

4 Vulnus corporis.

5. Si in occiſi corpore nulla ſigna appareant.

6. De corporibus punitorum ſpoliatis.

CORONATIO.

AD Honorem Omnipotentis DEi, ejusque genetricis Virginis Mariæ, S. Adalberti Martyris, S. Stanislai Protho-

1. Status & Ordines Pruſſiæ ad Corona-

tionem Regis sunt vocandi. thomartyris Poloniæ & totius Jerarchiæ cœlestis, præfatorum Prælatorum Spiritualium & secularium, Militarium, Civium, Terrigenarum & omnium incolarum Terrarum Prussiæ, Culmensis, Kynsbergen, Elbingen, & Pomeraniæ, in terra marique sitarum, benevolam & spontaneam deditionem, regimen, tutelam, gubernationem, subjectionem, obedientiam accepimus, assumpsimus, tenoreque præsentium, non per errorem aut improvide, sed de certa Nostra scientia & voluntate, in Dei nomine assumimus & acceptamus, terrasq; & dominia prædicta Regno Poloniæ reintegramus, reunimus, inviscieramus & incorporamus, & ad usum, participationem omnium bonorum, Jurium & libertatum & prærogativarum, quibus Prælati, Barones & Nobiles Regni Poloniæ, hactenus potiti sunt, & signanter ad futurorum Regum Poloniæ, quotiescunque super Electione & Coronatione illorum fieri deliberationem contingat, Electionem & Coronationem admittimus, annectimus & includimus: Promittentes pro Nobis, Hæredibus & Successoribus Nostris, ac universo Regno Poloniæ, quod prædictas Terras & dominia, atque Prælatos spirituales & Seculares, Barones, Militares, Nobiles, Cives, Oppidanos & cujuscunque conditionis, status vel præeminentiæ homines existant, hactenus in illis commorantes & imposterum commoraturos, favore, gratia, benevolentia, & affectione regali prosequemur, & contra quascunque adversitates, impugnationes quorumcunque hominum illis præstabimus; velut fidelibus & subditis Nostris, Regalem assistentiam & defensam &c. vid. Privilegium Incorporationis D. Casimiri ab Anno 1454.

D. Sigismundi Regis literæ, quibus Ordinibus Terrarum Prussiæ, qui vigore Privilegii ad Electionem Filii vocati non fuerunt, postea tamen Electionem ratam habuerunt, cavet, quod ea præteritio illis fraudi esse non debeat, & specialiter obligat Sigismundum Augustum Filium, ut annum decimum quintum egressus, pro more Antecessorum, juret se Privilegia & Indulta, tam publice quam

quam privatim, conſervaturum, & quamdiu hoc ipſum Juramentum non præſtiterit, Ordines etiam Terrarum & Civitatum ad ſervandum ſuum Juramentum Majeſtati ejus præſtitum aſtrictos eſſe non debere, ſed ubi Majeſtas ejus ſatisfecerit, tum demum omnem fidelitatem & obedientiam præſtare oportere :

SIGISMUNDUS Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſſiæ, totiusque Pruſſiæ & Maſoviæ &c. Dominus & Hæres, manifeſtum facimus univerſis, quia licet Privilegia & libertates Statibus & Ordinibus Terrarum Noſtrarum Pruſſiæ, tam Eccleſiaſticis, quam Secularibus, a Majoribus Noſtris & data & conceſſæ, ac per Nos confirmata & confirmatæ, inter alia id potiſſimum contineant, ut dicti Ordines & Status Pruſſiæ ad futurorum Regum Poloniæ, quotiescunque ſuper Electione & Coronatione illorum deliberationem fieri contingat, ad Electionem & Coronationem vocari & admitti debeant. Quia tamen in eligendo Sereniſſ. Principe Domino Sigiſmundo, Secundo Rege Poloniæ & Magno Duce Lithuaniæ, Filio Noſtro Chariſſimo, hoc ipſum prætermiſſum eſt, non data quidem opera, ſed quod Nobis viventibus & Regno nondum vacante, magisque divina Ordinatione, quam humano conſilio, Electio ipſa Majeſtatis ſuæ contigit : Conſiderantes tantum prædictorum Statuum & Ordinum Terrarum Noſtrarum Pruſſiæ, erga Nos & Sereniſſimam Familiam Noſtram, fidem, affectum & obſervantiam, & hanc ipſam Electionem Sereniſſ. Filii noſtri præter vocationem eorum factam approbaverint, & ſimiliter ipſum eligendo ratam atque gratam habuerint: nolentesque, ut per hujusmodi Electionem, ad quam vocati non erant, aliquid impoſterum privilegiis & libertatibus dictorum ſtatuum & ordinum earundem Terrarum Noſtrarum Pruſſiæ derogetur: Decernimus, ut deinceps, quotiescunque Regem decedere, & Regnum vacare, aut Electionem quomodocunq; celebrari contigerit. Domini Conſiliarii Ordines utriusque Regni Poloniæ, antequam ad Electionem procedant, prius prædictos Status & Ordines Terrarum Pruſſiæ, de hac ipſa

novi

novi Regis Electione, certiores faciant, ac eosdem ipsos Status, secundum antiquam consuetudinem & contenta Privilegiorum eorum, ad eam vocent & admittant. Volentes præterea pro tanta eorum in Nos & Filium Nostrum charissimum integritate, vicissim eis providere, ut & ipsi in suis Juribus & Privilegiis ac libertatibus, consvetudinibusque approbatis absque ullo conservarentur detrimento, pollicemur illis præsentibus literis Nostris: Quod, quandocunque ipse Sereniss. Filius Noster, post mortem nostram ad ætatem legitimam, nempe ad annos quindecim completos, perveniens, possessionem Regni & Dominiorum nostrorum adire voluerit, tenebitur illis id totum præstare, quod Antecessores Nostri Reges Poloniæ & Nos Ipsi præstitimus ex debito, ad quod ejus Majestatem, ut Filium & successorem Nostrum, tenore præsentium obligamus, videlicet, quod jurare debebit, omnia Jura, Libertates & Privilegia, Libertates Immunitatesve earundem Terrarum Pussiæ, tam Ecclesiasticas quam Seculares, Ecclesiis, tum ipsis Terris, earundemque Prælatis, Baronibus, Nobilibus, Civibus, Incolis & quibus libet personis, cujuscunque status & conditionis existentibus, per Divos Prædecessores Nostros Principes, tam Spirituales quam Seculares, Reges & Dominos Terrarum prædictarum, juste & legitime donatas & concessas, & per Nosmet Ipsos confirmatas manu tenere, servare, custodire & attendere, in omnibus conditionibus atque punctis, & omnia illicite ab eisdem Terris alienata aut distracta, pro esse suo ad proprietatem earundem Terrarum recuperare: Terminos etiam earum non minuere, sed pro virili defendere & dilatare. Et quamdiu hoc ipsum Juramentum Majestas sua non præstiterit, & huic debito suo Regio non satisfecerit, Ipsi universi Status & Ordines earundem Terrarum & Civitatum Nostrarum Prussiæ ad servandum Juramentum suum, quod Majestati suæ præstiterunt, non erunt adstricti neque obligati. Verum quandocunque post mortem Nostram supradictis omnibus idem Serenissimus Filius Noster, in ætate legitima existens, satisfecerit, & hujusmodi Juramentum debitum præ-

stiterit,

ſtiterit, univerſi earundem Terrarum Noſtrarum Pruſſiæ Status & Ordines Subditi Noſtri, illi ut vero & legitimo Domino & Regi ſuo coronato, omnem fidelitatem & obedientiam obſequiaque, ſecundum Juramentum a ſe illi factum, præſtare & exhibere tenebuntur. In cujus rei teſtimonium, Sigillum Noſtrum præſentibus eſt appenſum. Datum in Conventu generali Cracovienſi, feria ſexta ante Dominicam Judica proxima, Anno Domini Milleſimo, quingenteſimo, trigeſimo, Regni vero Noſtri vigeſimo quarto.

Chriſtophorus de S. Caſtel.
Capit. Cracovien. ac R. P.
Cancell. ſſt.

Hoc idem videre licet in Jure Culmenſi Reviſo l. 1. t. 5. art. 4.

CREDITOR, Porzyczalnik.

SI quis alterum ob crediti cauſam in Jus vocet, quod teſti- 1. De condi-
bus planum facere poſſit, Reus autem neget ſe quicquam ctione crediti
illi debere, eamque in rem innocentiam ſuam ſe religioſe teſtibus præſentibus probaturum aſſeruerit, ac ideo dilationem in tres conſtituti Judicii vices impetraverit, ut conſcientiæ Jurique ſatisfaciat, quo die ſe Jus ſuum probaturum recepit, ſi eo die cum teſtibus non adſit, Actor debiti cauſam, quod petebat, Jure vicit, ſic ut Conventus intra diem quartum decimum ſolutionem præſtare compellatur. Emend. l. 4. c. 34. Correct. l. 3. c. 40. Cum Patri vel ob maleficium 2. In cauſa
vel ob debitum in conſtituto Judicio controverſia movetur, crediti filius
ac eidem teſtium laudandorum facultas proponitur, ejus filii Patri haud te-
teſtimonium in re Patris dicere non poſſunt, ſive ſint eman- ſtatur.
cipati, ſive nunc etiam in poteſtate manuve patria converſentur. Emend. l. 3. c. 51. Correct. l. 3. c. 38. Reviſ. l. 2. t. 18. art. 2. Si quis debitorem ſuum extra Juris ſolennis 3. De fidejuſ-
exercitium coram Judicis Officio convenit ob pecuniam, ſore ſiſtendo
quam ille ſine mora dandam conſtituerat, ac Judex utriusque in cauſa cre-
Partis diſceptationem in proximum ordinarii Judicii diem ad diti.
ſuam & Scabinorum notionem protulit, conventus autem

fidejussorem dedit, se in Jure staturum. Quatenus igitur Actor ad diem condictum in Jure comparuerit, conventus autem abfuerit, fidejussorem Actor compellabit, ut rem uti spoſponderat, in Jure ſiſtat. Si fidejuſſor ſponſionem ſiſtendi non neget, ſed dicat, ſaltem ejus copiam habere ſe non poſſe, ac ſi inſuper fateatur reum ob debitum illud recte conveniri, hac confeſſione ſua convictus cenſetur in tantum, ut intra quartum decimum diem ipſemet debitum exſolvere cogatur. Sin ob moram & damnum inde proveniens Actor fidejuſſori litem moverit, juratus liquido conteſtari debebit, fidejuſſor autem æſtimationem Jurejurando ſuo minuere poterit, priusquam Actor ad exſolvendam conſcientiæ religionem deſcendat. Quicquid tamen Juramento deciſum fuerit, fidejuſſor intra dies quatuordecim absque ulteriori mora Actori perſolvito, Judici vero mulctam, quam incurrit præſtato. Emend. l. 4. c. 57. Corr. l. 3. c. 57. 58. Si quis ob debitum quempiam in Jus vocet, & conventus dici deſideret, qua cauſa, quove titulo debitum a ſe petatur, Actor cauſam vel titulum profiteri Jure tenetur, puta, utrum ex ſponſione debeat, an ex hæreditate quam accepit, & quæ ſunt alia harum cauſarum genera. Emend. l. 4. t. 36. 51. Correct. l. 3. c. 50. 53. Reviſ. l. 3. t. 6. art. 1. Quando vero titulus oritur ex ludo, conventus nequidem reſpondere tenetur. Vid. Correct. & Emend. l. c. Quisquis ab alio, nec intereſt, viro & muliere poſt auctoris mortem debitum exigere volet, manifeſti Juris eſt ut teſtimoniis probatio conſtituatur. Atqui liberum erit Actori debitum a convento poſt auctoris mortem petenti, Jurejurando ſuo debiti fidem facere, ſi modo conventus ejus animi religionem ſequi volet. Sin is autem opponat, ſe nullius ſibi debiti eſſe conſcium, neque ſe debitorem eſſe, tunc Actori incumbit probatio. At ſi dicat debitum a ſe ſolutum, onus probandi in ipſum Juris ordine redundat. Si minor in Jus vocetur ob æs alienum a Patre contractum, nec illud minori, propinquis & tutoribus liquido conſtet, Actoris erunt partes ut debitum vel teſtibus vel aliis legitimis documentis, quæ Jure nituntur, demonſtret. Hoc pacto minor cogi-

4. Titulus crediti eſt edendus.

4. De probatione crediti.

cogitur ad paterni debiti solutionem, nisi contrariis documentis vel testibus Actoris probationes confutare possit: quo casu fortius dicendum est, quod minoris tanquam rei liberationi consulatur. Emend. l. 4. c. 38. Correct. l. 3. c. 54. Revis. l. 3. t. 6. art. 2. Auctoris mortem tum intelligimus, cum alicujus pater, mater, frater, soror vel alius consangvineus proximus, in fata concessit, cujus hæreditatem ille capit. Hæreditatis enim ratione jura & actiones in Successorem ab auctore transeunt. Emend. l. 4. c. 39. Corr. l. 3. c. 55. Revis. l. 3. t 6. art. 2. Cum quis ob debitum quempiam convenit post Auctoris mortem, cujus debiti documentum in tabulis publicis jam pridem præscriptum sit, siquidem conventus exceptionem objiciat debiti persoluti, necessitatem sibimet imponit solutionem Juris ordine comprobandi. Hoc ubi rite peregerit, testimonium tabularum publicarum evanescit, conventus autem ejus debiti nomine liberatur. Emend. l. 4. c. 37. Correct. l 3. c. 52. Ubi duo cives in una Jurisdictione Civili possessionati invicem ratione debiti sese convenire velint, id coram illorum competente Judice facere tenentur & nullibi alibi. Si vero civis alterum ex proposito ad peregrinum Judicium traxerit, is alteri omnes expensas & damna refundere & præterea 50. aureos Hungaricales persolvere tenetur, nisi quis fugitivus e Civitate fuerit, vel huic libertati scienter renunciaverit, & in extraneis locis & Judiciis ad respondendum se obligaverit, vel etiam solutionem pecuniarum, vel mercium restitutionem & bonorum in aliis locis fiendam destinaverit, convenerit & repromiserit; in ejusmodi casibus creditor debitorem suum coram ordinariis Judiciis, vel in eo loco, quo se adstrinxit & eum deprehendit, absque præmemoratarum pœnarum commissione & luitione convenire potest. Revis. l. 2. t 7. art. 3. Correctum Jus C. hoc breviter absolvit, quando dicit: Si duo Cives in una Civitate possessionati ratione debiti alter alterum convenire velit, actionem suam coram competente suo Judice, & non alias, instituat. libr. 3. c. 56. Qui ob debitum pecuniarium actionem instituit, eamque testibus com-

6. Quid per auctoris mortem intelligendum.

7. Exceptio debiti soluti.

8. Ubi creditor debitorem convenire debeat.

9. Si quis actionem suam testibus com-

probare velit. comprobare volet, quatenus testes bonæ sint existimationis & probatæ fidei, eorum suffragio rem obtinebit. Testibus in Judicio sistendis dies decreti præfigi solet: Actori sex septimanarum terminus, aut si malit, die qui Judicio proxime celebrando constitutus est, nisi conventus se innocentem esse prætendat: Sin autem exceptionem pecuniæ solutæ objiciat, Actoris testes hac exceptione declinabit, sic ut ipsimet Juris adminiculo solutionem factam probandi sit facultas. Emend. l. 2. c. 52. Correct. l. 3. c. 57.

10. Quando prodigæ mulieri pecunia credatur; Cum mulier prodiga, vel quæ suæ mentis non sit, quatenus talem eam esse publice constet, absque mariti scitu consensuve mutuam pecuniam accipit, maritus eo debito non tenetur, nec ejus illud damno contrahitur: Si quid autem ad ipsum pervenit, vel adhuc penes maritum residet, creditori non sine ratione restituitur. Si consumptum sit, non autem in rem mariti, siquidem juratus testetur, versum esse, nullum sustinebit periculum. Emend. l. 4. c. 40. Correct. l. 3. c. 102. Revis. l. 4. t. 15. art. 5.

11 De solutione constituenda: Si quis alterum conveniat ob debitum, & Jure mediante seu per Jusjurandum, seu juridicas probationes eum convincat, tunc conventus illud debitum illo ipso die persolvere, & præterea Judicii mulctam pendere tenebitur. Si etiam ita convenitur ratione debiti, & illud confessus fuerit, tunc illud intra spacium quatuordecim dierum persolvere tenetur. Sin minus solvit, Judex suam mulctam lucratur, & debitori debet solutionem injungere ex officio, post dies octo, tum post tres dies, tum post duos dies, tandem post unam noctem, quoties non satis fecerit, toties Judex habet suam mulctam desuper. Si mulctam non dederit nec debitum persolverit, tunc ipsi possessionem sequestrabit, hoc est, ipsius res & bona, & proinde compellit illum per sententiam & Justitiam, ut debitum persolvere & mulctam pendere teneatur. Si utique possessione bonorum propria caruerit, demandat Judex super illo, ubicunque deprehensus fuerit detinendum pro illa pecunia & mulcta, quique ipsum præterea detinuerit etiam Judici mulctam solvito. Emend. l. 4. c. 52. Revis. l. 2. t. 23. art. 2. Correct. l. 3. c. 58.

12. Actio crediti inter Ju- Si Judæus Chri-

Chriſtianum de pecunia debita conveniat, actionem Chriſtianus juramento ſuo poteſt elidere. Nullius enim Judæi Juramentum Chriſtiano prævalet, nec cuiquam Judæo adverſus Chriſtianum jurare fas eſt in cauſis pecuniariis. Sin autem Judæus Chriſtianum accuſet ob maleficium, puta vulnerationem, membri mutilationem vel homicidium, eo caſu Judæus Chriſtianum, qui pacem publicam violaſſe dicetur, in facto recenti æque convincendi facultatem habet, atque Chriſtianus, ut Chriſtianorum teſtimonio convinceret, Em. l. 2. c. 31. Correct. l. 3. c. 62. Si mulier virum conveniat ob crediti cauſam, eamque in rem teſtes producere velit, magis probandum eſt, quod vir bonorum virorum teſtatione mulieris actionem elidere poſſit. Ob maleficium autem, vulnerationem, membrorum mutilationem, vel homicidium, æque mulieri Jus eſt ac viro, eum qui pacem publicam violaverit in recenti facinore teſtibus convincendi. Emend. l. 2. c. 53. Correct. l. 3. c. 63. Nullus Judex ob eam rem, quæ in alea perditur, Jus dicito Emend. l. 5. c. 86. Correct. l. 3. c. 64. Reviſ. l. 5. part. 2. t. 22. art. 2. Emend. l. 4. c. 51. Si quis conveniatur ob alimenta ſeu cibaria ſibi præſtita, de quibus hoſpiti nondum ſatisfecerit, magis eſt, ut is qui eſculenta poculentave præbuit, conſcientiæ ſuæ religione debitum comprobet, quam ut is, qui alitus eſt, poſſit inficiari. Si ille Jusjurandum dederit, ea alimentorum cauſa eſt, ut ut poſt interſtitium noctis debitum hoſpiti ſit exſolvendum. Emend. l. 4. c. 42. Correct. l. 3. c. 69. Reviſ. l. 3. t. 6. art. 4. Poſt Patris obitum minorennes ſuperſtites, quam diu nec in tutelam pervenerint ſuam, nec alium tutorem habeant, ob debiti cauſam in Jus non vocantur, nec viciſſim ipſi creditum petendi vel exigendi Jus habent. Si quis autem minorennium nomine creditum petere deſiderat, idem verſa vice eorundem nomine debiti actiones excipere non refragetur. Emend. l. 2. c. 24. Correct. l. 4. c. 51. Si eveniat ut quispiam in trans marinis regionibus, quin imo alibi, vel intra, vel extra Pruſſiam æs alienum clam contraxerit, ac interim filiam honeſti viri in matrimonium duxerit, cum Patri & cogna-

dæum & Chriſtianum.

13. Si mulier virum in Jus vocet.

14. Condictio alimentorum.

15 Minor ſine tutore nec convenitur, nec ipſe convenit in cauſa crediti.

16 Si maritus uxoris bona nequiter prodigat,

cognatis, de ejus ære, quo nexus erat, alieno, certum non constitisset, tunc enim debita mariti, quæ ante sponsalia contraxit, ex bonis vel dote mulieris minime exsolvuntur, sed integrum est mulieri res suas dotemque suam tueri ac usurpare, quandoquidem mariti fortunarum particeps non fuit, sed iniquis utique modis in fraudem illecta satis aperte videatur. Cæterum omne æs alienum, quod constante matrimonio per virum & mulierem contractum est, sive mercimoniis exercendis, sive alia quapiam causa suggerente: quandoquidem Jure Flammingiensi hæreditario maritus & uxor in communione bonorum omnium pari lucro, parique damno constituti sunt; ex utriusque patrimonio integro, sine ulla prærogativa dotis, vel alterius cujusvis beneficii, Jure communi scripto, mulieribus indulti, ut dissolvatur & expendatur, jam pridem moribus est constitutum. Emend. l. 3. c. 61. Corr. l. 5. c. 58. Revis. l. 4. t. 14. art. 14.

17. De notione debiti liquidi.

Prætori in dies singulos ob debitum, quod liquido & confesso probatum est, jurisdictionem exercendi, sine probationis solennitate, potestas esto. Emend. l. 2. c. 15. Corr. l. 2. c. 21.

18. De Jure hospitum.

Si quis Civis hospitem, vel si quis hospes Civem in Jus vocet ob debitum, quod testibus præsentibus probare possit, causa hæc statim & in continenti potest decidi. Hospiti vero necessitas imponitur jusjurandum dare, nisi quis ejus gratiam facere velit, se peregrinum esse, & tam procul ab eo foro larem habere, ut intra diem unum ad Judicium legitime constitutum adventare nequeat. Qui vero in Civitate in dies publice versatur, & negotia sua gerit, is Jure hospitum non censetur. Em. l. 2. c. 39. Revis. l. 2. t. 14. art. 3.

19. Quo Jure hospites, & ii, qui ad iter accincti sunt, utuntur.

Si hospes quem conveniat, Jus illi dicendum est post noctis interstitium, quatenus Jure hospitum uti velit. Si quis autem itineri faciendo jam accinctus hospitem vel civem convenire velit, eum Judex per Ministerialem publicum ad Judicium vocet, ac Jure hospitum respondere jubeat. Si vocatus edictum neglexerit, sive civis cive hospes, pro Actore Jus dicetur & pronunciabitur causam eam vicisse, nisi conventus legitimo teneatur impedimento. Ac si conventus hospes

hoſpes ſeu civis in eo foro bona poſſideat, in ea actor mittatur pro modo debiti ſui ut Juris eſt. Si bona ibi non habeat, ſiquidem præſens eſt, in cuſtodiam detur, quoad Actori ſatisfecerit. Si vero civis civem convenire velit, qui poſſeſſionatus ſit vel non ſit, ſive hoſpitem in Jus vocet extra diem Judicii legitime conſtituti, Actorem illum Judex ad ordinem Juris conſtituti remittat. Quod ſi civis Actori oppoſuerit, ſe jam ad profectionem accinctum eſſe, vel commerciorum ſuorum vel piæ peregrinationis ergo, vel etiam alia urgente cauſa extra Provinciam abeundi, ſic ut ſtati Judicii diem expectare nequeat, idque mediante Juramento ſuo comprobaverit, eodem die reſponſum ejus audiatur. Quod ſi hoſpes adverſus Civem Actorem excipiat, ſe non teneri Judicium ordinarium præſtolari, & in eam rem jusjurandum juret, cauſa ejus præſente die ventiletur. Si inter litigatores convenerit, nullo diſcrimine civis & hoſpitis habito, ut utrinque in Jus eatur, eo caſu debet conventus adverſarium ſtato die præſtolari, nec exceptionem profectionis ad commercia vel peregrinationis ad pia loca, vel abitionis extra Provinciam, vel quovis modo accinctus ſit, prætendere poteſt. Si vero hoſpes vel accinctus itineri faciundo fundos & poſſeſſiones petere ſeu vindicare velint, hi neque hoſpitum neque peregrinantium Jure utuntur, ſed ſtatos Judicii dies ſecundum Juris ordinem obeunto. Emend. l. 2. c. 40. Reviſ. l. 2. t. 14. art. 4. Corr. l. 2. c. 41. Ne quis alterum violenter ob quodvis debitum impedito, neve per vim in Judicium pertrahito, ſine Judicis permiſſu, ac ſine Miniſterialium ope, qui in Judicii functionem jurati ſunt. Qui ſecus fecerit, vel ſibimet ipſi Jus dixerit, æſtimationem injuriæ læſo, mulctam Judici dato. Judicis autem erit arbitrium, pro conditione perſonarum & cauſæ mulctam & Injuriæ æſtimationem augendi, eo ſolum excepto, ſi debitor ex fuga retrahatur. Emend. l. 2. c. 18. Corr. l. 2. c. 45. Reviſ. l. 2. t. 6. art. 6. debitum ex falſis literis vid. **Falſarius.** Jure noſtro receptum eſt, ut omnes creditores, qui in Terris Pruſſiæ domicilium conſtitutum habent, & bona debito- ris

20. Ne cui vis fiat ob debitum quodvis extra Jus.

21. Si bona a pluribus creditoribus pi-

gnori nexa sint, quis potior habeatur? ris intra diem annuam nexu pignoris obnoxia fecerint, ac Jus pignorationis ordine suo produxerint eodem Jure simul admittuntur. Si non tantum in bonis esse appareat, ut omnium debitis plene luendis sufficiant, pro rata partione solutionis modus constituetur, excepto Fisco Regio, in debitis, non in pœnis, pupillis, piis locis & communitatibus privilegio utentibus, nec non iis, qui jam tum executionem rei judicatæ, vel pignoris prærogativam, vel inscriptionem Judicialem in bona debitoris obtinuerunt. Si quis autem intra diem annuum neque pignoris nexum injecit, neque Jure debitum exegit, non est, quod deinceps ejus desiderium audiatur vel admittatur. Quisquis creditor debitoris profugi bona nexu pignoris obstrinxerit, & Jus pignorationis suæ per singulas constituti Judicii vices rite prosecutus fuerit, debitum suum ex iisdem bonis vel possessionibus primo loco recuperabit, præ cæteris, qui post eum pignori manum injicere voluerint, nec illi fraudi erit, si quid aliud debitor confessione sua in cæterorum compendium prætendisset. Sin autem primus creditor unam ex constituti Judicii vicibus neglexerit vel non obierit, sic ut posteriores, qui pignoris eandem causam prosequuntur, actiones suas præ illo ad executionem rei judicatæ perducant, illi non injuria potiores erunt, qui priores litem evicerant, ob bona æri suo obnoxia possidenda. Emend. l. 4. c. 75. Corr. l. 3. c. 121. & 122.

22. De debitoribus profugis. Cum quis debitor solum verterit, nec in Judicio vocatus stiterit, bonis a se relictis, quæ pensionibus annuis obnoxia sint, siquidem ab eo loco, ubi conversari eum compertum esset, in Jus vocetur, neque pareat neque bona defendat, creditores & cæteri, quibus pensiones in fundum obligatæ sunt, quatenus post fugam ejus possessionem bonorum Jure decretoque manu ceperant, liberam habebunt potestatem, ex usu suo quoad videbitur, bona disponendi, sic ut profugo Jus sit, possessiones pignori captas, intra diem annuam, ex qua fuerant alienatæ, redimendi. Emend. l. 4. c. 82. Corr. l. 3. c. 89.

23. An profugus citandus sit? Si debitoris bona conveniantur, vel in pignorationis causam pertrahantur, uti Juris, debitor

debitor autem in Jus vocatus fugam ceperit, nullius rationis eſt, fugitivum amplius evocari, ſed Actor tribus Judicii ſolennibus vicibus bona forenſi præconio proſtituat, uti moribus cujusque loci receptum eſt. Si debitor non apparuerit, Judex Actorem pro conſequendo, quod probaverit debito, in bonorum poſſeſſionem per decretum immittat uti Juris auctoritate liquet conſtitutum. Emend. l. 4. c. 83. Corr. l. 3. c. 85. Tres Creditores debitorem unum in Jure ſolenni conveniunt, primus verbi gratia marcas petit decem, quas debitor fatetur, ſecundus ſex petit marcas, quas iisdem ſibi creditas ille affirmat, tertius quatuor conducit marcas, quas debitor non inficiatur, eaque omnia in Judicio conſtituto ſolenniter aguntur, itaque omnes in bona debitoris ex ipſiusmet confeſſione, qua in Jure debita ſingulorum agnoverat, immittuntur, bona vero non omnium debito ferendo ſufficiunt. Etenim, ſi primus & ſecundus, quod in illorum eſt nominibus, integrum capiant, tertio nihil quo ſibi conſulat, erit reliquum. Proinde ſi tertius Judici cognitionem interponi petat, quandoquidem debitor creditum ejus confeſſione ſua in Judicio conſtituto cum cæteris æque liquido teſtatus ſit, an non teneantur cæteri tertium in viriles portiones admittere, & ſimul jusjurandum dare, quod debitor ſit tanti illis obnoxius tantumque in ejus uſum erogaverint, quanti actionem inſtituerant? Quæſtio ſic deciditur: Cum tres creditores in unius debitoris bona Jure mittuntur, quod debiti nomine ſe teneri ipſemet in Jure confeſſo teſtatus ſit, primus Creditor debitum ſuum præcipiat, ſecundus porro ſequatur, neque coguntur tertium in viriles portiones ſecum admittere. Sin autem tertio quidquam deſit, quo minus debitum ſuum ex bonis iisdem conſequatur, Jure decretoque primum & ſecundum adigere poterit, ut jurati fidem faciant verum debitum ſe condixiſſe, & debitor juret. non ſuo compendio in alicujus fraudem tantam ſe debiti ſummam agnoviſſe. Emend. l. 4. c. 76. Correct. l. 3. c. 123. Reviſ. l. 2. t. 24. art. 3. in fin.

24. Si tres debitores ſimul debitum condicant.

Vid. plura Executio, Emancipatio, Pignus, Arreſtum.

25. An creditores venditionem debitoris recte impediant? ftum, Moratorium. Si quis domum vel prædium nullo æris alieni nexu illigatum vendiderit, & in Judicio tradiderit, creditoribus ejus non eft Jus impediendi emptorem, nifi venditor, antequam fundum in Jure traderet, debiti folutionem illis fpofpondiffet, eamque in rem fundos & obligationes fuas obligaffet. Hoc enim cafu licet creditoribus æris alieni nomine fundum vendicare, & traditionem intra diem annuam retractare. Emend. l. 4. c 17. Correct. l. 4. c. 43.

26. Donatarii an Creditores in bonis donatoris recte præferantur? Revif. l. 4 t. 5. art. 17. Si quis alicui pecuniam in Judicio conftituto donaverit, cujuscunque minoris aut majoris fummæ, poft mortem fuam ex bonis fuis omnibus percipiendam, ac deinde ab hac luce migraverit, ære alieno creditoribus obftrictus, creditores debita fua, quæ probari poffunt, quæque confeffo liquida funt, ex defuncti bonis percipiunto. Em. l. 3. c. 16. Correct. l. 4. c. 21. Revif. l. 3. t. 8. art. 25. Vid. plura Debitum, Condictio.

CREDULITAS. *łekkowiernosc*

1. Juramentum credulitatis. Jusjurandum ratione debiti vel fimilis caufæ Civilis ad quendam præftitum diem præftiturus, fi ante diei adventum moriatur, tunc Actor defuncti hominis hæredes adcitare debet, qui Juramentum credulitatis continuare & jurare tenebuntur, adeo, quod pro certo credant, defunctum illud Juramentum bona confcientia præftare potuiffe. Revif. l. 2. t. 20. art. 3. Emend. nil dicit de hoc Juramento, fed tantum vult, ut fi cui Juramentum decreto adjudicatum fit certo die præftandum, atque is interim è vivis abeat, priusquam dies cefferit, Actor hæredes defuncti in Jus vocato, & dicam illis fcribito, ipfi vero litem fufcipere coguntur. Emend. l. 2. c. 17: Correctum præcipit, ut hæredes adcitati five affirmative, five negative refpondeant. Correct. l. 3. c. 110.

CRIMINALIA.

CRiminales causæ & actiones hæ omnes vocantur, in quibus in corpus & vitam vel alias in publicam pœnam quis accusatur. Revis. l 5. p. 1. in exordio. Ob delictum vel maleficium quilibet respondere debet in eo foro ubi delictum vel maleficium commisit. Emend. lib. 2. c. 34. Correct. l. 2. c. 60. Revis. l. 5. p. 1. t. 1. art. 1. Tametsi Nobiles Regni Poloniæ, & eorum Subditi, authoritate seu potestate Civili, neutiquam capi, detineri, aut arrestari debeant, neque Nobilibus licitum sit, auctoritate propria capere aut detinere Cives, sed unusquisque coram Judice suo ordinario conveniatur, & Justitiam requirat; in casibus vero recentibus, & actionibus criminalibus, prout pax perpetua disponit, statuitur, quod delinquens in loco delicti deprehensus, poterit conveniri. Vid. Const. D. Sigismundi ab Anno 1538. §. 16. Revis l. c. Violentiæ viarum publicarum, stupra violenta, invasiones, & alia varia maleficia, judicare debet Judex & Scabini, & alioquin nullus alius, cum scitu Burggrabii, vel hujus qui superiora Judicia habet, vel pro consvetudine cujusque loci. Revis. l. 5. p. 1. art. 2. Si Prætor quempiam in actione prosequenda impedierit, vel Jus non administraverit, siquidem hoc per injuriam admittit, ac eam ob rem coram eo, qui vices Principis gerit, testibus præsentibus conveniatur, oportet, ut conventus itidem testium adminiculo Judicium, quo minus illi fraudi sit, evadat. Sin autem is qui passus injuriam dicitur, testibus suis renunciet, & religioni Prætoris, quatenus sibi conscius sit, causam committat, Prætoris religioni standum erit, ut per Jusjurandum ejus transactum videatur. Cum Prætor hac de causa coram Burggrabio in Jus vocatur, in continenti respondeto, sic ut ibi Jus rite constitutum sit: præsentem enim ipsummet oportet esse, nisi legitimum causetur impedimentum, quod e vestigio probandum est. Si non probet, sed per injuriam recuset, neque Juri parere velit, ei qui Principis vicem sustinet,

1. Quid sit causa criminalis.

2. Delicti forum.

3. Forum delicti.

4. Quis sit Judex cognitivus in Criminalibus.

5. Si Judex in causa sua quempiam impediat, seu Jus non dicat.

net, ob injuriam in eum commissam, Prætor in mulctam decem librarum æris, quæ tredecim marcas & viginti solidos monetæ Pruthenicæ adæquant, damnus esto, & in solutionem debiti, cujus causa Jus denegaverat, Actori condemnator. Quamdiu debitum non exegerit, nec ipsemet solverit, nec proximo Judicii die actionem Jure a se propulerit, interim illi jurisdictionem in quempiam exercere fas non erit, priusquam ea se causa liberaverit, uti præmissum est. Sin autem agatur de maleficio cujus vindicandi causa Prætor Jus dicere noluerit, utputa de homicidio, furto, sacrilegio, latrocinio, incendio, rapina, vel aliis ejus generis facinoribus quæ capitalia sunt, eandem pœnam Judex sustinebit, quam accusatus perferre debuisset, nec hoc casu damni æstimatione vel mulcta defungi poterit, quatenus in ejusmodi causa neglecti officii Juris ordine convincatur. Si quis potestati Judicis traditus fuerit, in custodia, ad Juris exercitionem asservandus, isque carcerem fregerit, absque Judicis culpa, negligentia vel scientia, siquidem causa maleficium concernat, quod capitale sit, Judex integram damni æstimationem (vulgo Wergeldum totum vocant) luito, si manus mutilationem concernat, dimidium præstato, ac insuper Jusjurandum jurato, nisi id remitti placuerit, sine culpa sua captivum evasisse. Emend. l. 2 c. 16. Correct. l. 2. c. 43. Revis. l. 2. t. 2. art. 6.

6. De Prætoris Succedaneo in ejus absentia.

Si Prætor absit, cum maleficium committitur, Judex Vicarius in ejus locum substituitur qui de quovis maleficio recenti cognoscendi potestatem habeat: Prætorem utique convenit legitima potestatis Judicialis auctoritate initiatum esse. Emend. l. 5. c. 8. Correct. l. 2. c. 20.

7. Quando causæ criminales veniant in Judicium.

Criminales causæ coram Judicio producuntur (1) ad instantiam Accusatoris, (2) per denunciationem, quando Judici vel Judicio maleficium commissum publice in Judicio denunciatur, (3) facinus in Judicium deducitur per inquisitionem, hoc est, cum Judex ex Officio & Officii causa facinus inquirit, & ita tum ex Officio procedit, (4) etiam factum in Judicium deducitur per modum objectionis, hoc est, cum quis sub prætextu & defensione causæ suæ, Judici, Actori, vel testibus maleficium vel faci-

facinus aliquod objicit, quam ob rem nec Judex, Actor, nec Testis esse possit. Revis. l. 5. p. 1. tit. 3. Cum quod facinus seu qua violentia noctu vel interdiu committitur, cujus quispiam integræ alioquin vir opinionis insimuletur, rectius dicemus, ut is testibus actionem perimat, quam vel cujusvis testimonio convinci debeat, nisi in re præsenti fuerit, cum factum perpetraretur. Emend. l. 5. c. 3. Si Judæus Christianum de pecuniario debito conveniat, actionem Christianus Juramento suo potest elidere. Nullius enim Judæi Juramentum Christiano prævalet, nec cuiquam Judæo adversus Christianum jurare fas est in causis pecuniariis. Sin autem Judæus Christianum accuset ob maleficium, puta vulnerationem, membri mutilationem, vel homicidium, eo casu Judæus Christianum, qui pacem publicam violasse dicetur, in facto recenti, æq; covincendi potestatem habet atque Christianus, ut Christianorum testimonio convinceret. Emend. l. 2. c. 31. Correct. l. 3. c. 62. Si mulier virum conveniat ob crediti causam, eamque in rem testes produceere velit, magis probandum est, quod vir bonorum virorum testatione mulieris actionem elidere possit. Ob maleficium autem, vulnerationem, membrorum mutilationem vel homicidum æque mulieri Jus est ac viro, eum qui pacem publicam violaverit in recenti facinore testibus convincendi. Emend. l. 2. c. 53. Correct. l. 3. c. 63 Omnes annos suos perfectos attingentes & infamia non notati, quibus etiam aliter de Jure non est interdictum, criminaliter ob maleficium accusare possunt: de his personis, quibus de Jure prohibitum est, prolixius proponere non necessarium est, quia Judicium inquisitorium ubique locum habet, & quamvis actorea pars fuerit rejecta & repudiata, tamen Judex ex Officio rebus & caußis ulterius inquisitis in causa procedere potest. Revis. l. 5. p. 1. t. 4. art. 1. Si quis vulneratus agere noluerit, nec vulnera sua testato comprobaverit, eum Judex ad agendum cogere non potest, nisi vulneratus clamore solenni injuriam suam fuisset contestatus: Is enim clamor actionis est initium, quo facto causam Jure prosequi cogetur, nec absque Judicis voluntate silentio sup-

8. De criminali actione evitanda.

9. In criminal. Judæus æque convincit atque Christianus.

10. In Criminalibus vir & mulier parile Jus probandi habent.

11. Qui criminaliter agere possunt.

12. An vulneratus ad agendum cogi possit.

supprimere debebit. Emend. l. 2. c. 28. Correct. l. 2.
13 Alia dispositio Juris Revisi. c. 49. Revisum aliqualiter variat: Neminem ad accusationem nondum in Judicio cœptam invitum cogei dum esse, certum est, & cuilibet licet suum damnum, quousque libuerit, silere. Actione vero inchoata, eandem Actor, prout Juris est, deducere tenetur, vel Judici mulctam præstare, nec non parti emendam cum refusione expensarum. Ubi vero quis contra alterum verbis vel factis proterviter quid attentare præsumpserit, & is, cui talia objiciuntur, effringere & purgare voluerit, tunc illum diffamatorem eo adigere potest, ut Jure eum accuset, agat, vel perpetuum silentium, mediante Jure & sententia, pronuncietur, & ipsi imponatur, Revis. l. 5. p. 1. t. 4. art. 2. quomodo Clamor sit inquisitionis seu actionis initium vid. supra Clamor.

14. Delicta minorum. Inter pubertatis annos minores nihil intelliguntur delinquere, quo vitam vel caput committant. Si minor quempiam occiderit, vel corporis noxam intulerit, tutor æstimationem damni præstabit, ut pro cæsi seu vulnerati conditione sancitum est, si modo minor facinoris rite convincatur. Quodcunq; etiam damnum minor injuria dederit ex ejus bonis æstimationem

15 Alia dispositio Juris Revisi. tutor exsolvet. Emend. l. 5. c. 47. Correct. l. 3. c. 34. Rev. sic dicit: Homo intra annos 15. existens, corpus suum ob furtum committere non potest; Pueri vero hujus tutores ex ejus bonis pro furto satisfacere tenentur. Ast cum puer proximus pubertati, vel 15. annorum, & furtum magnum, ac aliæ tam molestæ quam periculosæ proinde repertæ circumstantiæ, adeo, ut malitia ætatem suppleat, tunc in Judicis discretione consistere debet, qualiter in ista causa procedendum sit. Revis. l. 5. p. 2. t. 16. art. 6. Correct. statuit: Si infans non habet in bonis furtum compensandi, virgis cædatur.

16. Quomodo accusatio procedat. Corr. l. 5. c. 33. Olim omnes causæ Criminales cum clamore & vociferatione in Judicium deducebantur, & clamor iste accusationis initium erat, quod in bene constitutis Judiciis nunc merito intermissum est, & in eo sufficit, quod accusatio ordine producatur; idcirco Actor vel inculpati nomen & cognomen, facinus cum suis circumstantiis, utpote

loco,

loco, tempore & perſona, in qua ſcelus perpetratum eſt, recenſere, & ad pœnam meritam, vel etiam ubi Reus conventus maleficium confiteri noluerit, ad torturam ſuam accuſationem concludere debet, & id omne oretenus fieri & a Notario diligenter & concipi neceſſum eſt. Nam Scriptotenus in cauſis Criminalibus & Capitalibus nec accuſare nec reſpondere licet, Reviſ. l. 5. p. 1. t. 4. art. 3. Filius pro maleficio Patris, poſtquam is vita defunctus eſt, actionem nullam patitur. Pater pro filio, qui facinoris accuſatur, non niſi ſemel intervenire poteſt, donec ejus manui poteſtatique filius adhuc eſt ſuppoſitus, ſic ut jurejurando filii crimen purget, niſi evidentius ipſo facto redarguatur. Si Pater & filius ejusdem criminis rei peragantur, Pater filium maleficio ſolvere vel eximere nequit, priusquam ſemet ipſum purgaverit, Emend. l. 5. c. 11. Corr. l. 3. c. 74. Si Pater in Judicio filium in ſua adhuc poteſtate conſtitutum defendere volet, & poſtquam ad Juramenti deciſionem ventum fuit, cauſa ceciderit, uterque tam pater quam filius accuſatione ſunt obnoxii, pater vero ſemet eximere poterit æſtimationis mulcta, hoc eſt Wergeldo, quod vocant integro, ſi cauſa capitalis eſt, dimidio autem, ſi manus mutilationem concernit, exſoluta. Hanc pecuniam Actori dato & ſuam inſuper Judici mulctam luito. Actor autem nihilominus cauſam adverſus filium proſequi ne prohibetor. Emend. l. 5. c. 12. Correct. l. 3. c. 75. Si quis ſponſionem Judici fecerit in actionem, puta, rapinæ, vulnerationis vel homicidii, Jure proſequatur, & neglecta ſponſione citra Judicis conſenſum cum adverſario transegerit, tam ei qui vices Principis gerit, quam Judici mulctam committit, ea de cauſa, quod nec ſponſioni ſatisfecit, nec actionem ad exitum perduxit. Si cauſam Actor ad finem proſecutus fuerit, & deinde cum adverſario ſine Judicis permiſſu transegerit, uterque tam Actor quam Reus Judicis mulctam incurrit. Emend. l. 2. c. 27. Correct. l. 2. c. 35. Reviſ. addit, quod Reus nihilominus meritam pœnam corporis eluere debeat. Reviſ. l. 5. p. 1. t. 4. art. 4. Si quis abſens accuſetur ob maleficium, cædem, vulne-

17. Quatenus Pater pro filio intercedat.

18. Si Pater defenſionem ſui filii non peregerit.

19. De actionibus & Juris ſponſione proſequendis.

20. Si quis abſens de ma-

leficio conveniatur. vulnerationem atrocem, vel ejus generis ſimile factum recens deſignatum, cujus pœna in corpus delinquentis extenditur, dies illi dicitor poſt triduanæ noctis interſtitium, deinde vadem ter poſtulato. Si vadimonium ſua fide nemo præſtare velit, abſens in continenti proſcribitor, nec Actori deinceps teſtibus eum convincendi neceſſitas eſto. Emend. l. 5. c. 4. Correct. l. 2. c. 9. Reviſ. l. 5. p. 1. t. 4. art. 5. & tit. 11. c. l.

21. Variatio Juris Reviſi. dicitur: Accuſans aliquem ob maleficium, & ipſemet non comparens Judici ſuam mulctam & reo convento pœnam pendit, reo convento ab actione abſolute, & titulo ſequenti: Reo convento in cauſis Criminalibus ſeſe ſiſtente, & poſtmodum in ſecundo & tertio Judiciali termino ſeſe abſentante abſque legali neceſſitate, vel fugam arripiente, tunc de Jure pro convicto cenſendus & proſcribendus eſt. Reus conventus fugam arripiens, tribus vicibus unaquaque poſt quatuordecim dies citari debet, quo non comparente, condemnatur in proſcriptione ad legale, & quando in quarto termino non

22. Quando plures unum conveniunt. comparet, proſcribitur. Reviſ. l. 5. p. 1. t. 12. Compluribus hominibus unum ob maleficium diſtinctim accuſantibus, ita ut quilibet cauſam ſingulariter plenarie proſequatur, reſpondere non tenetur, antequam a prioris accuſatione abſolvatur. Si vero omnes conjunctim quamcunq; actionem egerint, jure ipſis reſpondere tenetur. Reviſ. l. 5. p. 1. t. 4. art. 6. de Vulneribus

23. Inquiſitio ex Officio Judicis. vid. infra. Quoniam ſæpe numero maleficia committuntur, ubi nulli Accuſatores reperiuntur, attamen maxime neceſſarium & utile ſit maleficia de Jure proſequi, ac in terrorem aliorum puniri, ideo Judici de Jure conceſſum & commiſſum eſt, prout etiam id facere tenetur, Actore non exiſtente ex Officio inquirere & debitam pœnam exigere debet. Miſerabilium hominum homicidia debet & poteſt poſtulare Judex, ne homicidium impunitum & injudicatum permaneat: Si quis etiam homicidium illud proſecutus eſt, & poſtmodum aliquis ex conſangvineis venerit, & Jure ad hoc ſeſe obtulerit, hunc Judex admittere & poſtulationem decernere debet Jure mediante. Judex ex Officio in cauſis Criminalibus nihil proponere & incipere poteſt, niſi ipſi prius commiſſum ſcelus bene

bene notum & conſcium ſit, & tum poſt ſufficiens teſtimonium in certam perſonam ſuſpicionem cadentem habeat, tunc ad minus talis perſona ratione hujusce maleficii infamata, vel alia indicia adeſſe & exiſtere debent, quare ſuſcepturus & inquiſitionem apprehenſurus ſit; alioquin Judex ſeſe aggravat, & litem ſuam propriam facit. Reviſ. l. 5. p. 1. t. 7. de Vulneribus, Inquiſitione, Probationibus, Præſumptionibus, Tortura, Denunciatione, &c. Vid. infr. de Citatione vid. ſup. it. de Captura Reorum Vid. Arreſtum. Cum quis in cauſa maleficii pro quopiam fidejubet, ut eum Judicio ſiſtat. Si copiam ejus ſiſtendi non habeat, æſtimationem damni, quam Wergeldum vocant, præſtare debet, niſi alias certa ſumma nominata in fidejuſſionis obligationem veniſſet. Emend. l. 5. c. 60. Correct. l. 2. c. 38. Vid. plura Cautio. Conteſtatio litis ſeu Reſponſio Vid. Conteſtatio litis, de Contumacia, item de bonis punitorum, Vid. ſupra Confiſcatio, de Proſcriptione Vid. Bannitus. Qui ob homicidium vel aliud maleficium arguitur, non in continenti, ſed poſt noctis interſtitium, is tribus conſtituti Judicii vicibus vocator & accuſator, amplius deinde ne vocator, ſi non in tribus illis vicibus adfuerit, ſeque defenderit, proſcriptioni obnoxius eſt. Emend. l. 5. c. 5. Correct. l. 3. c. 29. Cum quis rem furto vel rapina ſibi ablatum, penes aliquem poſtridie comprehenderit, quam ille palam emit, neque clam habuit, ejusque rei teſtes allegat, hic recentis facinoris actione non tenetur, quantum vis res furtiva penes eum inventa fuerit, niſi talis ſit, quem exſortem Juris cenſemus, h. e. qui infamiæ nota jam antea laborat: unicuique liberum eſt Judicis permiſſu rem ſuam a quocunque vendicare. Si Poſſeſſor contradicat, antequam in Jus ventum ſit, Actor eum in continenti ad Judicium invitet. Si in Jus ambulare noluerit, alter nefaſto clamore factum conteſtetur, & illi tanquam furi manum injiciat, æque ac in recenti facinore deprehenſo,

23. Fidejuſſio in criminalibus.

24 De actione Criminali comperendinata.

25. De vindicatione rei furtivæ.

etenim dum fugam capeſſit, maleficio ſeſe obſtringit. Sin autem volens in Judicium venerit, Actor rem ſuam Jure vendicato. Si conventus exceperit rem eam, puta ſi pannus vel linteum ſit, ſuis ſumptibus textam, vel ſi animal ſit, in ſtabulis ſuis educatum, quatenus poſſeſſor id legitimis teſtimoniis probaverit, ad retinendam rem eam potior erit, eo, qui alienam appetit. Si furtiva ſeu rapta res penes aliquem deprehendatur, atque is auctorem ſuum alleget, is porro tertium & ita deinceps, poteſt enim res eadem per plures ambulare perſonas, tamdiu de auctore in auctorem deſcendimus, donec ad furem ſeu raptorem perveniatur. Emend. l. 5. c. 6. de Teſtimoniis Purgatoriis Vid. infra. Quando quis propter delictum ſubmittit ſe gratiæ Senatus. Vid. ſupra Conſul.

CRUCIGERI.

Vid. infr. Culmenſe Privilegium, & ſupra Caſimirus in Privilegio incorporationis.

CULMA.

1. In foris Juris Culmenſis Germanico idiomate eſt utendum.

IN omnibus Judiciis, quæ Jure Culmenſi cenſentur, cauſæ lingva Germanica aguntor & judicantor. Omnes enim Judiciorum illorum actiones idiomate Teutonico jampridem expedire conſveverunt, niſi quibus in locis uſus lingvæ latinæ frequentior cauſis agendis adhibeatur. Emend. l. 2. c. 22. Corr. l. 3. c. 4. Reviſ. l. 2. t. 10. art. 2.

Privilegium Culmenſe.

FRater Eberhardus dictus de Seyne, Præceptor Domus Sanctæ Mariæ Theutonicorum per Alemanniam, & vices gerens Magiſtri Generalis per Livoniam & Pruſſiam, univerſis Chriſti fidelibus, præſentem paginam inſpecturis, orationes in Domino Jeſu Chriſto. Noverit Univerſitas Veſtra, quod

quod nos, cum ad partes Prussiæ pro negotiis plurimis venissemus promovendis, inter alia, quæ nobis diffinienda occurrerunt ibidem negotia, Cives Culmenses & Thorunenses turbatos invenimus pro eorum Privilegio, quondam eis a Magistro nostro bonæ memoriæ Fratre Hermanno dicto de Salcza, & Fratre Hermanno Balkone, primo ejusdem terræ Commendatore, donato, & postmodum per incendium Civitatis Culmensis amisso, cujus rei veritatem a Fratribus Nostris ac aliis viris honestis nos plenius cognoscentes, de communi consilio Fratrum nostrorum ibidem existentium, pariter & consensu, dictos Cives lætificantes, Privilegium prædictum ipsis restaurandum duximus, in hunc modum:

Frater HermannusDomusHospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosol. Magister, & Frater Hermannus Balko ejusdem Ordinis in Prussia Provisor, nec non totus ejusdem domus Conventus, universis Christi fidelibus, hanc paginam inspecturis, salutem in vero salutari.

Quanto plura, quantoque majora Culmensis terræ, ac præcipue Civitatum nostrarum incolæ, Culmensis scilicet & Thorunensis, tum pro Christianitatis defensione, tum pro domus nostræ promotione, discrimina sustinebant, tanto ardentius atque efficatius in omnibus, quibus cum Justitia possumus, eis adesse volumus & debemus. Hinc est quod eisdem Civitatibus hanc indulsimus perpetualiter libertatem, ut earum Cives eligant sibi in iisdem Civitatibus singulos Judices annuatim, qui domui nostræ & Communitati Civitatum competunt earundem: Eisdemque Judicibus cessimus perpetualiter de parte tertia mulctarum Judicialium, pro culpis majoribus pensatarum, pœnam minorum excessuum, quæ quotidiana dicitur, videlicet 12, nummos, & infra eos totaliter concedendo. Ita ut quicquid de talibus Judex infra Tribunal indulserit, de quatuor solidis videlicet & infra, id etiam ex parte domus nostræ sit indultum. Veruntamen de majoribus culpis, ur sunt homicidia, sangvinis effusio & his similia, Judex absque Fratrum nostrorum assensu nihil remittat, nos etiam partes illas, quæ nos contigerint, in

1. Patrocinium Civitatis Culmensis & Thorunensis.

2. Libera electio Senatus & ejus Jus cognoscendi.

in eisdem Judiciis vendere & infeudare cuiquam non debemus.

3. Termini Civitatis Culmensis. Igitur Civitati Culmensi dedimus ad prata pascua, & alios usus communes, a terminis cujusdam villæ, quæ Uft appellatur, per descendum Wissæ, usque ad terminos cujusdam lacus, qui dicitur Rensche, & de ipso lacu ascendendo usque ad villam, quæ Rude vocatur, & juxta terminos ejusdem villæ usque ad aliam villam Lunawe dictam, & sic directe ad viam, quæ ducit ad insulam S. Mariæ, per viam vero directe usque ad terminos cujusdam villæ, quæ Grobene dicitur, & sic ulterius ad vallem quæ Browina nuncupatur.

4. Libera piscatura. Nec hoc tacendum est, quod liberum erit piscari sæpe dictis civibus in prædicto lacu, qui dicitur Rensche, sicut & nobis. Præterea supradicta bona, tam in sylvis, quam in pratis & agris, cum omni utilitate, quam domus nostra percipere possit ab inde, dicti cives in perpetuum libere possidebunt. Flumen vero Wissam a Villa quadam, quæ dicitur Topulna, per descensum, usque ad lacum, qui Rensche vocatur, cum omni utilitate, exceptis Insulis & Castoribus, ad communes usus piscandi, prædictis Civibus & peregrinis duximus assignandum.

5. In terris Culmensibus vigeant Jura Magdeburgica, in causis dubiis sententia a Civitate Culmensi petatur, & illa sit primaria Civitas. Statuimus autem in eisdem Civitatibus Jura Magdeburgensia in omnibus sententiis in perpetuum observari, hoc indulto, ut cum reus aliquis Magdeburg. in sexaginta solidis puniri debeat, hic in triginta solidis Culmens. monetæ mulctetur, eodem modo in culpis aliis proportionaliter observando. Si vero aliquis dubietatis scrupulus de Jure Judiciario, vel de Juris Judiciarii sententiis Civitatibus emerserit, in eisdem idem articulus a Culmensis Civitatis Consulibus requiratur, quia eandem Civitatem capitalem esse volumus ac digniorem inter alias jam constructas, & si quæ adhuc infra Wissam, Ozzam & Driwanzam construentur.

6. Naulum Vistulæ. Dicti vero Cives ac Feudales earundem Civitatum de communi consensu cesserunt de Jure, quod in Wissa super navigio hactenus habuerunt, ipsum cum omni utilitate domui nostræ libere resignando hac tamen conditione præmissa, quod nos dictum navigium pro Summa, quanta volumus & possumus, locare seu vendere debeamus hominibus quibus voluerimus,

qui

qui in Civitatibus, Culmensi videlicet & Thorunensi residentes Justitiam exhibeant unicuique, & accipiant coram Civitatum Judicibus earundem, & naulum usque ad præsens consvetum debeamus absque augmento aliquo deinceps observare. Hyemali vero tempore, cum fuerit glacies, Fratres de Consilio Judicum & Consulum earundem Civitatum naulum statuant, ut eorum discretioni videbitur expedire. Statuimus etiam ut omves Clerici & viri religiosi, de quacunque religione extiterint, absque omni naulo perpetualiter cum rebus eorum, quas secum habuerint, traducantur. Quod si quis ex prædictis ductoribus navium expraedictis aliquem traducere ausu temerario contradixerit, leviori culpæ subjaceat, quali scilicet quatuor solidorum pœna consvevit adscribi.

Promisimus etiam, ut in eisdem Civitatibus nullas domos emere debeamus; Si vero aliquis domum aut aream suam domui nostræ contulerit intuitu pietatis, eam ad alios usus construere non debeamus, nisi ad quos aliquis ex Civibus construet domum suam, & eadem exinde Jura & consvetudines observare, quæ & quas alii de suis domibus observabunt. In his tamen conditionibus munitiones nostras quas in eisdem Civitatibus jam habemus, volumus non includi. 7. Crucigeris non est licitum domos emere.

Parochiam in Culmine dotavimus quatuor mansis juxta civitatem & aliis quadraginta, ubi eisdem fuerint demonstrati. Parochiam vero Thorunensem dotavimus quatuor mansis juxta Civitatem, & aliis quadraginta, ubi etiam fuerint assignati. Et in iisdem Ecclesiis Jus Patronatus nostræ domui retinemus, eis in Plebanis idoneis provisuri. Cæterum si aliquæ Parochiæ in villis supradictorum Civium fabricatæ fuerint, si tum villarum singulæ earundem octoginta mansos vel amplius habuerint, promisimus Parochiarum quamlibet prædictarum quatuor mansis, nostra speciali parte dotare, & Jus Patronatus habebimus perpetuo indotatis, eis etiam in idoneis Sacerdotibus provisuri. 8. Parochia Culmensis & Thorunensis cum Jure Patronatus.

Ad hæc statuimus, ut si qua forte quæstio contra aliquem de bonis suis orta fuerit, si possessor vicinos ac alios conterraneos suos, quibus notum fuerit, rem taliter se habere, & 9. Possessio justa.

testimonium justæ possessionis habuerit, potius deberet obtinere bona illa, quam is qui eum impetit, ab ipso eadem bona alienet. Absolvimus autem prædictos Cives ab omnibus Collectis injustis & hospitationibus coactivis, aliisque exactionibus indebitis, ad omnia eis attinentia hanc gratiam extendentes. Porro iisdem Civibus nostris vendidimus bona sua, quæ a domo nostra habere noscuntur ad hæreditatem Flammingicalem, ipsis & eorum hæredibus utriusque sexus, ea cum omnibus proventibus in perpetuum libere possidenda, salvis tamen his, quæ domui nostræ per totam terram duximus retinenda. Retinemus enim domui nostræ in bonis eorum omnes lacus, castores, venas salis, auri argentique fodinas, & omne genus metalli præter ferrum, ita ut tamen inventor auri, sive is, in cujus bonis inventum est, idem Jus habeat, quod in terra Ducis Silesiæ, in hujusmodi talibus est concessum. Inventor autem argenti, sive is, in cujus agris inventum fuerit, Jus Fribergense in hujusmodi inventione perpetualiter obtinebit. Quod si lacus aliquis ad tres tractus sufficiens agris alicujus prædictorum Civium adjunctus fuerit, si is, cujus agri sunt, eundem lacum loco agrorum acceptare voluerit, in sua ponimus optione. Si vero major fuerit, quocunque instrumento in eo piscari voluerit, ad commodum duntaxat mensæ suæ præter rete, quod Newod dicitur, habeat liberam facultatem. Item si rivus aliquis agros alicujus Civis attigerit, ei, cujus agri fuerint, solummodo molendinum ædificare liceat in eodem: Si vero idem fluvius aptus fuerit plurimis molendinis, domus nostra in construendis eisdem aliis tertiam partem priorem sumptuum faciat, & percipiat perpetualiter tertiam partem usuum de constructis. Volumus etiam, ut de qualibet fera, quam ipsi vel eorum homines ceperint, exceptis ursis, porcis & capreolis, armum dextrum domui nostræ reddere teneantur. Sane quod de lacubus, molendinis, seu feris posuimus, ad illos duntaxat Cives extendimus, qui a domo nostra, sicut supra dictum est, hæreditarii esse noscuntur. Ipsis etiam hanc contulimus libertatem, ut bona sua, quæ a domo

[Marginal notes: 10. Cives terræ Culmensis immunes sunt a collectis injustis & hospitationibus. — 11. Jura feudalia. — 12. Castores, venæ salis, auri, argentique fodina, ferrum. — 13. Lacus. — 14. Fluvius, molendinum. — 15. Feræ. — 16. Venditio feudorum.]

domo noſtra poſſident, vendendi talibus ſane, qui terræ ac domui noſtræ bene competunt, habeant facultatem, ita ut hi, qui ea emerint, de manu Fratrum ſuſcipiant, & domui noſtræ ad idem Jus idemque ſervitium teneantur, quod illi nobis exinde facere debuerunt, & nos ea ipſis porrigere ſine ulla difficultate debemus. Licentiamus etiam, ſi forte aliquis antedictorum Civium neceſſitatis cauſa allodium ſuum vel 10. manſos ad majus, ab aliis bonis ſuis ſeparare voluerit & vendere ſeparatim, is idem Jus idemque ſervitium domui noſtræ debebit facere de reliquo, quod prius de toto noſcitur debuiſſe. Is vero, qui idem allodium vel 10. manſos emerit, debet ratione illius Allodii, cum armatura, quæ Plata vulgariter dicitur, & aliis levibus armis, & uno equo ad arma talia competente, domui noſtræ ad tale obſequium eſſe adſtrictus, quale inferius plenius deſcribetur, addentes, ut nullus eorum, qui nunc a domo noſtra hæreditarii eſſe noſcuntur, hæreditatem aliquam poſſit emere præter unam. Statuimus ſiquidem, ut quicunque 40. manſos vel amplius a domo noſtra emerit, is cum plenis armis & dextrario operto, & armis talibus competente, & aliis duobus ad minus equitet. Qui vero pauciores manſos habuerit, cum Plata & aliis levioribus armis & uno equo, ad arma talia competente, debet cum Fratribus noſtris in expeditionem, quoties ab eis requiſitus fuerit, pergere contra Pruthenos, qui Pomezani largo vocabulo nuncupantur, & contra omnes terræ Culmenſis turbatores. Cum vero præfati Pomezani in terra Culmenſi, præſtante Domino, fuerint ulterius merito non timendi, omnes Cives prædicti ab omnibus expeditionibus ſunt exempti; ad defenſionem tamen terræ, videlicet usque ad Wiſſam, Ozzam & Driwanzam cum Fratribus procedere tenebuntur, ut prædictum eſt, contra terræ quoslibet invaſores. Item ſtatuimus, ut quilibet homo, hæreditatem a domo noſtra habens, Fratribus noſtris ſolvat exinde unum nummum Colonienſem, vel pro eo quinque Culmenſes & pondus duarum marcarum ceræ, in recognitionem dominii, & in ſignum, quod eadem bona ſua habet a domo noſtra

17. Expeditio bellica.

18. Cenſus feudalis.

noſtra, & noſtræ debeat Jurisdictioni ſubeſſe, & nos eum favorabiliter, confovendo contra omnes, qui ei injuriam intulerint, debemus, in quantum poſſumus, noſtrum præſidium impertiri. Prædictum autem cenſum ſingulis annis in die Beati Martini vel ab ipſo ad 15. dies dare debent. Quicunque autem in prædicto termino non dederit cenſum ſuum, taliter puniatur: Poſt primos 15. dies in 10. ſolidis; elapſis vero aliis 15. niſi perſolverit, 10. ſolidorum debito ſit aſtrictus; Item evolutis aliis 15. diebus, tertio in aliis 10. ſolidis, ſi non ſolverit cenſum ſuum, puniatur, & nunc pro his 30. ſolidis, & pro cenſu ſuo tempore non ſoluto, ejus pignora, ſine omni contradictione accipi faciet, & habebit accepta, donec ei ſatisfaciat, domus noſtra. Item ſi forte aliquis debitum obſequium ſuum, quod domui noſtræ debere dignoſcitur, in expeditionibus peragendis, non impenderit, & abſens fuerit, Proviſor terræ de bonis abſentis alium ſtatuat loco ſui, ſic ut domus noſtra ſui Juris in hac parte ſentiat nullatenus detrimentum. Item ſtatuimus, ut ſi forte aliquis ex ſupradictis Civibus recedens a terra pactiones ſuas domui noſtræ non fuerit proſecutus, eidem infra 18. ſeptimanas tres termini cum ſententia præfigantur; Quod ſi infra easdem 18. ſeptimanas non ſatisfecerit pœnæ 30. ſolidorum noſtræ domui reddendorum ſubjacebit; & ſi nec tunc emendaverit, ſingulis ſex ſeptimanis ad ſatisfactionem in totidem Culmenſis monetæ ſolidis compellatur. Si vero infra annum neglexerit emendare, domus noſtra ſe de omnibus bonis ſuis, donec ſatisfaciat ei de omnibus, intromittat. Volumus autem ut de bonis prædictorum Civium, de quolibet aratro Teutonicali unus modius tritici, & unus ſiliginis in menſura Wladislavienſi, quæ vulgari nomine Scheffel dicitur, cui menſura Culmenſis eſt adæquata, & de Polonicali aratro, quod Hacke dicitur, unus modius tritici in eadem menſura annuatim diœceſis Epiſcopo pro decimis perſolvatur. Si vero idem Epiſcopus prædictos homines pro aliis decimis angariaverit, pro his domus noſtra tenebitur reſpondere. Item ſtatuimus, ut una moneta, Culmenſis videlicet per

19. Terminus exſolvendi cenſus & executio.

20. Subtractum obſequium in expeditione bellica.

21. Decimæ aratrales;

22. Moneta.

per totam terram, ut & de puro mundo argento denarii fabricentur, ipsi quoque denarii in tanto valore perpetualiter perseverent, ut eorum 60. solidi ponderent unam marcam, & dicta moneta non nisi semel in singulis decenniis renovetur, & quoties renovata fuerit 12. novi nummi pro 14. veteribus cambientur, ut unusquisque libere emat quamcunque rem, quæ venalis in foro portari consvevit. Item quantitatem mansorum juxta morem Flammingicalem statuimus observari. Absolvimus etiam totam terram prædictam ab omni penitus telonei exactione. 23. Mansus. 24. Teloneum.

Et ne præmissæ Constitutiones, promissiones & pactiones ab aliquo Successorum nostrorum infringi valeant aut mutari, præsentem paginam conscribi fecimus, eam bullarum nostrarum appensionibus roborando. Hujus rei testes sunt Fratres nostri, Poppode Osterna, Albertus de Langenberg, Theodoricus Marschalcus, Berlewinus in Culmine, Ludovicus in Quidzin Provisores; Seculares vero Burchardus Burggrabius Megdeburgensis, Johannes de Pach, Fridericus de Scherwest, Bernhardus de Kamentz, & alii quam plures, tam religiosi, quam seculares. Acta sunt hæc in Thorun. Anno incarnationis Domini Millesimo, ducentesimo trigesimo tertio, quinto Calendas Januarii. Quoniam igitur hoc Privilegium per nos Fratrem Eberhardum de Seyne est renovatum, de consilio Fratrum nostrorum Civiumque sæpe dictorum consensu, quædam in eo sunt mutata, articulis scilicet quibusdam exceptis & quibusdam interpositis, qui in Privilegio non continebantur antiquo. Ut autem hæc nostra felix donatio firma & inconcussa permaneat, nec in posterum ab aliquo possit infringi; Cives quoque dicti super sui mutatione Privilegii nullum penitus gravamen sustineant, præsentem paginam Sigilli nostri munimine roboramus. Hujus rei testes sunt Fratres nostri, Ludovicus Provisor Prussiæ, Henricus, Commendator terræ Culmensis, Henricus Marchalcus, Henricus Stango in Christeburg, Hartmundus in Elbinga, Mengotus in Balga, Quhalo in Zantir, Johannes in Culmine, Ravino in Thorun, Hertwicus in Redino Commenda- 25. Privilegii hujus corroboratio.

mendatores, Fratresque domus seniores, Theodoricus de Sulinge, Conradus de Norenberg, Volpertus de Marpurg, Henricus de Moguntia: Seculares vero Johannes Scultetus, Reinico, Razo, Rudolphus, Ludeko, Eckehardus, Wasmundus, Cives Culmenses; Feudales vero Hildebrandus Senior, Gotfridus, Fridericus de Neu, Wilhelmus, Hermannus Scultetus in Thorun, Dithardus, Conradus, Lampertus, Lutdechus, & alii quam plures, tam Religiosi quam Seculares. Datum in Culmine Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo, ducentesimo, quinquagesimo primo, Calendis Octobris &c.

Privilegium D. Casimiri Regis

Quo omnia Jura per terras Prussiæ abrogantur, & unum Jus Culmense in omnium reliquorum locum sufficitur, ut juxta ejus tenorem omnes causæ & controversiæ decidantur & determinentur:

IN Nomine Domini Amen. Ad perpetuam rei memoriam. Cum inter ea, quæ unitatem Dominii attestantur, Juris uniformitas præcipuum habeatur indicium. Proinde Nos Casimirus, Dei Gratia Rex Poloniæ, nec non terrarum Cracoviæ, Sandomiriæ, Siradiæ, Lanciciæ, Cujaviæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ Prussiæque ac Culmensis, Elbingensis & Pomeraniæ Dominus & Hæres &c. Significamus tenore præsentium, quibus expedit universis præsentibus & futuris, harum notitiam habituris, quod, dum post bellorum discrimina terras nostras Prussiæ ad unitatem Dominii nostri, à quo alias exciderant, favore Divino recuperassemus, reperimus Magnificos, Strenuos, Generosos ac Nobiles terrarum præfatarum incolas multiplicibus ac diversis gaudere Juribus, quorum quædam & legitimas negligebant Successiones, ac Justitias hominum perturbabant & involvebant, sæpiusque quod norma debeat esse Justitiæ, litigiorum & seditionum erat occasio. Cui malo occurrere volentes, pulsati etiam precibus Magnificorum & Nobilium Palatinorum, Castellanorum, Dignitariorum, totiusque Communitatis & Baroniæ terrarum nostrarum Prussiæ, & signanter de Districtibu-

Pome

Pomeraniæ, Marienburgen. & Stumen. alias Pomezanienſis, omnia Jura Pruthenicalia, Magdeburgenſia, Pomerania ac Feudalia, in quibus alias tempore Magiſtri & Ordinis conſiſtebant, & ipſis regulabantur, ab ipſis removentes, abrogantes, & perpetuo abolentes loco omnium Jurium prædictorum unum Jus Culmenſe, quo Diſtrictus Culmenſis gaudet & fruitur, ipſis & eorum poſteris, juxta ejus veram naturam, ſubſtantiam, qualitatem & conditionem, de conſenſu omnium Prælatorum & Baronum Noſtrorum conferimus & largimur, perpetuo & in ævum. Quo Jure judicari inter ſe debebunt & expediri, omnesque cauſas & controverſias eorum, juxta tenorem Juris Culmenſis prædicti, ſecundum quod in ſuis capitulis, punctis & conſvetudinibus ſcriptum & declaratum exiſtit, decident & determinabunt. Ab omnibus etiam oneribus ac daciis inconſvetis, quibuscunque appellentur nominibus, quas Magiſtro & Ordini de bonis eorum dare cogebantur, ipſos libertamus. Abrenunciantes inſuper devolutionem bonorum hæreditariorum, quæ Nobis & Dominio Noſtro Jure feudandi cedebant & debebantur, ac ab eadem recedentes, Succeſſionem poſteris eorum in perpetuum donantes. Hoc duntaxat pro Nobis & Succeſſoribus Noſtris excipiendo & reſervando, quod quilibet dignitarius & terrigena terrarum Pruſſiæ ad bellicam expeditionem, quotiescunque neceſſitas exoptaverit illam per Nos & Succeſſores Noſtros indici, in armis & equis decentibus, quibus juxta continentiam ſui Privilegii & tenorem; alius qui careret Privilegio, ſecundum facultatem bonorum ſuorum ſervire erit obligatus & obſtrictus, prout & alii Incolæ Regni Noſtri ad hoc ipſum obligantur Servitium. Præterea volumus ut omnes & ſinguli præfati Subditi Noſtri in recognitionem Dominii, prout etiam prius ſolitum erat, pro quolibet Feſto S. Martini denarium Culmenſem, vel loco ejus quinque allenſes Pruthenicales, cum uno talento ceræ albæ Nobis & Succeſſoribus Noſtris ac Officialibus ad exigendum per Nos deputatis, dent, dent, ſolvent & conſignent. Inſuper volumus, quod nullus Dignitariorum aut Terrigenarum in Lacubus

habeat, præter quod antiquitus habuit, tempore Magiſtri & Ordinis, neque etiam de illis lacubus ſe intromittat, quorum piſcatura ad Magiſtratum & Ordinem pertinebat: Eſto quod lacus prædicti hæreditates aliquorum contingant vel eis contineantur. Harum quibus Sigillum Noſtrum præſentibus eſt ſubappenſum, teſtimonio literarum. Actum in Caſtro noſtro Marienburgenſi Feria ſexta proxima poſt Feſtum S. Jacobi Apoſtoli. Anno Dom. Milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo ſexto. Præſentibus Reverendiſſ. & Reverendis in Chriſto Patribus, Dominis, Jacobo S. Gneznеſ. Eccleſiæ Archi-Epiſcopo & Primate, Sbigneo Wladislavienſi & Regni Poloniæ Vice-Cancellario, Vincentio Culmen. Epiſcopis: Nec non Magnificis, Strenuis & Generoſis Nicolao de Cuchno, Lancicien. Andrea de Greczkow Inowladislav. Stiborio de Bayſen Marienburgenſ. Ocha de Machwitz Pomeran. Ludovico de Mortang. Culmen. Palatinis: Johanne de Rythwian Sendomirien. & Regni Poloniæ Marſchalco, Joanne de Mor de Tarnow Woynicen. Joanne de Opporow Breſten. Nicolao de ibidem Brzeſzinen. Mathia de Schluſow Cruſchwitien. Nicolao Dambrowski Culmen. Nicolao Feltſdorff Pomeran. Fabiano de Legenſdorff Elbing. Caſtellanis, & aliis quam plurimis ad præmiſſa teſtidus fide dignis. Datum per manus Reverendi in Chriſto Patris Dom. Sbignei Epiſcopi Wladislavienſis & Vice-Cancellarii, nec non Venerabilis Urielis de Gorka Gneſnen & Poſnanien. Eccleſiarum Præpoſiti, Cancellarii Regni Poloniæ, ſincere Nobis dilectorum.

Vid. Privilegium incorporationis ſub verbo Caſimirus, De Judiciis Palatini Culmenſis Vid. Palatinus. Judicium.

CULPA. wina

opiekun. szkoda pozyczana rzecz

Vid. infra Tutor. Damnum, Commodatum.

CURA-

CURATOR.

Curator & Tutor sæpius in Jure Pruthenico promiscue ponuntur; Propterea omnia de hac materia invenientur sub verbo Tutor.

DACIA.

D. Casimirus in Privilegio incorporationis §. 3. dicit inter alia gravamina Prussiæ contra Magistrum & Ordinem: Silentio tegere non possumus injuriam Magistri & Ordinis Prussiæ in exigenda a Mercatoribus Subditisque Nostris Dacia Funthe-Zoll, quæ licet ex fœdere exigi a Nostris transmarinisque mercatoribus non debebat, si Prussiæ Mercatores ab illa solvi quoquo modo contigisset: Continuata tamen fuit pluribus annis hujusmodi in Nostris transmarinisque Mercatoribus exactio Prussiæ Mercatoribus illius obtinentibus in notabili parte relaxationem. 1. Dacia abrogatur.

Et in eodem mox insequitur Privilegio: Ut Nostræ liberalitatis, æquitatis & Justitiæ dextram, his subjectionis eorum & Nostræ acceptationis felicibus, dante Domino, primitiis, sentiant in universos & quemlibet eorum effusam, & in mutatione Principis, commutatam etiam & sublatam deprehendant oppressionem, Daciam, quæ in vulgari, Funthe-Zoll, dicitur; item alia omnia telonea in aquis & terra, nova aut antiqua observantia, in terris duntaxat prædictis Prussiæ quomodo libet constituta: Item in terra Pomeraniæ exactionem sive Daciam, quæ Porcus, alias Narzasz, veteri institutione, Ducum Poloniæ vocabatur, Regia Magnificentia tollimus, abrogamus, deponimus, ac solutionem illarum perpetuis temporibus resolvimus, dimittimus & relaxamus, nullo unquam tempore per Nos aut Successores Nostros Poloniæ Reges, ex quacunque causa aut occasione instituendam aut imponendam. Vid. Privileg. Incorporat. ab Anno 1454. Idem D. Casimirus alio loco dicit: Ab omnibus oneribus ac 2. Telonea abrogantur omnia. 3. Porcus seu Narzasz.

ac Daciis inconsvetis, quibuscunque appellentur nominibus, quas Mag. stro & Ordini de bonis eorum dare cogebantur, Incolas & Terrigenas Prussiæ libertamus. Vid. Privileg. ab Anno 1476.

DAMNUM. Schade

1. De pecunia certa die solvenda.

SI quis alteri de damno sibi dato controversiam faciat, eo quod pecuniam in certum diem debitam ex præscripto suæ sponsionis non exsolverit, tenetur Actori conventus respondere, sive non spospondèrit. Emend. l. 4. c. 35. Corr. l. 3. c. 49. Revis. l. 4. t. 10. art. 5. de damnis litis & processus Vid. Expensas.

2. Si quis in Officio Civitatis damnum passus sit.

Si quis Consul, Scabinus vel quis alius Civitatis Officiis vel ministeriis obnoxius ac juratus iu eodem Officio vel ministerio, corporis, vitæ vel bonorum damnum perpessus fuerit, quatenus Consules affirmant calamitatem illi causa Civitatis accidisse, is qui dedit damnum, tanti luito, quanti Plecifcito constitutum est. Si Plebiscito cautum non sit, Consules in expensas pro personæ causæque rationibus, tanti, quanti videbitur, auctorem condemnanto. Si damni auctor non appareat, Civitas ipsa, cujus causa damnum datum est, ex æquo & bono compensato. Emend. l. 1. c. 13. Corr. l. 1. c. 7. Revis. l. 5. p. 2. t. 19. art. 2. de **Damno Tutoris, Commodatarii depositarii** Vid. infra. Quilibet illud damnum quod sua culpa & negligentia aliis hominibus datum est, resarcire tenetur. Revis. l. 5. p. 2. t. 19. art. 1.

De Damnis injuria datis.

3. De effuso & dejecto.

QUi ex alicujus domo ex jactu in corpore suo damnificatus fuerit, Dominus domus, vel qui in domo habitat, damnum illud perferre & persolvere tenetur: Si vero proinde in corpore suo periclitaverit, tunc pro homicidio involuntario censendum est. Revis. l. 5. p. 2. t. 19. art. 3.

4. Si quis jaculando ex improviso hominem percusserit.

Si quis petat lapide vel telo secus viam, ubi non solent homines ambulare, & hominem casu percusserit, ut inde mortem illi

illi conciliet, non ideo capitis supplicium commeruit. Si quis illum inclamaverit, ne lapidem jaciat, neve telum emittat, & inclamantem ille videat, ac nihilominus telum vel lapidem jaciat, eoque ictu hominem interficiat; quatenus hoc testibus planum factum sit, interfecti hominis reus est, nec secus in eum decernitur, ac si manu volens occidisset. Sin hoc in via publica contingat, ubi communiter homines conversantur, eo majorem in se culpam admisit qui fecerit; ubi enim homines publice ambulant equo vel pede, nulli debet esse jaciendi vel jaculandi licentia. Emend. l. 5. c. 76. Corr. l. 5. c. 14. Si canis, equus, verres, bos vel quodcunque animal hominem interfecerit, vel membro noxam intulerit, vel pecus pecudem; dominus damnum æstimatum præstabit, quatenus animal noxium in domum suam recepit, postquam primum factum resciverit. Si vero noxium animal pro derelicto habeat, nec intra larem admittat, nec pastum potumve præbeat, ob damnum injuria datum non tenetur, sed is, qui damnum passus est, animal si volet pro noxa capiat. Nullum animal Judici mulctam committit, quantamcunque noxam nocuerit. Si pecus servo commendatum pauperiem fecerit, de damno tenetur is, cujus custodiæ fuerat animal concreditum: qui si profugerit, & in facto recenti equi, boves seu currus pignori capiuntur, & damnum testato comprobetur dominus damnum æstimatum sarcito, vel quo minus sarciat, Jure evincito, quatenus currus, equus vel animal pignori captum æstimetur, vel rem & animal noxæ relinquito, atque ille cui nocitum fuerat sibi retineto. Si quis equo utitur noxio, cujus pervicaciam non ignorat, cum equitandi causa ascenderit, denunciare debet obviis, ut sibi caveant, debet enim quoquo versum ab hominibus inter equitandum deflectere; nisi fecerit, quodcunque damnum equus dederit, æstimatum sibi solvendum esse sciat, si testibus res manifesta fiet. Si nulli testes interfuerint, ille qui de damno agit, jurejurando suo litem decidat, equus autem eodem Jure, quo cætera animalia noxæ, ut jam antea diximus, censeatur. Emend, l. 5. c. 80. Corr.

5. Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur.

6. Si quod animal alienam segetem vel pratum depascatur.

Corr. l. 5. c. 22. Revis. l. 5. p. 2. t. 19. art. 4. 5. & 6. Qui pecudem suam in alterius agrum vel pratum depascendi causa immiserit, damnum æstimatum præstato, prout Jure constitutum vel moribus receptum est. Si dominus pecudis præsens non sit, cum noxam committit, & pecus pignori capiatur; quatenus damnum in continenti planum fiat, Civium vel paganorum instituto, dominus æstimationem damni restituito. Si pecus ejus sit conditionis, ut pignori capi aut includi nequeat, puta equi pavidi vel feri, anseres vel sues, is, qui damnum patitur, arbitros duos adhibeto, illis in re præsenti damnum demonstrato, mox pecudem abeuntem in domicilium suum prosequitor, & dominum pecudis ob pauperiem factam in Jus vocato, atque is æque damni æstimationem præstato, ac si pecudi pignoris causa manus injecta fuisset. Si pecus ejus sit naturæ vel conditionis ut facile capi includive possit, puta boves, vaccæ, vituli, oves, hasce pecudes is, cui damnum est datum, in proximum Civitatis vel pagi Judicium abigito, ejusdem Judicii arbitrio damnum in re præsenti inspicitor & æstimator, quanti æstimatum fuerit, tanti dominus, cujus pecudes noxam dederunt, intra diem quartum decimum sarcire damnas esto. Si quis pecudem ultra terminos in agro compascuo definitos immiserit, mulcta duodecim solidorum esto. Qui agrum non exaratum neque satum permeaverit, nisi pratum sit, pascendi causa septum, noxam non committit. Emend. l. 5. c. 81. Corr. l. 5. c. 24. in tantum tamen in Emend. & Corr. hoc titulo est differentia, quia ultimum dicit, quod pro unoquaq; pecude in segete aut prato apprehensa solvi debeant 2. solidi, & sic pecudes non esse captivandas, in pascuo vero alterius dominus pro sua reperta pecude sex nummos solvat. vid. l. c. Revis. in omnibus convenit cum Emendato, nisi quod etiam de his duobus solidis mentionem faciat. Revis. lib. 5. p. 2. t. 19. art. 7. Nemo pecudem suam in alieno fundo, sine ejus scitu consensuque temere pascito & circumagito. Qui secus fecerit, toties, quoties fecerit, in unum quodvis pecoris caput duobus solidis, vel secundum cujusve loci

7. De pastione pecoris in alieno fundo.

loci consvetudinem domino fundi damnum æstimatum præstato. Hoc interdictum temporale est, & a die Georgii usq; ad diem Divi Martini profertur, extra quod tempus unicuiq; liberum est animal agere, quo volet, modo ne in sementem vel agrum satum pecudem immittat. Emend. l. 5. c. 83. Corr. l. 5. c, 23. Revis. l. 5. p. 2. t 19. art. art. 8. Nemo pecudem domi detineto, quæ pastum sequi potest, exceptis scrofis quæ nefrendes vel porcellos suos lactantes alunt, sed eas interim etiam sic includito, ne quam noxam noceant. Nemo peculiarem pastorem conducito, quo ejus qui communitatis est, merces deterior fiat, nisi tres agri mansos, seu proprios seu clientelæ beneficio possideat, vel nisi domus Deo dicata sit. His enim Jus est, peculiarem gregibus suis pastorem præficiendi, ubi pastoris merces in mansos constituta est, non in pecudum capita, nemo mercedem differto, ne pago pastor deficiat. Quamcunque pecudem domo pastor abegerit, nisi domum vel in pagum saltem reversa fuerit, eam luito. Si vel lupi aut latrones quam pecudem rapuerint, & pastor ab iisdem saltem evaserit, vim autem clamore contestatus sit, ejusque testationis auctores habeat, hoc illi ne periculo neque fraudi esto. Si pecus pecudem, dum in pastu sunt, mutilaverit, vel proculcaverit aut vulneraverit, & de damno hoc pastor suspectus esse ceperit, pecudem, quæ noxam nocuit, demonstrato, & ab eo nocitum esse jurato. Dominus pecudis noxæ pecudem vulneratam domi suæ curato & pascito, quoad ipsamet ire & gregem vel armentum cum cæteris sequi valeat. Si pereat interim, æstimationem ejus, uti constitutum est, solvito. Cum pastor in suspicionem vocatur, quasi pecudem ad pagum ex pastu non reduxerit, siquidem reductum juret, a culpa immunis esto. Si quis autem pecudem suam non reverti animadverterit, & e vestigio pastorem adiverit, ac duobus testibus præsentibus, sive viri sive mulieres sint, pecudem amissam obnunciaverit, pastor religioni suæ ne committitor, verum pecudem amissam luere jubetor. Si pastor neget, pecudem secum in pastum exivisse, potius admitten-

8. De pecudibus pastori committendis.

dum est, ut dominus duorum, seu virorum seu fœminarum, qui pecudem exire viderunt, testimonio prævaleat, quam ut pastor diversum liquido jurare possit. Em. l. 5. c. 83. Corr. l. 5. c. 25. Revis. l. 5. p. 2. t. 19. art. 9. Quicunque exstruendis operibus damnum dederit, Jure compensato. Qui puteos vel alias foveas egesserit, eas ita circumsepito, ut munitionis altitudo viri coxendicem atttingat, nisi fecerit, quodcunque damnum inde nascitur, præstato. Qui cellam subterraneam, vel ejus generis foveam effodit, ita opus facito ne quid noceat, nec in latitudinem plateæ patentis ultra septem pedes specum concameratum producito. Si angustior sit platea, quam ut latum opus ferre posset; subtus viam publicam, opus ne porrigito. Cujuslibet viæ, qua currus publice commeare solent, latitudo sedecim pedum esto, quo currus commode currui cedere possit. Quilibet præ foribus suis stratam viam septem pedes latam habeto: in id quod excurrit, Respublica sumptum impendito, salva cujusque loci consvetudine. Emen. l. 5. c. 84. Correct. l. 5. c. 13. Rev. l. 5. p. 2. t. 19. art. 10. Nemo aquam publicam in pisciniis altius cogito, neve in Castellis detineto, quod cum vicini damno fiat, neve immature, cum tempore interdictum est, emittito. Qui secus fecerit, damnum æstimatum resarcito, & nihilominus loci Magistratui, ob factum contra leges temerarium, ex ejus arbitrio mulctam exsolvito. Emend. l. 5. c. 85. de vehiculi eversione vid. **Auriga.** Qui arbores in sylva cædit prope viam, unde prætereuntibus damnum dari possit, si arbor cadens hominem oppresserit, sic ut illius id culpa, qui dejecit, contigisse appareat, capite mulctator. Si animal vel pecudem oppresserit, æstimationem pecudis præstato, & ob temeritatem Judici mulctam solvito. Qui vero cædit arbores in loco, ubi homines vulgo commeare non solent, cum arbor casura est, ter alta voce exclamare debet, ut si quis in propinquo sit, periculum supter fugiat. Hoc si fecerit, & interim hominem vel pecudem arbor oppresserit, nullius pœnæ reus est. Sin autem hoc ejus culpæ adscribitur, quod non proclamaverit testibus probetur, vel si

9. De puteis, foveis, cryptis, viis ac stratis publicis innoxie habendis.

10. De pisciniis & castellis arcendis.

11. Qui arbores cædit & hominem opprimit.

ſi teſtes nulli ſunt, Jusjurandum juret ſe proclamaſſe Emend. l. 5. c. 77. Correct. l. 5. c. 15. Damnum ex mutilatione vid. Vulnus.

DECIMÆ.

IN Privilegio Culmenſi ſequens mentio fit de decimis: Volumus autem, ut de bonis Civium Culmenſis Terræ de de quolibet aratro Theutonicali unus modius tritici, & unus ſiliginis in menſura Wladislavienſi, quæ vulgari nomine Scheffel dicitur, cui menſura Culmenſis eſt adæquata, & de Polonicali aratro, quod Hacke dicitur, unus modius tritici, in eadem menſura annuatim Diœceſis Epiſcopo pro decimis exſolvatur. Si vero idem Epiſcopus prædictos homines pro aliis decimis angariaverit, pro his domus noſtra tenebitur reſpondere. vid. Crucigerorum Privilegium Culmenſe. §. 6. Palatini debitores decimarum aratralium, & quorumvis proventuum Eccleſiaſticorum Cenſuras contumaciter ſuſtinentes, ad hujusmodi debitorum ſolutionem remediis opportunis compellant, ne Eccleſiaſtici proventibus ſuis fraudentur. vid. Conſtit. Pruthen. D. Sigismundi Regis ab anno 1538. 1. Decimæ aratrales & earum executio.

Dług. **DEBITUM**, Vid. Creditor. wierzyciel.

występek. sąd gartowy.

DELICTUM, Vid. Criminalia.

DESCENDENTES in HÆREDITATE, Vid. Hæreditas. Dziedzictwo

DENEGATA JUSTITIA, Vid. Juſtitia.

wyrok **DECRETUM.** Vid. Sententia. zdanie

opuszczenie sądu

DESERTIO ACTIONIS.

sprawa

Vid. Actio. Appellationis. vid. Appellatio.

DENS. ząb.

Vulnera dentium, vid. Vulnus. rana

DENARIUS. potrzworny grosz

1. Valor denariorum.

CRucigeri de denariis sic sanciunt: Statuimus ut una moneta, Culmensis videlicet, sit per totam terram, & ut de puro & mundo argento denarii fabricentur, ipsi quoque denarii in tanto valore perpetualiter perseverent, ut eorum LX. solidi ponderent unam marcam, & dicta moneta non nisi semel in singulis decenniis renovetur, & quoties renovata fuerit XII. novi nummi pro XIV. veteribus cambientur, ut unusquisque libere emat quamcunque rem, quæ venalis in foro portari consvevit. vid. Privilegium Culmense.

DELEGATIO. zlecenie

1. Delegatio debiti.

SI quis creditori suo debitum in alterius manum solutionis ergo delegaverit, ac creditor omisso principali debitore fidem expromissoris secutus fuerit, liberatur principalis, & in ejus obligationem delegatus expromissor succedit, nisi hac lege convenisset, ut, quatenus alter non solvisset, primarius debitor remaneret obligatus. Emend. l. 4. c. 53. Corr. l. 3. c. 24. Revis. addit, nisi expresse creditor sibi reservaverit, in eventum expromissor non solvat, ad priorem debitorem suum habeat recursum. Revis. l. 4. t. 15. art. 3.

DEFEN-

DEFENSIO. *obrona*

Cum quis alterum aliquem noctu & interdiu invadit, nemine præsente, qui rem geri videat, alter retrocedit, quantum potest, ac lubens ab eo se missum fieri cuperet; ille plagas ingerere pergit, alter ubi videt, sibi defensionis necessitatem interpositam, pari vi resistit, & ob tutelam sui corporis hominem interficit, quæritur, quomodo fidem justæ ac necessariæ defensionis facere debeat? Nostri Juris auctoritate responsum est, ut is, quamprimum ejus copiam habuerit, Judicem adeat, Judicis se potestati committat, eidem etiam gladium suum in notionem legitimam tradat, atque Judex eum in finem recipiat, quoad innocentiam, quam præ se fert, ostenderit. Si quis eum cædis accuset, Judex illum in Jure sistat, & ille a defuncti cognatis actionem suscipiat. Deinde Jure decernetur, ut reus, quatenus ob tutelam sui corporis se cædem facere coactum prætendit, jurejurando suo probet, tribus vel pluribus se passibus retrocessisse, nec amplius evadere potuisse, coactum demum defensionem parasse, & quicquid ejus fecerit, ob necessariam saltem corporis sui tutelam perpetrasse. Si testibus præsentibus reus accusetur, ipse quoque testibus actionem declinandi prærogativam habebit. Si nemo sit ex occisi propinquis, qui cum percussore criminaliter experiri velit, omnis in illum interfecti nomine actio evanescit, & defensionem necessario factam satis abundeque probásse Jure censebitur, Emend. l. 5. c. 51. Corr. l. 5. c. 59. Revis. variat in verbis: Ubi aliquis accusaverit, & facinorosus sese Judicis potestati commiserit, vel aliter Jure receptus fuerit, tunc Judex omnes circumstantias personarum, locorum, armorum, vulnerum, item uniuscujusque vitam & conversationes diligenter inquirere & ponderare debet, & exinde adinvenire, an ista necessaria defensio locum habere possit, nec ne. Adinvento postmodum minimo aliquo dubio, tunc Judex ex officio ulterius inquirere, & in defectu probationum, juramentum purgatorium, prout supra memoratum est, facinoroso

1. De proprii Corporis tutela.

2. Additamentum Juris Revisi.

cinoroſo adjudicare debet. Reviſ. l. 5. p. 2. t. 7. art. 13. Defenſio autem neceſſaria vocatur, cum quis lethiferis armis vel enſibus aggreſſus impugnatur, vel verberatus fuerit, & commode absque periculo, vel læſione ſui corporis, vitæ, honoris & bonæ famæ evadere nequiverit, ſed ad defenſionem & tuitionem ſui corporis & vitæ compulſus & adactus fuerit. Qui tunc veram & neceſſariam defenſionem ſui corporis & vitæ vindicandi fecerit, & compulſorem vel angariatorem interemerit, is propterea nemini tenetur. Reviſ. l. 5. p. 2. t. 7. art. 12.

3. Quid ſit moderamen inculpatæ tutelæ.

4. Defenſio contra latronem.

Cum quis aliquem in via publica prædandi animo invadit, atque ille defenſionem parat, & latroni vitam adimit, nec amicis occiſi nec Judici damni vel mulctæ nomine fit obnoxius. Si fides illi non habeatur, quod corporis & rerum ſuarum tutelam occupaverit, quatenus facti teſtes in promptu ſecum ſint, eorum teſtimonio ſtabitur; Si nulli ſint teſtes, religione Sacramenti res expeditur. Emendat l. 5. c. 52. Correct. l. 5. c. 35.

5. Defenſio Juridica in Criminalibus coram Judicio.

Reus conventus ad inſtantiam Actoris vel per Judicem ex Officio citatus perſonaliter comparere tenetur, & per nullum Plenipotentem vel Mandatarium expedire poteſt: Nam in Criminalibus cauſis & actionibus quilibet ipſemet ſe defendere & innocentiam ſuam deducere tenetur: Si vero reus Conventus coram Judicio ſtans ſuam innocentiam per Ferendarium aliquem producere voluerit, hoc ei concedi debet, & in defectu illius Judex illi unum ex Officio attribuere tenetur, ne ſe ipſum negligat aut pertrahat. Reviſ. l. 5. p. 1. t. 10. art. 1. Defenſio Proſcripti, Vid. **Bannitus**. Defenſio ſui Palatinatus, Vid. **Palatinatus**.

6. Quando pater pro filio interveniat.

Filius pro maleficio Patris, poſtquam is vita defunctus eſt, actionem nullam patitur. Pater pro filio, qui facinoris accuſatur, non niſi ſemel intervenire poteſt, donec ejus manui poteſtatique filius adhuc eſt ſuppoſitus, ſic ut Jurejurando filii crimen purget, niſi evidentius ipſo facto redarguatur. Si Pater & filius ejusdem criminis rei peragantur, Pater filium maleficio ſolvere & eximere nequit, priusquam ſemet ipſum purgaverit,

Emend.

Emend. l. 5. c. 11. Correct. l. 3. c. 74. Si Pater in Judicio filium in sua adhuc potestate constitutum defendere volet, & postquam ad Juramenti decisionem ventum fuit, causa ceciderit, uterque tam Pater quam filius, accusatione sunt obnoxii. Pater vero sese eximere poterit æstimationis mulcta, hoc est, Wergeldo, quod vocant integro, si causa capitalis est, dimidio autem, si manus mutilationem concernit, exsoluto. Hanc pecuniam Actori dato, & suam insuper Judici mulctam luito. Actor autem nihilominus causam adversus filium prosequi ne prohibetor. Emend. l. 5. c. 12. Correct. l. 5. c. 75. 7. Si Pater defensionem filii non peragat.

DEPOSITUM, *poltak*

COmmodat quis vel commendat alicui rem mobilem, cujuscunque sit generis bona fide, atque is, qui acceperat, e vita deinde migravit, si depositor vel ejus hæres rem eam ab hærede defuncti repetat, isque neget, auctori suo, dum in vivis esset, rem commodatam, vel apud eum depositam, interveniente Jurisjurandi sui religione, actionem poterit declinare. Sin autem testibus conveniatur, ipse etiam testium adminiculo actoris petitionem elidat, necessum est. Quod si Conventus opponat, rem eam sibi suis nummis addictam, magis est, ut rem retineat, si modo possidet, quam Actor eam vindicare possit. Si is qui rem commodavit vel deposuit Juris ordine comprobaverit, rem suam ab eo possideri, Conventus negans nullo Jurejurando excusatur. Em. l. 4. c. 2. Revis. l. 4. t. 3. art. 4. Correct. l. 5. c. 7. 1. De re commodata vel deposita.

Quæcunque res commodato vel pignori datur, ita restitui debet, ne deterior sit facta, vel pro ea pretium qua fungitur, æstimatum veniet exsolvendum. Emend. l. 5. c. 1. Correct. l. 5. c. 5. Revis. l. 4. t. 3. art. 1. 2. Restitutio commodati.

Hoc Jus est rerum omnium quæ alterius fidei committuntur: Quicunque rem alterius illo petente vel mandante in custodiam receperit, si res furto sit amissa, ad pretii restitutionem obligatur, nisi una cum rebus suis simul eam perdidisset, vel nisi Juramento probet, sine culpa 3. Si res commodata vel deposita perdatur vel furto amoveatur.

culpa & negligentia sua rem amissam. Nec enim salva fide minorem alienis quam suis rebus diligentiam præstabit: idem est, si quis rem sibi pro nummis pignoratam furto perdiderit, ut ad pretii restitutionem teneatur. Si quis poculum argenteum, vel aliam quamcunque rem pretiosam commodato acceperit, ei custodiendæ eandem, quam propriis, curam adhibeat, oportet. Si cui res aliena furto subtracta fuerit, eidem ad recuperandum actio competit. Si ille mortuus vel profugus sit, qui rei dominus est, in rem suam recte aget. Emend. l. 4. c. 3. Correct. l. 5. c. 32. Revis. l. 4. t. 3. art. 5.

4. Quomodo deposita restitui debeant.

Cui aliquid ad conservandum datur, is illud Domino suo, ad quem spectat, omni tempore, quando postulatur, restituere tenetur, cum omnibus suis pertinentiis, & quicquid forte in conservatione fuerit, id absque omni Judiciario processu, etiamsi deponens depositario aliquid debeat, eique desuper omnia bona sua obligaverit, attamen talis prætextus causa, bona deposita minime detinere, nec in solutum trahere debet. Quod si etiam depositarius ære alieno hominibus obligatus fuisset, & desuper eo moriente, res depositæ in bonis suis repertæ fuerint, tamen propterea creditores nullo modo easdem sibi appropriare, sed ante omnia deponenti restituendæ erunt. Revis. l. 4. t. 3. art. 2.

5. Si depositarius depositum neget.

Si aliquis in periculosis tumultibus, ignis vel aquæ inundationis necessitate, alicui alteri aliquid concrediderit, & ad conservandum dederit, depositarius vero illud postmodum ex proposito abnegaverit, vel supposuerit, hujus, prout est Juris convictus, illud in duplo restituere tenetur, & nihilominus satisfacere, imo & a Magistratu pro qualitate causæ puniri debet. Revis. l. c. art. 3. Sequestratio Vid. infra.

DENUNCIATIO. obwieszczenie

1. Denunciatio criminalis.

COmparente quopiam coram Judicio & commissum maleficium denunciante, tunc Judex ad ulteriorem inquisitionem propterea obstrictus est, denunciator autem tenetur hujusce sufficientes circumstantias & testimonia indicare

dicare, ut in ea causa eo modo procedi possit, prout alioquin in aliis criminalibus causis moris & consvetudinis est. Revis. l. 5. p. 1. t. 5.

DIABOLUS Vid. de Veneficis.

DIES.

PRætor in singulos annos tribus vicibus statisque temporibus civile Judicium solenniter auspicatur, primum quidem die duodecima post diem Christi natalitium, secundum, sexta die cum hebdoma feriarum Paschalium exiverit, tertium, cum septimana feriarum Pentecostalium finem sortita fuerit. Ab his tribus temporibus semper post dies quatuordecim consequenter exercitium Judicii civilis indicitor. Si Judicii tempus feriæ vel dies nefastus eximant, Judicis arbitrio permittitur diem diffindere vel prorogare, quoad ipsi rerum temporumque ratione visum fuerit. Emend. l. 2. c. 7. Correct. l. 2. c. 19. Revis. l. 2. t. 1. art. 3. Si quis Civis hospitem, vel si quis hospes Civem in Jus vocet ob debitum quod testibus præsentibus probari possit, causa hæc statim & in continenti potest decidi. Hospiti vero necessitas imponitur, Jusjurandum dare, nisi quis ejus gratiam facere velit, se peregrinum esse, & tam procul ab eo foro larem habere, ut intra diem unum ad Judicium legitime constitutum adventare nequeat. Qui vero in Civitate in dies publice conversatur, & negotia sua gerit, is Jure hospitum non censetur. Emend. l. 2. c. 39. Corr. l. 2. c. 22. Revis. l. 2. t. 14. art. 4. Qui coram Consulatu per sponsionem receperit, se quempiam alicujus facinoris ad certum diem testibus convictu-rum, si non convicerit, vel ad diem condictum non adsit, litem perdit, & actione adversarius liberatur, nisi qua causa gravior obstiterit alteri, quo minus in Judicio adesset. Causam autem absentiæ consulatui probabit Juramento ad Deum testem, & sacrosanctum ejus verbum composito, uti Juris aucto-

1. Dies Judiciorum.

2. Hospitis causa eadem die est judicanda.

3. De testimonio certo die edendo.

auctoritate conffitutum est. Emend. l. 2. c. 54. Correct. l. 1. c. 18. it. l. 5. c. 63. Si convento Sacramentum debiti decreto sit adjudicatum certo die præstandum, atque is interim e vivis abeat, priusquam dies cesserit, Actor hæredes in Jus vocato, & dicam illis scribito, ipsi vero litem suscipere coguntur. Emend. l. 2. c. 57. Correct. l. 3. c. 110. Revis. injungit h. l. hæredibus Juramentum credulitatis, mediante quo certi sint, quod defunctus jurare potuisset. Revis. l. 2. t. 20. art. 3. Si aliquis certo die Jusjurandum ad audiendum receperit, & intra illud tempus moriatur, tunc reus conventus præ defuncti hæredibus illud Jus præstare debet ad præstitutum illum diem, nisi ipsi propter Deum remittere velint. Correct. l. 3. c. 111. Revis. l. 2. t. 20. art. 4. Diebus feriatis Juramentum ne exigito, neve jurato, exceptis iis caussis, quæ hoc capite recensentur, nimirum in sanctione pacis publicæ Juramentum etiam feriato die recte præstatur. Sic jurare licet adversus eum, qui in recenti facinore captus est, licet feriæ tempus eximant. Qui pacem publicam turbat diebus feriatis, is feriarum beneficio vel exceptione nequaquam fruitor. Quodcunque Juramentum die feriata per sponsionem receptum est, id sua die, qua venerit, exsolvito. Qui Juramenti religionem spofponderat ad certum diem, nisi eo die præstiterit, ejus facinoris convictus habetur de quo se juraturum receperat, nisi qua caussa gravior obstiterit, quam Deo teste religione probari oportebit. Si Jusjurandum, ut daretur, pro tribunali receptum fuerat, Judici mulcta debetur, & ei, qui cum justo Sacramento contestatur, æstimatæ rei pœna adjudicatur. Si autem is, qui Juramenti religionem exsolvere debet, stata die paratus sit conscientiæ suæ satisfacere, alter autem Jusjurandum acceptare nolit vel non adsit, eo loco Juris, ubi jurari debet ille tam a Sacramento liber erit quam a debito, cujus caussa Deum testem interponere debuerat, si modo planum facere poterit ad fidem religionis exsolvendam se fuisse paratum. Si cui pecunia vel argentum solvendum est, quatenus vel ad Judicii diem præsto non sit vel pecuniam non accipiat, non ideo pecuniam suam amittit, sed

4. De juramento certo die præstando.

5. Si is moriatur cui certo die jurandum fuit.

6. De juramento die feriato præstando.

ſed diei ſaltem, jacturam facit. Tribus autem ſtati Judicii vicibus Jus obire jubebitur: Si non adſit, neque teſtimonia ſua peragat cauſam perdit, niſi cauſa gravior impediverit puta ſi captivus ſit, vel alia neceſſitate diſtentus, quo minus nuncium mittere potuerit, ad impedimentum probandum. Hoc enim caſu damnum non patietur. Prætor utique Jus adminiſtrabit, prout decreto, judicatum eſt. Cum autem quis ad probandam neceſſitatis fidem adfuerit, is Judicem adeat & impedimentum Juramenti religione liquido conteſtetur. Judex autem uti antea, judicavit, ita nunc Judicium repetat, eodemque loco res habeatur ac ſi ſtato die ad peragendum cauſam adfuiſſet. Emend. l. 2. c. 60. Correct. l. 5. c. 63. Reviſ. l. 2. t. 20. art. 5. & 6. Feriæ ſunt omnes dies Dominicæ, & reliquæ dies in honorem Dei, & memoriam Sacroſancti nominis a Chriſtiana Eccleſia ſolenniter celebrari conſtituti. Ligati vero dies ſunt, qui alias Chriſtianæ & Politicæ neceſſitatis gratia de Jure feriati ſtatuti ſunt, prout ſunt tempus Adventus ante nativitatem Chriſti, dies 70. ante Paſcha, Septimanæ crucis, Menſis Auguſti & tempus meſſium. In feriatis & ligatis diebus nil tale ſimile ſuſcipi vel tractari debet, quod ad Judiciales controverſias & actus quocunque modo pertinere poſſet, & quod factum fuerit in his diebus qui in honorem Dei celebrantur, omne quod fit de Jure invalidum & nullum cenſeri debet. Ubi vero in diebus ligatis partes expreſſe & præſumptive hujusmodi libertati renunciaverint, id quod tali modo factum, validum & firmum pronunciandum eſt Rev. l. 2. t. 15. art. 1. 2. Si Scabini in eandem ſententiam pedibus ſimul ire nequeunt, cum ſimul in Judicio conſtituto quid Juris ſit rogantur, licentiam habento, in alterum vel tertium diem, qui Judicio dictus eſt, animi ſenſum prorogandi. Tertio ſane die, vel ipſi ſententiam ferunto, vel ſi Jus neſciant, aliunde, und fas eſt, petunto, nec in ulteriorem diem cognitiones ſuſtinentor. Emend. l. 2. c. 63. Correct. l. 2. c. 8. Uxor Marito defuncto poſt diem trigeſimam, is enim menſis luctui datur, cum liberis & aliis mariti hæredibus diviſionem inire cogitur. Emend. l. 3. c. 43. Corr. l. 4.

7. Quid ſint dies feriatæ.

8. De die ſententiæ ferendæ prorogando.

9. Ante diem nuptiarum debet fieri hæreditatis exdivisio. l. 4. c. 23. Revis. l. 3. t. 10. art. 11. Quilibet viduus vel vidua, priusquam ad secunda vota migraverit, ante diem nuptiarum liberis vel cæteris defuncti mariti vel mulieris hæredibus, secundum religionem hercifcundæ familiæ, nisi Juramenti gratiam liberi vel hæredes ipsis fecerint, hæreditatis divisionem præstanto, ni faciant, juxta cujusce loci Plebiscitum vel consvetudinem puniuntor. Emend. l. 3. c. 44.

10. Venditio cum pacto certo die reemendi. Revis. l. 3. t. 10. art. 12. Si quis alicui reditus suos in certam diem cum pacto de reemendo vendiderit, hac lege, ut liberum sibi sit, restituto pretio reditus ad se revocare quandocunque velit; Jus integrum habet proventus suos, quos hoc pacto vendiderat, redimendi ante vel post diem, quo percipi debent, ita quidem, ut ex numero hebdomadarum ante vel post diem cedentium, solutionis ratio conficiatur. Emend. l. 4. c. 12. Correct. l. 4. c. 22. Revis. l. 4. t. 5. art. 20.

11. Probatio in certam diem suscepta. Si quis alterum ob crediti causam in Jus vocet, quod testibus planum facere possit, reus autem neget se quicquam illi debere, eamque in rem innocentiam suam se religiose testibus præsentibus probaturum asseruerit, ac ideo dilationem in tres constituti Judicii vices impetraverit, ut conscientiæ Jurique satisfaciat, quo die se Jus suum probaturum recepit, si eodem die cum testibus non adsit, Actor debiti causam, quod petebat, Jure vicit, sic ut Conventus intra diem quartum decimum solutionem præstare compellatur. Emend. l. 4. c. 34.

12. De solutione in certum diem promissa. Si quis alteri de damno sibi dato controversiam faciat, eo quod pecuniam in certum diem debitam ex præscripto suæ sponsionis non exsolverit, tenetur Actori conventus respondere, sive non sposponderit. Emend. l. 4. c. 35. Correct. l. 3. c. 49.

13. Fidejussio accusatum certa die sistendi. Si quis fidem interposuerit stato Judicii die sistendi alium, qui maleficii cujusvis causa reus agitur, atque is interim e vivis migraverit, ejus morte fidejussor liberabitur, modo planum faciat, illum in rebus humanis amplius non conversari. Emend. l. 4. c. 61. Revis. l. 4. t. 11. art. 7.

14. De arresto singulis Judicii diebus prosequendo. Qui arresti nexu res alterius obstringit, arrestum ita Jure prosequatur, ut in singulos dies, quibus publice Judicium habetur, adversarium ad Judicium vocet, & actionem rebus nexis inten-

intentet, quoad Jus suum prosequatur. Nisi quis enim non Juris ordine rem peragat, tacite de nexu causæ intelligitur abstinere, nec ejus usurpandæ reliquam habet facultatem. Emend. l. 4. c. 68. Correct. l. 2. c. 37. it. l. 4. c. 58. De die solutionis, Vid. **Solutio.** Exsolutionem mercedis servorum eadem die, Vid. **Condictio.** De diversis debitis diverso die condictis, Vid. **Creditor.** De sponsionibus in certum diem, Vid. **Sponsio.** De die exsolutionis Wergeldi & Mulctæ, Vid. **Mulcta.** Dies ex actione propter falsas literas legitime Juris ordine observandus, Vid. **Falsum.** Qui frumentum noctu furatus fuerit, laquei pœnam meretur, qui interdiu, modo virgis cæditur. Emend. l. 5. c. 65. Correct. l. 5. c. 26. Revis. l. 5. p. 2. t. 16. art. 9. Vid. plura **Feriæ.**

DIFFIDATIO, Vid. Incendium, Zapalenie.

DIGNITAS, Dostoienstwo

D Sigismundus Rex promittit: omnes Prælatos, Militares, Nobiles, Cives & incolas Terrarum Prussiæ in Jus, conditionem & proprietatem Regni Poloniæ translatos, & invisceratos, hac etiam prosequemur prærogativa, quod dignitates & officia, hactenus illic consistentia, & in posterum constituenda, item castra & Tenutas Civitatum & locorum in terris prædictis, nulli extraneo aut forensi, sed proprio indigenæ juxta observantiam aliarum Terrarum Regni Nostri conferemus, vid. Privileg. incorporat. ab anno 1454. §. 7. de Præside Provinciæ vid. **Varmia.** de **Palatinis** vid. infra. de **Capitaneis** & **Consulibus** supra.

1. Dignitates tantum sunt conferendæ indigenis.

Privilegium D. Casimiri Regis.

Quo non tantum ipse Rex, sed præcipui etiam ex Regni

Senatoribus solenniter cavent, quod juxta prærogativam Ordinibus Terrarum Prussiæ antea concessam, Castra & Tenutæ Civitatum atque locorum nullis extraneis, sed veris indigenis conferri debeant:

CAsimirus DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithvaniæ, Russiæ, Prussiæque Dominus & Hæres &c. Significamus tenore præsentium, quibus expedit, universis: Quod, dum ex pluribus evidentibus & legitimis respectibus, Terras Prussiæ, Pomeraniæ &c. communicato Principum, Prælatorum, Baronum, cæterorumque fidelium novissime Cracoviæ nobiscum existentium, Regni Ducatuum & Dominiorum Nostrorum Consilio, voluntate & Consensu, in Regimen, tutelam, gubernationem, subjectionem & obedientiam accepimus & assumpsimus, hanc ipsis prærogativam concessimus, quod Castra, Civitates & quæcunque fortalitia, in Terris prædictis existentia, alicui extraneo aut forensi conferre non debemus. Ad præsens tamen certis respectibus moti, certa castra in præmemoratis Prussiæ Terris existentia non nullis Personis contra hujusmodi Articulum superius expressum, duranti præsenti gverra & interim, quoad Terras Prussiæ non pacificabimus, dedimus, contulimusque in Regimen, tenutam & gubernationem. Ideo præsentibus in verbo Nostro Regio spondemus & promittimus, quod pace, Domino suffragante, habita, præscripta Castra taliter per Nos in hactenus hujusmodi personis in regimen & tenutam collata, juxta tenorem & continentiam Literarum Nostrarum Cracoviæ Terris Prussiæ concessarum, illis conferemus, quibus conferri debent. Et quod etiam præscriptis literis in omnibus earum punctis, conditionibus, clausulis & articulis per hoc non intendimus, neque volumus in aliquo derogare, sed ipsas sanas, salvas, firmas & illæsas per Nos & Successores Nostros perpetuis temporibus, tenere & observare, pollicemur per præsentes harum, quibus Sigillum Nostrum præsentibus est appensum, testimonio Literarum. Et Nos Joannes Wladislavien Andreas Posnanien. DEI Gratia Episcopi. Nec non Lucas de Gorka Posnanien. Stani-

Stanislaus de Ostrorock Callisien. Petrus de Opporow Lancicien, Nicolaus de Koszelecz Wladislavien. Palatini, Petrus Sckora de Gay Calisien, Johannes de Czarnkow Gnesen. Hincza de Rogow Siradien. Castellani & Vice-Thesaurarius, Petrus de Sczekoczini Vice-Cancellarius Regni Poloniæ, Derslaus de Rythwian Rosperien, & Nicolaus de Labischin Wladislavien. Castellani &c. præscriptas Serenissimi Domini Nostri Regis promissionum literas ratas & gratas habentes, præsentibus promittimus, quod Ipse Serenissimus Dominus Noster Rex omnia superius expressa, firmiter & inconcusse, inviolabiliterque tenebit & observabit, & pro majori firmitate Sigilla Nostra etiam præsentibus sunt appensa. Actum & datum in Thorun. Feria secunda Festi Beati Joannis Baptistæ. Anno Domini Millesimo quadringentesimo, quinquagesimo quarto.

Ad Relationem præfati Magnifici Petri de Sczekoczin, R. P. Vice-Cancellarii.

Zarczterie

Cautio D. Sigismundi Regis.

In persona Joannis Balinskii, quod posthac non nisi Terrarum Prussiæ indigena, & vernaculæ lingvæ peritus in ipsarum Terrarum Consilium recipi & admitti debeat.

SIgismundus DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithvaniæ, Russiæ, Prussiæque &c. Dominus & hæres: Manifestum facimus tenore præsentium, universis & singulis, quibus expedit, Quod, cum alias Nos volentes generosum & fidelem Nobis dilectum Joannem Balinsky ob meritorum suorum exigentiam, amplioribus honorum fastigiis evehere, ei Castellanatus Gedanen. Dignitatem in Terris Prussiæ ea vice contulissemus, mandavimus eum in ipsarum Terrarum Consilio recipi & admitti, verum cum præmissa Privilegiis earundem Terrarum obsistere dicantur, ex eo quod idem Joannes indigena illarum Terrarum non existens, ipsarum etiam lingvæ imperitus; præsenti nostro decreto declaramus, & in verbo nostro Regio affirmamus, intentionis nostræ

ſtræ non fuiſſe nec eſſe per prædictam noſtram collationem & Mandatum memoratis Privilegiis aliquatenus derogare, aut quomodo libet ea tollere vel abrogare. Decernimus igitur prædictam noſtram collationem & mandatum, quatenus dictis Privilegiis aliquomodo adverſetur, Terris noſtris Pruſſiæ in aliquo non præjudicare, aut ad ſimilia permittenda in conſequentiam ſeu exemplum in poſterum trahi non poſſe, neque debere, Dictosque Terrarum Pruſſiæ Conſiliarios eundem Joannem in Conſilium recipient, noſtroque Mandato pareant, ab hujusmodi Privilegiis receſſiſſe cenſeri aut judicari a quoquam non debere, neque poſſe, nolentes eos aut Terras prædictas, ob noſtræ complacentiæ obſequia hac duntaxat vice nobis impenſa præjudicium aliquod aut jacturam reportare. In quorum omnium teſtimonium has noſtras literasfieri juſſimus NoſtroSigillo communitas. Datum in Brzeſcie Kujavien. Feria quarto ipſo die Beati Andreæ Apoſtoli: Annorum Domini Milleſimo Quingenteſimo decimo nono, Regni autem noſtri tredecimo.

Chriſtohorus de S. Palatinus &c. Cracovien.
ac R. P. Cancella. Sse.

Ad Relationem Magnifici Chriſtophori de Schidlowicz, Palatini & Generalis Cracovienſis, ac Regni Polon. Cancellarii &c.

Vid. plura Indigenatus.

DILATIO. odwłoka

1. Actori & Rei dilatio danda.

TAm reo quam Actori licitum eſt, ſingulatim ſecedere, ad conſultandum de quovis cauſæ capite tribus vicibus, ſic tamen ut exercitio Juris durante reſponſiones inferant, niſi Judex prorogare maluerit diem. Emend. l. 2. c. 29. Corr. l. 2. c. 50. Reviſum luculentius reddit rem: Quando aliquis

2. Melioratio Juris Reviſ.

ab alio convenitur, is de Jure 14. dies ad reſpondendum habet

habet, nec non ad litis conteſtationem. Reviſ. l. 2. t. 14. art. 1. Lite per ſententiam Judicis conteſtatâ, tunc partes ab utraque habent tres quaterdenas vel ſex ſeptimanas, in quibus omnes ſuas neceſſitates, probationes, & quicquid alioquin ad rem pertinet, producere debent, qui tale tempus ſilentio præterierit poſtmodum ad nullam ulteriorem probationem admitti debet, niſi extra Judicium illud aliæ probationes allaturæ forent, ad quas obtinendas tempus illud non ſufficeret; Ad hoc Judex pro qualitate & exigentia cauſæ dilationem neceſſariam uni vel alteri parti concedere debet, nempe extra Terras Pruſſiæ tres menſes, ultra mare & regionem annus & dies, hoc eſt, annus & ſex ſeptimanæ & tres dies pro cognitione Judiciali, l: c. art. 2. de Jure Hoſpitum vid. **Hoſpes**, de itineri accinctis vid. **Iter.** Quamdiu Juridica vel a Judicio conceſſa dilatio durat, tam diu nec Judicium nec pars in eadem cauſa quicquid attentari præſumere debet; ubi vero ſimile quid acciderit, id de Jure nullum & invalidum cenſeri debet. Si vero alicui dilatio Juridica præſtituta, vel a parte ipſamet acceptata fuerit, nec huic ſatisfactum fuerit, tunc eo Jure pro quo induciæ illi datæ & acceptatæ fuerint, ulterius non ſit fruiturus. Reviſ. l. 2. t. 14. art. 5. In Criminalibus reo Convento deſideranti & petenti merito induciæ ad reſpondendum per Judicem dari debent, quo tempore etiam ſuas exceptiones defenſionales, tam contra Judicem, quam adverſus partem producere & opponere poteſt. Nam nullus tenetur reſpondere in alieno & extraneo foro. (2.) Non tenetur quis reſpondere proſcripto ſeu bannito; talibus & his ſimilibus exceptionibus juſtificatis, & pro legitimis pronunciatis, frui poteſt, his vero rejectis & reprobatis, reus Conventus directe ad inſtitutam actionem reſpondere tenetur, & ita in cauſa ulterius cum probationibus & documentis procedere. Reviſ. l. 5. p. 1. t. 10. art. 2. vid. plura **Conteſtatio litis.**

3. Dilatio ad probandum.

4. Stante dilatione nihil innovandum.

5. Dilatio ad reſpondendum in criminalibus.

DILIGENTIA.

DE diligentia tutorum, Vid. Tutor. De adhibenda diligentia in pignore, depoſito, commodato & contractu Societatis, Vid. infra & ſupra.

DIRSSAWIA.

JUdicia Terreſtria Dirſſawienſia celebrantur, primo feria ſecunda poſt Feſtum Circumciſionis Domini, ſecundo feria ſecunda poſt Feſtum St. Lucæ Evangeliſtæ.

DISCIPULUS.

1. Coercitio diſcipulorum

CUm Magiſter diſcipulum manu vel ferula cædit, absque cruento ſangvine, mulctam non committit. Sin ita cæciderit, ut cruentam ſangvinis notam habuerit, niſi quod ferularum vicibus vel narium effluxu fit, tam Judici quam cognatis mulctæ nomine obnoxius erit. Sin diſcipulum verberibus occiderit, tanquam in cædis reum animadvertitur. Emend. l. 5. c. 79. Correct. l. 5. c. 17.

DIVISIO. Vid. Excuſſio. Hæreditas.

DIVORTIUM. Vid. Adulterium.

DOCTOR.

1. Doctor exemptus à tortura, & tutela.

DOctores non mediante tortura in Criminalibus ſunt examinandi, ſed cum cæteris in Officio & dignitate conſtitutis viris a tortura eximuntur. Per Reviſ. l. 5. p. 1. t 17. §. 3. Doctores Medicinæ excuſantur a tutela. Reviſ. l. 4. t. 14. §. 12.

DOCUMENTUM.

Pontificis Maximi Sigilla, Bullas vocamus, earum Diplomata, cum rite recteque dantur, & accipiuntur, commodo sunt & emolumento. Regum Sigilla permagnam vim habent, & Episcoporum ac Principum, omniumque Communitatum Sigilla sunt legitima, atque hæc quidem tam in aliis, quam ipsorum propriis causis & negotiis locum obtinent. Aliorum autem Sigilla nullam vim habent, præter quam in causis illorum propriis. Civitates itidem Sigilla habere debent cum Consensu & permissu Principis. Sin absque Principis consensu habuerint, nullius sunt roboris, præterquam in propriis illorum negotiis. Omnes Judices publice uti possunt Sigillis, eaque valent in causis ad illorum Jurisdictionem pertinentibus. Qui Privilegium conscribit vel concedit, septem quam minimo testes adhibeto: quo plures sint, eo melius erit. In quolibet Privilegio testimonium eorum qui in rebus humanis esse desierunt, æque ac viventium ratum esto. In conficiendis Privilegiorum literis, annum nati Salvatoris adscribito. Testium etiam Sigilla ad rei majorem evidentiam adponere fas esto. Emend. l. 1. c. 16. Corr. l. 5. c. 64.

1. De documentorum forma probante & Sigillis.

Omnes Scripturæ a Judicio nec non locis spectabilioribus emanatæ pro validis censeri debent, a Judicio superiori vel inferiori perfectæ, si modo Judicii vel Civitatis Sigillo fuerint sigillatæ. Omnes literæ a Regibus, Principibus, Dominis & Civitatibus sub illorum Sigillo emanatæ, plenum robur habere debent, sive in nova aliqua causa, vel ad innovationem & transsumptionem veteris alicujus fuerint conceptæ. Publica instrumenta Notariorum, si modo illa cum assistentia testium & conscriptione seu annotatione totius causæ, cum omnibus suis circumstantiis, & quicquid aliter de Jure ad talia instrumenta necessarium sit, provisum fuerit, pro validis suscipienda & usurpanda sunt; Eatenus tamen, quatenus isti Notarii non solum ratione illorum creationis ab his superioritatibus seu potestatibus, quibus de Jure competit, verum etiam ab ordinario Magistratu loci, in quo ista instrumenta

2. De variis instrumentis.

concepta & confecta sunt, suæ legitimationis & legalitatis sufficientem probationem habeant. Chyrographi, Apochæ, & his similes Scripturæ, a privatis hominibus scriptæ, & illorum Sigillo confirmatæ, hæ testificantur plenarie contra scribentes, sive vero ille duobus testibus probare potuerit, eam non suam manum fore, nec Sigillum sua voluntate, aut scientia sed falso subimpressum esse, tunc eo ipso ab obligatione harum literarum & in ea contenti debiti, liberum fore, ubi vero in Chyrographo penes eum, qui Chyrographum scripsit, etiam alii duo testes nominati fuerint, & ab ipsismet Documentum simul subscriptum, tunc per hoc illud Documentum omni suspicione & contradictione liberum & immune esse debet. (Quod idem innuit Corr. l. 3. c. 61.) Mercatorum libri & Regestra si fuerint directe & decenter conscripta, & alias absque suspicione reperta, probant utique de jure, eo tamen modo, ubi ab adversa parte per sufficientes probationes non poterit comprobari, is cujus liber est, id Jurejurando suo confirmare tenebitur. Cum nudis vero scripturis & copiis non sigillatis nil probare potest. Quando Scriptura quælibet, quæcunq; etiam illa sit in Judicio producta & ab eodem pro valida pronunciata fuerit, tunc omnia per hanc in eadem Scriptura contenta, tanquam valida tenenda sunt, nisi quod aliud singulare expressum fuerit, & nemini etiam protestatio adjumento esse potest, ut eandem Scripturam ex parte tantum ipsi inservientem, & non in toto produxerit & insinuaverit. Omnes Scripturæ judicialiter ab una parte, in una causa productæ parti adversæ communicari debent, de his vero quæ judicialiter non sunt productæ, Actor a reo convento nihil simile postulare potest, in quo fundamentum suæ intentionis firmiter ponat: e contrario actor reo convento etiam hasce Scripturas, quæ non solum incidenter causæ inserviant, sed & super quibus reus conventus fundamentum suæ defensionis & exceptionis ponere potest, communicare tenetur. Et debent omnes similes Scripturæ in toto & in particulari insinuari, ut de rectitudine & ineptitudine vel invaliditate unius vel alterius partis Judex eo melius dijudicare

3. Libri mercatorum.

4. De Scripturis in totam & non in partem valentibus.

5 Documenta partibus sunt communicanda.

care & discernere posset. Revis. l. 2. t. 19. tt. Scabinis nulla est necessitas imposita cujusvis causæ & actionis memoriam retinere, nisi cum quispiam quid illorum, quæ in Judicio aguntur, ad acta publice referri petat: eamque ob rem Scabinis, quod par est præstet. Quæcunque autem ad Acta referuntur eorum memoriam conservare, deque iis in Judicio testimonium dicere tenentur Scabini, quoties hoc ab eis petitur ac postulatur. Emend. l. 2. c. 11. Correct. l. 2. c. 16. Revis. l. 2. t. 1. art. 7. Cum in Judicio constituto, Judice & Scabinis præsentibus, vel donationes insinuantur, vel aliæ res aguntur, quarum testimonium & memoriam in Jure quis desiderat, ejus rei ergo solidum unum in arrham, hoc est in confirmationem vel fidem eorum, quæ gesta sunt, is, cujus interest, exsolvito, eum solidum Scabini capiunto, hoc monetæ genere, quæ tum in eo foro usum obtinuit, quaque quotidie solitum est obsonari. Emend. l. 2. c. 12. Correct. l. 2. c. 4. Revis. l. 2. t. 1. art. 8. Vid. plura Protocollum, Sportulæ. Si quis aliquem in alio foro maleficii convincere voluerit, cujus in alio foro instituta fuerat accusatio, Judex & Scabini, pro quorum subselliis prius Judicium inchoatum erat, quid actum sit, ex libris suis judicialibus in alienum Judicium liquido testentur. De cæteris quoque causis, in Jure tractatis, Judex & Scabini vel tabulis publicis, vel affirmatione sua in subsidium alterius Judicii testimonium ferant, & ex alio Judicio, cum ita res tulerit, ejusdem generis testimonium recipiant. Emend. l. 2. c. 14. Correct. l. 3. c. 52. Revis. l. 2. t. 18. art. 12. vide plura Testis, de falsis literis vide Falsum.

6. Arrha Judicialis.

7. Quæ sportulæ pro servando documento dentur.

8. De testimonio Judiciali.

DOLUS. Zdrada

De dolo & falsitate Annonæ vid. Annona, vid. plura Emtio, Factor, Falsum.

DOLOR.

DOLOR. Żal

1. An ultra mulctam actio de doloribus competat.

QUisquis ab adversario ob vulnus atrox vel impotentiam membri, vel injuriarum aut violentiæ causa mulctam seu pœnam facinoris jure exegerit non ideo prohibetur, nisi sponte gratiam adversarius facere malit, quo minus ob dolores impensas medicorum, res neglectas, damna, membrorum impotentiam quibus ad corporis tutelam & rem familiarem sustinendam non æque nunc uti possit, similiter ob enormem contumeliam, adversarium convenire, & ad restitutionem ac compensationem ejus, quod sua intrrest, compellere possit. Hoc enim casu Judicis est officium pro qualitate causæ & delicti, proque personæ, quæ læsa dicitur, conditione, Jus unicuique dicere & administrare. Emend. l. 5. c. 40. vide plura Vulnus.

DOMINUS, DOMINIUM. własność

1 De dominio fundi in Jure traditi retinendi.

QUi prædium, vel alium quempiam fundum emit quocunque pretio, illique fundus ille auctoribus in Jure Judice & Scabinis simpliciter ac sine conditionis adjectione traditur: Si quis deinceps ob debitum a venditore contractum prædio vel fundo controversiam facere vel manum injicere velit, nulla ratio cogit emptorem, ut cum eo Judicium suscipiat, modo testimonium Scabinorum, vel publicarum tabellarum planum faciat, prædium vel fundum in jure sibi simpliciter & sine conditionis adjectione datum ac traditum esse: hoc enim pacto fundi dominium retinebit, nisi traditio istæc dolo malo in cæterorum creditorum præjudicium & fraudem facta fuisset. Emend. l. 4. c. 16. Corr. l. 4. c. 16. Revis. l. 4. t. 5. art. 18.

2. Dominium rei vindicandæ est probandum.

Qui rem vendicare volet, cujuscunque sit generis vel speciei, quam prætendit a furibus vel raptoribus ablatam, rei gestæ fides vendicationem tribuet, sicut jure probet, rem suam fuisse & nunc esse, eamq; furto vel rapina sibi ablatam ereptamq;. Emend. l. 4. c. 29. Corr.

Corr. l. 3. c. 107. Revis. l. 3. t. 5. art. Cum duo singulatim monile aureum vel argenteum facere curaverint unius formæ & speciei, sic ut alterum ab altero dignoscere facile non sit, alter si suum perdat, & alter quasi suum vendicare velit, possessoris potior est conditio rem suam retinendi, quam petitoris alienam appetentis, probabit autem rem suam esse, & suo sumptu fabrefactam. Emend. l. 4. c. 30. Corr. l. 3. c. 108. Revis. l. 3. t. 5. art. 4. Si servus rem vel pecudem domini ludo perdiderit vel pignori dederit, vel vendiderit, dominus rem suam a quovis recte petet, & in possessionem suam Juris ordine revocabit. Si rem propriam servus ludo perdiderit, vendiderit, vel quovis alio modo sciens, volens, amiserit, nulla domino competit actio vel vendicatio, quippe servi res procurare vel luere non tenetur: ac etiamsi dominus servo promisisset, se indemnem illum a quovis detrimento præstiturum, in his tamen facti speciebus actionem domino competere nulla promittit ratio. Sin autem servo, dum in ministerio domini conversatur, equus vel qua res alia præter ipsius culpam a furibus vel raptoribus auferatur, non inique dicemus, dominum servo rem perditam præstare debere, ac ipsi vicissim in eam rem competere actionem adversus eos, quibus ideo controversiam facere volet. Emend. l. 5. c. 90. Corr. l. 3. c. 66. Revis. l. 5. p. 2. t. 22. art. 4. de condicenda mercede servorum contra dominos vid. **Condictio.** Crucigeri de cognitione sui dominii sequenter loquuntur: Statuimus, ut quilibet homo, hæreditatem a domo nostra habens, fratribus nostris solvat exinde unum nummum Coloniensem, vel pro eo quinque Culmenses & pondus duarum marcarum ceræ, in recognitionem Dominii & in signum, quod eadem bona sua habet a domo nostra, & nostræ debeat Jurisdictioni subesse, & nos eum favorabiliter confovendo contra eos, qui sibi injuriam intulerint, debemus, in quantum possumus, nostrum præsidium impertiri. Prædictum autem censum singulis annis in die Beati Martini, vel ab ipso ad XV. dies dare debent. Quicunque autem in prædicto termino non dederit censum suum

3 De dominio rerum ejusq; formæ probando.

4. Si Servus Domini res perdat.

5. Recognitio dominii.

ſuum, taliter puniatur: Poſt primos XV. dies in X. ſolidis; Elapſis vero aliis XV. niſi perſolverit X. ſolidorum ſit aſtrictus; Item evolutis aliis XV. diebus tertio in aliis X. ſolidis, ſi non perſolverit cenſum ſuum, puniatur. Et nunc pro his XXX. ſolidis, & pro cenſu ſuo tempore non ſoluto, ejus pignora, ſine omni contradictione, accipi faciet, & habebit accepta, donec ei ſatisfaciat, domus noſtra. Item ſi forte aliquis debitum obſequium ſuum, quod domui noſtræ debere dignoſcitur, in expeditionibus peragendis non impenderit, & abſens fuerit, Proviſor terræ de bonis abſentis alium ſtatuat loco ſui, ſic ut domus noſtra ſui Juris in hac parte ſentiat nullatenus detrimentum. vid. Privileg. Culmenſ. §. 6. D. Caſimirus Rex taliter ſancit: Præterea volumus, ut omnes & ſinguli præfati ſubditi noſtri in recognitionem dominii, prout etiam prius ſolitum erat, pro quolibet Feſto S. Martini denarium Culmen. vel loco ejus quinque allenſes Pruthenicales, cum uno talento ceræ albæ Nobis & Succeſſoribus Noſtris ac Officialibus ad exigendum per Nos deputatis, dent, ſolvant & conſignent. Privilegium D. Caſimiri Regis, datum in Caſtro Marieburg. Anno 1476.

6. Vaſallus Dominum offendens.

Cum Vaſallus bona ſua vendiderit & proximiores cognati venditoris adverſus Dominum Feudi proterviter de facto & perfide egerint, & hujusce prout Juris eſt, convicti fuerint, hi tanquam indigni Juris retractus cenſeantur. vid. Reviſ. l. 4. t. 6. art. 8. in fin.

7. Ubi Dominus ſuos Subditos conveniat.

Si Princeps actionem ſibi contra Civem ſubditum competere exiſtimaverit, & ejus generis ſit cauſa, quæ ad Jurisdictionem civilem pertineat, reus in domicilii ſui foro convenitur. Sin autem dominus ſubditum ob cauſam Feudi vel ſimile quidpiam in Jus vocare volet, non absque ratione cauſam ad Vaſallos rejiciet, ac illorum cognitionem admittet, uti Jure conſtitutum eſt. Emend. l. 2. c. 33. Corr. l. 2. c. 59. vid. plura **Feudum. Fundus** it. **Libertas.** Quando domini pecora damnum faciunt, vid. **Damnum.**

8. De acquirendo rerum dominio, the-

Si quis intra parietes ſuos, vel in ſolo ſuo pretioſi quippiam invenerit, hoc ipſius proprium eſto. Sin alius invenerit,

cui

cui quærendi negotium datum non erat, inventionis pretium, hoc eſt, theſauri quadrantem illi ſolvito, dodrantem ſibi retineto. Sin autem quærendi negotium alicui commiſeris mercedem ſolvito, quam pepigeris, ſi nihil certi pepigeris, tantum, quantum voles dato, nec amplius illi petito. Si quis theſaurum invenerit in alieno ſolo, ad ſoli dominum theſaurus pertinebit, inventor quadrantem accipiet, hoc enim inventionis eſt pretium Jure noſtro conſtitutum. Emend. l. 3. c. 1. Correct l. 5. c. 44. Reviſ. l. 3. t. 1. art. 1. Si quis in via publica rem vel pecuniam invenerit humi defoſſam, ad territorii Magiſtratum ea pertinebit, inventori quadrantem adſcribemus. Si quis rem in via publica ſupra terram invenerit, eam Presbytero vel Judici, qui in proximis eſt, exhibeto, & hisce verbis in ſequeſtrum deponito. Commendo vobis rem iſtam in fide & religione animi veſtri. Quo facto Presbyter ſingulis diebus quibus concionem habet, publice denunciabit, rem talem in publica via fuiſſe inventam. Ubi deinde quis venerit, qui rem ad ſe pertinere dicat, idque probet, illi reſtituatur. Judex autem cui res commendata fuit, eam toties quoties pro Tribunali ſedet, proclamabit. Si quis poſtea teſtibus idoneis ſuam eſſe probaverit, vel certa rei ſigna dixerit, illi reſtituatur. Oportet autem ut rem nominatim exprimat & ſuam eſſe juret. Si peregrinus eſt homo & ignotus, qui rem amiſit, juris ordine probet, vel uti dictum eſt, juret, rem ejus eſſe propriam: Si quis rem alienam perdiderit, eodem modo recuperabit. Sin intra triennium rem amiſſam nemo repetat, res in duas portiones æqualiter dividitor, quarum altera Judicio civili, altera Eccleſiæ adcreſcat. Inventori quoque & Presbytero, qui publice denunciavit, aliquid dari æquum quidem eſt, verum Judicis & Eccleſiæ conſiſtit arbitrio. Emend. l. 3. c. 2. Correct. l. 5. c. 45. Reviſ. addit, quod is, qui aliquid invenerit, inventum occultando retinuerit nec Judici attulerit, is pro qualitate carceribus puniri, & nihilominus ad reſtituendam iſtam compelli debet. l. 3. t. 1 art. 2. Si quis in alieno ſolo ædificium faciat, vel ſerat, vel arbores plantet: quicquid ædificatum, ſatum

ſauro invento.

9. De re inventa in via publica.

10 Qui in alieno ſolo plantat, ædificat, &c. is plantat

& ædificat soli Domino.

satum vel plantatum erit, ad soli Dominum pertinebit. Em. l. 3. c. 3. Correct. l. 5. c. 70. Revis. l. 3. t. 1. art. 3. Si quis ex alienis tabulis navem, vel quid aliud fabrefecerit, corpus ex iis tabulis confectum ejus est, cujus erant tabulæ, nisi alter Juramento comprobaverit, non secus sibi conscium fuisse, quam quod suæ essent tabulæ, ideoque se per inscitiam ex aliena materia speciem fecisse. Si ita juraverit, tabularum pretium Domino restituet, vel alioquin illi satisfaciet, vel vel alias saltem tabulas illarum loco reponet. Emend. l. 3. c. 4. Correct l. 5. c. 70. Revis. l. 3. t. 1. art. 4. Si quis ex alieno serico lana vel lini stupa pannum, vel aliud quidpiam contexuerit, quod confectum est, ad eum pertinet, qui materiæ Dominus fuerat, sic utique cum ille non nesciret, alienam se materiam operari. Sin autem suam esse putaverit, atque ita nescius opus confecit materiæ Dominus mercedem illi solvito, & victum pro operatione præbeto, si mercedem dare nolit, vel dicat malle se materiam habere, quam speciem ex ea factam, eoque colore illum mercede frustrari contendat, jus erit, illi, qui opus fecit, probare, quod suam esse materiam putaverit: Sic enim illi consulitur, ne laborem perdat, sed opus, quanti majoris poterit, vendat & ejusdem generis materiam Domino restituat, vel tantum saltem pecuniæ det, quanto ejus generis materiam, sericum lanam, & quicquid tantum fuit, comparare jussit. Si Domino materia non ejusdem bonitatis visa fuerit, alter bonitatem probabit, vel ipso, quod fecit, opere, vel testibus, qui materiam viderant, vel Jurisjurandi religione. Idem Juris est in quacunq; materia, quæ sine speciei detrimento restitui vel pretio compensari potest. Emend. l. 3. c. 5. Correct. l. 5. c. 72. Revis. l. 3. t. 1. art. 5. Si quis fundum vel alia bona, a quodam alio, ad quem illa non spectabant, cum tamen pro Domino istorum tenebat, bona fide emerit, vel alio legitimo dono, vel quocunque de Jure constanti & Juridico titulo consecutus fuerit, & in se transtulerit, tunc ejusmodi possessor ob suum legitimum titulum & bonam fidem lucratur omnes fructus ex bonis his profectos, & eorum proprietatem consequitur

11. Qui ex alienis tabulis navem fabrefecerit.

12 De speciebus ex aliena materia factis.

13. Quando Dominus suam rem condicendo etiam fructus lucretur.

quitur cum vera possessione. Idcirco verus Dominus istius rei postmodum superveniens & suam rem postulans, præmemoratos fructus & commoditates a Possessore requirere & exigere non potest: Qui vero scienter possidet aliena bona, quando ea ab ipso Jure requiruntur, etiam horum bonorum fructus commoditatesque restituere & refundere tenetur. Revis. l. 3. t. 1. art. 6. Vid. plura Præscriptio, Servitus, Donatio, & Testamentum.

mieszkanie.

DOMICILIUM. DOMUS.

Forum Domicilii Vid. Forum.

PRoscriptus potest capi ubicunque inventus fuerit, præterquam in domo Nobilitari, in qua sine permissu Patrisfamilias neque a privato neque ab Officio ullo capi poterit; quod si Dominus Domus ipse permiserit, sine injuria aut damno ullo illius fieri id debebit; si non consenserit, protestatione interposita ad Officium Palatinale citari poterit, convictus complicitatis eidem pœnæ subjacebit, cui proscriptus ipse subjectus fuit. Jus Terrestr. t. 6, c. 3. §. 10, vid plura Fundus. 1. Domus Nobilitaris.

DONATIO. Darowanie

CUilibet liberum est, dum in vivis agit, dumque publice conversatur, amico vel cognato, cui volet liberalitatis affectu, quin etiam extraneo, referendæ, quam acceperat, gratiæ causa, res mobiles & pecuniam donare tantum quantum volet, sic ut possessionem e vestigio omittat & in donatarium transferat. Qui vero ob adversam valetudinem decumbit, amplius donare non potest, nisi quantum semel manu brevi citra alterius adminiculum translectulum porrigere valeat, neque necessum est, ut hanc in rem proximioris hæredis consensum roget. Fundos autem & possessiones & res immobiles, sine hæredum consensu donandi Jus non est, præterque eas, quæ non a Parentibus profectitiæ, sed ex 1. De donatione inter vivos.

 rudi

rudi fundo & donatoris negotiatione, labore & simili titulo comparatæ sunt. Has enim nolentibus etiam hæredibus donare licet, sic ut coram Domino superiore vel in Judicio constituto præsentibus Judice & Scabinis donatio peragatur. Hæc Donatio etiam sub conditione fieri & in tempus mortis conferri potest, ut Donator rem donatam cum omni fructu, quoad inter homines erit, possideat, & donatario post mortem demum donantis nisi inter vivos donationem revocaverit, pleno Jure relinquat ac cedat. Quicquid vero vel inter vivos vel infirmitatis tempore sine hæredum consensu donari potest, idem accipiendum est etiam in testamento vel ultima voluntate posse donari, legari, dari post testatoris mortem donatario vel legatario accipiendum habendumque. Salvo nihilominus & illæso cujusvis civitatis & loci more plebiscitove. Emend. l. 3. c. 12. Correct. l. 4. c. 1. 2. Revis. l. 3. t. 3. art. 2. Ubi quis in bonis suis alicui alteri quid tradere vel donare voluerit, is id in publicis locis judicialibus facere debet, ubi vero impedimenta talia regalia fuerint, ut ad Judicium accedere non posset, tunc duos Scabinos cum Notario ad se in domum suam accersitos id cœptum suum coram illis aperire, & peragere debet, qui in proxime futuro Judicio judicialiter attestare & ad acta inscribi, curabunt; ubi vero celeres vel alii incommodi casus & necessitates Scabinorum præsentiam distulerint, tunc eandem donationem in præsentia duorum honestorum & non suspectorum testium expedire potest, qui in proxime futuro Judicio jurejurando suo corporali Juramento comprobare, & quod causa sic & non aliter sese habuerit obtestari debet. Quæ donationes extra hosce præscriptos modos & vias factæ si fuerint, hæ de Jure invalidæ & nullæ censeri debent. Revis. l. 3. t. 3. art. 1. Donatione inter vivos donare inscribere, vendere bona sua, ad acta tamen aliqua avthentica, unicuique & cui voluerit, liberum erit: cum maxime naturali libertati conveniens sit, ut, quemadmodum quisque velit, re sua utatur. Jus Terrestr. t. 2. §. 1. Si quis in Judicio constituto uxori vel alii, cui velit, amico, vel extraneo, fundum vel rem mobilem post mortis suæ tempus

2. Quomodo donationes fieri debeant.

3. Cuilibet donare licet.

4 De donationibus in Jure factis.

pus Jure hæreditario habendam ac usurpandam donaverit ac dederit, ea utique conditione, quod donec in vivis fuerit, salvo donationis Jure nihilominus rei Dominium ad se pertinere velit, quæsitum est, an post ejus mortem donatarius potior sit acquirendæ reique hæredes defuncti donationem ante vel post ejus mortem contradicere possint. Jure nostro ita constitutum est, fundum judiciali donatione acquisitum, & res cæteras lucrativo titulo, vel labore suo partas, tam mobiles quam immobiles donare judicialiter cuilibet vel uxori, vel amico, vel extraneo, cui libitum fuerit, posthabita hæredum contradictione, æque in mortis causam, ac si præ manu rem donatam tradidisset. Si quis vero fundum a Parentibus profectitium & hæreditarium alii donaverit, Jus est hæredibus intra diem annuam, ex qua ad illorum notitiam pervenit, donationem retractandi, nisi legitime fuissent impediti, idque Jure probassent: quo casu etiam post diem annuam donationem oppugnare non prohibentur. Emend. l. 3. c. 13. Correct. l. c. Si quis in Jure constituto Scabinis praesentibus rem suam, cujus administrandæ erat idoneus, alteri post mortem donatoris habendam, sine quavis conditione pure donaverit tradideritque, sic ut in ea nullum sibi Jus inter vivos excipiat: rem eam neque mutare neque alienare poterit, quoniam absque conditione pureque a sese post mortem abdixerat. Emend. l. 3. c. 14. Correct. l. 4 c. 12. Si quis inter vivos rem, quæ sui Juris esset, in Judicio constituto donaverit, sic ut ipse dominium & fructum rei donatæ, quoad superstes sit, excipiat vel retineat: donatore mortuo firma rataque est donatio, nisi eam dum viveret, revocasset. Mortuo donatario res nihilominus ad legitimos hæredes ejus Jure devolvitur. Emend. l. 3. c. 15. Correct. l. 4. c. 10. Revis. l. 3. t. 3. art. 7. Si Pater in Judicio constituto Judice & Scabinis autoritatem præstantibus, uni liberorum certam pecuniæ summam, cujus donandæ Jus habet, post mortem suam ex omnibus bonis paternis præcipiendam, suoque arbitrio tractandam ac disponendam donaverit, ita ut Pater, quoad in rebus humanis fuerit, liberum ejus pecuniæ usum & arbi-

5. De donationibus absq; conditione factis.

6. Si donator aut donatarius decesserit.

7. De præceptione bonorum uni ex liberis donata.

arbitrium ſibimet ipſi retineat: ea donatio quatenus vivo Parente non revocata neque mutata, fuerit, deinceps rata firma inviolataque maneto, & donatarius poſt Parentis mortem ex bonis paternis, immobilibus quidem, quæ in ejus Judicii diſtrictu ſita ſunt, mobilibus autem ubicunque locorum, intra vel extra forum poſſeſſis, eam pecuniæ ſummam præ cæteris liberis præcipuam habeto. Omnes enim donationes & traditiones in conſtituto Judicio, Judice Scabinisque auctoribus celebratæ, juxta qualitatis ſuæ conditionem, robur ac firmitatem obtinent. Omnes autem donationes coram conſulatu factæ nullius ſunt roboris, neque Jure conſiſtunt, quandoquidem in loco Juris ſolenniter conſtituto non fuerint peractæ. Emend. l. 3. c. 19. Correct. l. 4. c. 15. Reviſ.

8. De alienatione fundi in præceptionem donati.

l. 3. t. 3. art. 6. Si Pater in Jure conſtituto prædium ſuum uni filiorum pro cæteris literis habendum ſuoque marte diſpenſandum, absq; aliqua conditione, dederit tradideritque, ac deinde Pater vendiderit prædium, quod ſpeciatim filio poſſidendum aſſignaverat, & nummos inde comparatos in rem ſuam converterit, quatenus filius intra diem & annum alienationi ejus prædii in ſtato Judicio non contradixerit, licet Pater prædium illud poſtea rurſum emerit, deinde diem ſuum obierit, filius tamen, quem diximus, præ cæteris liberis nullum ſpeciale Jus, nec in eam pecuniam, qua prædium vendiderat, nec in ipſum prædium denuo emptum prætendere poterit, ſed in univerſam Patris hæreditatem cum cæteris eodem Jure virilibus utique portionibus ſuccedet. Emend.

9. An mulier ſine tutoris auctoritate res ſuas donare poſſit.

l. 3. c. 20. Correct. l. 4. c. 19. Mulier absque mariti voluntate conſenſuque res ſuas, ſive ſint in reditibus, poſſeſſionibus, ſive rebus mobilibus donare non poteſt, quod ideo conſtitutum eſt, quia tutor uxoris eſt maritus. Virgines & mulieres, quæ ſunt extra matrimonium res quidem ſuas abalienant, ſine tutorum conſenſu, ſcilicet cum in tutelam ſuam pervenerint: hæredes autem earum alienationi contradicere poſſunt uti Jure conſtitutum eſt. Emend. l. 3. c. 21. Correct. l. 4. c. 8.

10. Liberi portiones hæreditarias

Reviſ. l. 3. t. 3. art. 3. Liberi paternam vel maternam hæreditatem inter ſe dividere poſſunt, ſed nullus eorum ſeparatim

tim portionem suam hæreditariam donare vel alienare potest absque cæterorum consensu. Emend. l 3. c. 23. Correct. l. 4. c. 6. Revis. l. 3. t. 3. art. 4. Qui alicui in Judicio bannito bona sua dederit & tradiderit, adeo ut sibi ipsi nullam vim & potestatem faciendi vel intromittendi reservaverit, tunc illam donationem absque legitima & relevante causa revocare & mutare non potest. Revis. l. 3. t. 3. art. 5. Vid. plura Testamentum.

non possunt donare.

II. Donatio non revocatur.

DOS, *posag.*

IN quæcunque bona tam mobilia quam immobilia, si filii super sint, æquis sortibus filii tantum succedant: masculis deficientibus, filiæ. Existentibus autem filiis filiæ dotem per parentes, dum in vivis essent, inscriptione, vel exemplo alterius filiæ assignatam habebunt. Quæ nisi a Parentibus assignata fuerit, per fratres & duos proximos ex parte patris, & duos ex parte matris, duosque Scabinos Terrestres illius districtus, in quo habitabunt, per Judicium Terrestre electos intra annum & sex menses assignari & constitui debebit. Interim quoad elocentur, pro conditione sua honeste a fratribus educentur & exhibeantur. Quod si intra annum & sex menses, quemadmodum supra constitutum est, dos assignata illis non fuerit, portiones suas una cum fratribus æquo Jure tam in Paternis quam Maternis bonis habebunt. Dote autem ita illis assignata, nullum ultra eam sibi Jus hæreditarium in bonis paternis vel maternis, aliorumve ascendentium, ac etiam per aliquem ex fratribus steriliter decedentem, si alii ex fratribus superstites sint, vendicare poterunt, licet nulla eo nomine renunciatio facta sit. Nec ut dos ratione decedentium fratrum sibi augeatur a fratribus, petere, sed illæ sortes fratrum steriliter decedentium, ad fratres solos aut fratrum masculini sexus liberos, qui super vixerint, pleno Jure devolventur. Jus Terrest. t. 1. §. 1. usque 5.

I De assignanda dote.

pojedynek. *mezoboystwo.*

DUELLUM, Vid. Vulnus & Homicidium,

prowadzenie. # DUCTUS FINIUM.

Vid. Condescensio Judicii Terrestr.

DRiWANTZA.

INter Civitates quæ sunt, & adhuc infra Wissam, Ozzam, & Driwanzam construuntur; Civitas Culmensis Capitalis & Primaria est secundum Privileg. Culm §. 3. Omnes Cives & incolæ Terrar. Culmens. ab omnibus expeditionibus bellicis sunt exempti, ad defensionem tamen Terræ, videlicet usque ad Wissam, Ozzam & Driwanzam cum Fratribus procedere tenebuntur contra Terræ prædictæ quoslibet invasores l. c. §. 6.

EBRIETAS. Opilstwo

1. Confessio ex ebrietate.

CUm quis aliquid modo ebrioso, ex ira vel errore factorum, vel aliis similibus circumstantiis inconsiderate extra Judicialiter, præmemorato modo, confessus fuerit, tunc id revocare taliter tenetur; ut Jurejurando suo comprobaverit, se ex prætactis & similibus causis sine ratione inconsiderate elocutum esse, & in rei veritate non sic se habere, Rev. l. 2. t. 17. art. 3.

2. Homicidium ab ebrio commissum.

Ubi homicidium non ex proposito, nec dolo malo, sed ex culpa & negligentia, vel imperitia, fortuito casu, commissum fuerit, hujus est pœna Wergeldum cum mulcta Judicis exsolvere; ita cum quis ex ebrietate vel petulantia aliquem in vita læserit & interfecerit, licet apud eundem nullum propositum vel dolus malus exstiterit, tunc ratione hujusmodi excessus extraordinarie puniendus venit, vel cum Wergeldo & mulcta, vel pro qualitate causæ carceribus, aut etiam intemporali relegatione. Revis. l. 5. p. 2. t. 6. art. 9.

ECCLESIA.

1. Parochia Culmenſis & Thorunenſis.

QUid debeatur Eccleſiæ de rebus in via publica inventis vid. ſupra **Dominium**, Parochiam in Culmine dotavimus quatuor manſis juxta Civitatem & aliis quadraginta, ubi eisdem fuerint demonſtrati. Parochiam vero Thorunenſem dotavimus quatuor manſis juxta Civitatem, & aliis quadraginta, ubi ei fuerint aſſignati. Et in eisdem Eccleſiis Jus Patronatus noſtræ domui retinemus, eis Plebanis idoneis proviſuri. Cæterum ſi aliquæ Parochiæ in villis ſupradictorum Civium fabricatæ fuerint, ſi tum Villarum ſingulæ earundem octoginta manſos vel amplius habuerint, promiſimus Parochiarum quamlibet prædictarum quatuor manſis de noſtra ſpeciali parte dotare. Et Jus Patronatus habebimus perpetuo in dotatis, eis etiam idoneis Sacerdotibus proviſuri, vid. Privileg. Culm. §. 5. Et præterea, ut Eccleſiaſtici bona Terreſtria Eccleſiis adſcribenda & approprianda ſive incorporanda, absque ſpeciali conſenſu noſtro a modo, non niſi a ſuis Vaſallis emant, ne obſequia nobis ex ipſis debita intereant; Pro ſe vero privatim illa emere poſſunt. Quæ ſi in vita ſua non alienaverint, aut cuipiam non donaverint, ad eorum propinquos & conſangvineos devolvantur. Mandamus inſuper, & ita omnino habere volumus, ut Palatini debitores decimarum aratralium, & quorumvis Eccleſiaſticorum proventuum cenſuras contumaciter ſuſtinentes ad hujusmodi debitorum ſolutionem remediis opportunis compellant, ne Eccleſiaſtici proventibus ſuis fraudentur. Vid. Conſtit. D. Sigismundi Regis ab Anno 1538.

2 Eccleſiaſtici ne Eccleſiis bona adſcribant.

3. Executio decimarum aratralium.

potrawa. **EDULIA.** Vid. Annona. Żywność. wychowanie.

EDUCATIO. Vid. Tutor. opiekun.

Mandat **EDICTALIS CITATIO.** pozew.

Vid. supra Citatio. porwanie.

EFFRACTIO. Złodziejstwo

włodziesz

Vid. Arrestum, Furtum & Vis. gwałt.

wyrzeczenie **EFFATUM.** Vid. Testis.

ELECTIO.

Electio Regis vid. Rex. Electio Consulum & Scabinorum vid. Consul, Judicium.

ELBINGA.

1. Facultas monetam cudendi.

Cum Moneta justam & fidelem ligam pondusque habentis cusio, Terram quamlibet & nobilitet & fœcundet: Volumus ut in quatuor locis terrarum prædictarum, videlicet in Thorun, Gdansk & Elbing & Kynsberg, duntaxat gwerra præsenti durante, fidelis & justa, imaginem nostram & subscriptionem tituli nostri continens, Moneta cudatur, præfatorum Prælatorum Spiritualium & Secularium, Militarium, Civium, Terrigenarum Terrarum prædictarum impensis. Pace autem Domino suffragante, habita, tantum in Thorun. & in Gdansk sine præjudicio Privilegii Thoruniensis Civitatis, nostris Regalibus cudatur impensis; Proviso tamen, quod Moneta ipsa in pondere & grano & liga debita nullatenus minuatur. vid. Privileg. incorporat. §. 8. it. Rev. l. 1. tit. 5, art. 1. plura vid. Gedanum, Thorunium.

EMANCIPATIO. wypuszczenie.

SI a debitore possessio per missionem emancipata sit, & bonorum usus interdictus, quoties possessionem usurpat, vel in fundum emancipatum ingreditur, toties mulctam Judici committit nisi Juris ordine possessionis interdictum aboleverit vel retractaverit. Emend. l. 4. c. 73. Correct. l. 3. c. 87. Si pater vel mater unum ex filiis vel filiabus, data bonorum suorum portione emancipaverit, sive manu paterna liberatus in parentum convictu remanserit, sive peculiarem alat familiam, quatenus parentibus defunctis hæreditatem petere & cum cæteris ad successionem æqualiter admitti volet, necessitatem propositam habebit pro Jurisjurandi sui religione omnia bona, quæ per manumissionem e sacris paternis acceperat, siquidem mobilia sint, in divisionis communionem redigere: de immobilibus vero, quæ cerni monstrarique possunt, Juramentum non datur, atque his in commune collatis, cum cæteris æqualiter admittitur, quantumvis Juri divisionis renunciaverit, nisi in constituto Judicio renunciasset, vel solenni Juramento se bonis hæreditariis abdicasset. Emend. l. 3. c. 48.

1. De alterius fundi mancipatione.

2. Emancipatio liberorum.

kupowanie.

EMPTIO VENDITIO. przedawanie.

SI quis rem venalem, pecudes vel merces offenderit, & quod venum est propositum, emere velit, nulli alteri Jus est eum repellendi, vel in emtione præveniendi, quoad ille precio mercem licitatur. Qui contra fecerit ex plebiscito mulctabitur. Sin autem ab emtione sponte quis abeat, vel inter licitandum discedat, cuivis alteri liberum erit licitationem facere, ac de rebus vel mercibus emendis cum venditore pacisci. Emend. l. 4. c. 11. Corr. l. 5. c. 2. Rev. l. 4. t. 5. §. 13. Emtione inter duas vel plures personas approbata, collata & conclusa, tunc venditor emtori rem emtam tradere tenetur, omni modo, quo illi vendidit, ex adverso emtor pretium conventum venditori statim persolvere

1. Ne quis alium ab emptione repellat.

2. Traditio rei emptæ & solutio.

netur nisi inter ipsos ratione traditionis & pretii emtitii aliter contractum, conventum & comprobatum fuerit, omnes domus, prædia, jacentes fundi, coram ordinariis Judiciis in quibus siti sunt, vendi & tradi debent, & sine hoc nulla emtio valida censeri debet, quod in permutatione & aliis alienationibus tenendum est. Revis. l. 4. t. 5, art. 6, & 7.

3. Venditio cum pacto re-emendi.

Si quis alicui reditus suos in certam diem cum pacto de re-emendo vendiderit hac lege, ut liberum sibi sit, restituto pretio reditus ad se revocare, quandoq; velit, Jus integrum habet, proventus suos, quos hoc pacto vendiderat, redimendi ante vel post diem quo percipi debent, ita quidem, ut ex numero hebdomadarum ante vel post diem cedentium, solutionis ratio conficiatur. Emend. l. 4. c. 12. Corr. l. 4. c. 22. Revis. l. 4. t. 5. art 20.

4. De emptione cum locatione commixta.

Emit quis centum oves, eosque colono locat, domino consentiente, hac conditione, ut postquam pretium in oves expositum ex lana receperit, oves cum eo in semissem partiatur, pro curæ, laboris & alimentorum impensis. Locatore itaque mortuo, quatenus dum in vivis erat, pecuniam ex ovium lana integram perceperit, oves uti conventum erat, in æqualem divisionem venient. Sin autem pecuniam integram nondum receperit, quod deest, hæredibus ejus supplebitur, & iisdem semis ex ea grege facta divisione restituetur. Emend. l. 4. c. 13. Correct. l. 4. c. 25.

5 De annuo censu revendendo.

Qui censum habet annuum, legi revenditionis obnoxium, illo diem functo, hæredes ejus censum percipiunt, & nihilominus ei, cui pacto retrovenditionis prospectum est, redemtionis facultatem integram conservant, & censum interim, cui volent, citra cujusvis impedimentum, absque successorum suorum consensu cedere vel abdicere possunt. Emend. l. 4. c. 14. Revis. l. 4. t. 5. art. 21.

6 De domo vendita & nexu debiti in ea silentio in actu traditionis oppressa.

Si quis alteri fundum vendat & in constituto Judicio tradat, ac interim in lege venditionis silentio supprimat nexum æris alieni, quo fundus in hypothecam obligatus est, creditori Jus pignoris in illo fundo relinquitur integrum. Ac licet emtor prætendat, ædes se liberas emisse, & æris alieni nexum in conventionem non venisse, idque testimonio publicarum Judicii tabularum pro-

probari posse, seque fundum jam ultra diem annuam sine cujusvis impedimento possedisse dicat: nihil tamen his omnibus adversus creditorem proficiet, sed magis venditorem ædium ob debiti nexum clam habitum Jure conveniat ac compellat, ut ædes ipsi liberas, uti conventum fuerat, & a pignoris nexu vacuas tradat. Emend. l. 4. c. 15. Corr. l. 4. c. 18. Revis. l. 4. t. 5. art. 19. Qui prædium vel alium quempiam fundum emit, quocunque pretio, illique fundus ille, auctoribus in Jure, Judice & Scabinis, simpliciter ac sine conditionis adjectione traditur: si quis deinceps ob debitum a venditore contractum prædio vel fundo controversiam facere vel manum injicere velit, nulla ratio cogit emtorem, ut cum eo Judicium suscipiat, modo testimonium Scabinorum vel publicarum tabellarum planum faciat, prædium vel fundum in Jure sibi simpliciter & sine conditionis adjectione datum ac traditum esse: Hoc enim pacto fundi dominum emtor retinebit, nisi traditio isthæc dolo malo in cæterorum creditorum præjudicium & fraudem facta fuisset. Em. l 4. c. 16. Corr. l. 4. c. 16. Rev. l. 4. t. 5. art. 18. Si quis domum vel prædium nullo æris alieni nexu illigatum vendiderit & in Judicio tradiderit, creditoribus ejus non est jus impediendi emtorem, nisi venditor, antequam fundum in Jure traderet, debiti solutionem illis spospondisset, eamque in rem fundos & possessiones suas obligasset. Hoc enim casu licet creditoribus æris alieni nomine fundum vendicare, & traditionem intra diem annuam retractare. Em. l. 4. c. 17. Corr. l. 4. c. 43. Revis. l. 4. t. 5. art. 17. Qui tabernam vel fundum ex emto vel donato acquisivit, sic ut annuum inde censum exsolvat, quanti majoris pretii est fundus, quam census, tanti fundum vel tabernam vendere vel dare, cui volet, non prohibetur. Emend. l. 4 c. 18. Corr. l. 3. c. 112. Spirituales personæ bona Terrestria suis Ecclesiis inscribere, appropriare vel incorporare, & absque speciali S. R. Majestatis consensu emere minime possunt: & id etiam quando factum fuerit, non ulterius quam ad suos subditos intelligendum est, ne servitia, quæ communi utilitati ex bonis terrestribus

7. Venditio sine conditionis adjectione.

8. An Creditores venditionem impediant.

9. De fundo censuali vendendo.

10. An Ecclesiastici bona terrestria emere possint?

ſtribus competunt, intereant. Pro illorum privatis perſonis ſpirituales perſonæ bene bona terreſtria emere poſſunt, quæ, ſi in illorum vita aliis addicta vel donata non fuerint, poſt mortem illorum cognatis & conſangvineis ordinaria ſucceſ-
11. Cives emunt bona Terreſtria & Nobiles bona Civilia. ſione cedere debent. Reviſ. l. c. art. 4. Civibus bona terreſtria æque prout etiam Nobilibus bona Civilia emere liberum eſt, eo tamen modo, ut utrinq; ſimilia onera ſuſtinere & ferre teneantur, ſcilicet, ut Cives ratione bonorum terreſtrium omnia onera Nobilium, & Nobiles ratione bonorum Civilium omnia onera ſimul ſuſtinere teneantur. Reviſ. l. c.
12. Damnum & commodum, rei emptæ. art. 5. Emtione concluſa, & ab ambabus partibus approbata, omne commodum a tempore illo ex bonis divenditis in emtorem cadit, prout e contrario, omne periculum damni & deteriorationis rei emtæ futurum in illum transfertur; niſi venditor in traditione bonorum moram nexerit, vel periculoſe in his verſatus fuerit, & in damnificatione reus exſtiterit, tunc damnum ipſi & non emtori adjudicandum erit. Reviſ.
13. An a contractu venditionis emptionis recedere liceat? l. c. art. 8. Quando quis publice alicui alteri in præſentia honeſtorum & proborum virorum vel ad invicem inter ſe aliquid juſte & directe vendiderit, tunc illam emtionem obſervare tenetur, vel emtoris voluntati ſatisfacere per compoſitionem amicabilem aut cognitionem Judicis: Ubi vero emtor ex cauſis certis emtionem ſervare non poſſet nec vellet, tunc venditor eo nomine illum ulterius compellare non poteſt, niſi ut illi damna in quæ ratione non ſervati contractus ipſum induxerit, in quantum probabilia exſtiterint, pro cognitione Judiciali rurſus refundat & deponat. Corr. l. 5.
14. Venditio conſiſtit in traditione & ſolutione. c. 1. Reviſ. l. c. art. 9. Re duobus vel pluribus diſtinctim & ſubſecutive vendita, tunc illa res illum ſequi, cedere & permanere debet, cui ad manus ſuas realiter tradita eſt, etiamſi emtio ultima fuerit, ſi vero venditor a primo emtore pecuniam receperit, vel ſuper emtione illa contractum confecerit, tunc primus emtor merito præire, & præferri debet, etiamſi res illa alicui alteri inſinuata ſeu tradita fuerit, reliqui emtores vero venditorem ratione omnium damnorum & præjudiciorum ob non factam traditionem emergen-

gentium, & ulterius emergendorum, Jure & legitime convenire possunt, & venditor subinde iisdem refusionem damnorum præstare tenetur. Revis. l. c. art. 10. Quando equus vel aliud pecus vendatur, vel aliquod vitium, quod usum ipsius impedit, & animal deterius effecerit, venditor scienter & ex proposito reticuerit, is illud animal & pecus recipere tenetur, quando illi justo & debito tempore, hoc est spacio unius mensis restitutum fuerit, & emtori sua pecunia reddita. Si vero animal illud culpa emtoris deterius factum fuerit, hoc persolvere tenetor; in emtoris quoque arbitrio consistit, an emtum pecus retinere vel deteriorationem ex pretio datæ pecuniæ sibi compensare velit, adeo, ut illi venditor tantum pecuniæ retrodare velit, quantum pecus in suo valore deterius factum est. Revis. l. c. art. 11. vid. plura **Equus. Evictio** vid. infra. Nulla emtio vel permutatio ratione prædiorum vel fundorum jacentium vespertino tempore facta valida & firma censetur, nisi matutino tempore ratificata fuerit. Revis. l. c. art. 14. Nullum prorsus commercium in Festo & sancto die fieri debet in ullis merbibus, antequam officium in Ecclesia peragatur sub amissione mercium & trium bonarum marcarum. Revis. l. c. art. 15. Nemo ulla prædia vendere debet absque scientia sui Domini hæreditarii, sub amissione istius prædii. Revis. l. c. art. 16. vid. plura Jus **Protimiseos. Interventio. Vindicatio. Mercatura.**

15. Quando pecus aut equus venditur.

16. Venditio immobilium vespertino tempore.

17 Die feriata haud venditur.

18. Prædia absque consensu Domini non sunt vendenda.

ENSIS. Vid. Arma.

EPISCOPUS.

Vid. **Aratrum. Decimæ.** Episcopus Varmiensis, vid. **Varmia.**

EQUUS.

EQUUS.

1. Si conductor equi profugerit.

SI quis vestem sartori faciendam sarciendamque dederit, vel equum vel aliud animal alteri locaverit, atque conductor interim profugerit re locata domi suæ vel ubi habitaverit, relicta; dominus vestis vel animalis rem suam recte vendicabit & obtinebit, nec profugi creditores pro debito suo vestem sive animal locatum ullo Juris nexu poterant detinere. Emend. l. 4. c. 5. Corr. l. 5. c. 4. Si equus vel aliud animal, dum adhuc in locati vel pignoris causa commoratur, atque is, cui locatum vel pignori datum erat, Jure testatum fecerit, animal sine culpa sua periisse, de damno non tenetur. Si quid tamen aliud inter eos pacto constitutum fuit, lex conventionis servabitur. Sin autem probetur, animal ejus culpa periisse, nihil est causæ, quo minus damnum sua culpa resarciat. Emend l. 4. c. 6. Corr. l. 5. c. 6.

2. Si equus locatus seu pignori datus perierit.

3. Si cujus equus in itinere frumentum depàscatur.

Qui iter facit, si equo frumentum vel spicas pascendi causa proponat, nec secum avehat, damnum æstimatum rependito. Etenim, si cujus equus lassitudinem itineris contraxerit, liberum est illi, frumentum defalcare & equum pascere, quatenus uno pede stans in via publica aristas manu comprehendere possit. Nullum autem Jus est, avenam secum avehendi & in compendium suum usurpandi. Em. l. 5. c. 65. Corr. lib. c. 25. Revis. l. 5. p. 2. t. 16. art. 9.

4. Equi vindicatio.

Apprehendente equum, & dicente aliquo, sibi furatum vel prædatum esse, idque se probaturum, prout Juris est, tunc conventus bene ad suum evictorem sese referre, eumque denominare potest, & in eo loco statuere, quo equus vindicatur & conducitur. Quod si vero reus conventus suo evictore caruerit, ex defectu, quod eum habere non potest, perdit suam pecuniam pro equo datam, & ad hoc equum actori reddere tenetur, sed nullus alteri sumtus refundere victus, nec aliquam pœnam luere, vel mulctam dare debet. Si vero conventus dicat, se emisse equum in libero & publico foro, nec habere ullum evictorem, tunc perdit equum, non autem propterea mulctandus est. Si conventus dixerit, se a primis ungulis pecus

pecus in suo stabulo educasse, illudque adhuc hodierna die suum esse, illud fide dignis viris & suis vicinis probare velle, tunc eum propiorem esse ad equum retinendum cum testibus fide dignis, prout Juris est, quam ut alter eum destituere possit. Amittens quis res vel pecudes, eo tempore quum apud illum condictæ fuerint, easdem persolvere & Judici mulctam præstare tenetur, sed non instar furis habetur, attamen approbare, & per testimonia liquidum facere debet sibi ignotum esse eas furtivas fuisse. Revis. l. 3. t. 5. art. 3. Corr. l. 3. c. 103. & 104. Si apprehendat aliquis equum conveniendo asserens, sibi furto vel rapina ereptum esse, tunc suum Dominium sequentem in modum probare debet: nimirum suam dextram plantam ponat in anteriorem ungulam sinistri pedis vindicandi equi, & sinistra manu arripiat equi dextram aurem, Jurejurandique religione super capite equi comprobet libellatum equum suum fuisse & adhuc esse, sibi furto seu rapina esse sublatum, tunc conventus litem denunciet provocando suo evictori; illum actor in tantum sequatur ut evictum equum ad evictorem ducat, ut videat an præsentem equum vendiderit & desuper evictionem præstiterit nec ne? Si ratione equi conventus nullum habet evictorem, amittit suam pecuniam quam pro equo solverat & equum legitimo Domino restituere debet. Correct. l. 3. c. 103. Vid. plura Evictio. Qui equum violenter de aratro solverit, & cum eo aufugerit, is gladio, tanquam prædo & latro ac si in aliquo latrocinium commiserit, rota puniri debet. Revis. l. 5. p. 2. t. 16. art. 7. Equus noxius vid. Damnum.

5. Probatio dominii circa vindicationem equi.

6. Furtum equi.

Błąd. ERROR. Vid. Ebrietas, Opilstwo.

EVICTIO. Zastąpienie.

SI quis auctorem suum laudet, vel equi vel cujuslibet rei alterius emtæ causa, isque jam inter homines esse desierit,

1. De Auctoris hæredibus.

erit, hæredes auctoris evictionem rei, quatenus ad eos pervenit, præstanto. Emend. l. 4. c. 31. Correct. l. 3. c. 106. Revis. l. 4. t. 12. art. 1. Cum quis alteri sponsionem maleficii ergo, vel aliam ob ejus generis causam, quæ capite vel manu sancita sit, fecit promisitque, si deinceps vel cognatus ejus, qui spopondit, vel alius quispiam intervenit, adversus quem sponsio integra præstari debebat, atque is eum, qui sponsoris fidem secutus fuerat, ob eandem causam in Jus pertrahat, si quidem Actor iste causam perdidit expromissor manu mulctator, quam mulctam illi dimidio æstimatæ injuriæ, vel damni injuria dati pretio, hoc est duodecim Marcis Prutenicis redimere fas esto, æstimationem eam convento, cui sponsionem promiserat, mulctam autem quatuor solidorum bonæ monetæ Judici præstato. Sin autem in causa civili quis pro pecunia credita vel fundo vel re mobili evictionem spofponderit, & interim alius actionem moveat ei, cui evictionis nomine promissum fuerat, expromissor utique actorem Jure propulsare debet ab actione, quam instituit; ni facere possit, pecuniam rem vel fundum, pro quibus spospónderat, convento præstet ac restituat. Emend. l. 2. c. 74. Correct. l. 2 c. 53. Ob maleficium criminaliter accusatus, ab accusatore evictionem petere potest, quæ talis est cautio, ut conventus de omnibus aliorum conventionibus & conditionibus securus sit; & qui evictionem præstitit, eandem servare tenetur. Promittens alteri guarandam vel evictionem ob maleficium caput vel manum concernens, si postmodum alter cognatorum venit, & convenit eundem ob eandem causam, ratione cujus evictio promissa est, actore succumbente, evictor manum amittit sed eandem luere potest cum dimidio Wergeldo pro reo convento Judici etiam mulcta debita manet. Revis. l. 5. p. 1. t. 14. Si quis rem suam furto vel rapina amissam penes quempiam deprehenderit, ejus rei Judæus evictionem actori, qui furtum vel rapinam passus est, in Judicio præstare non potest, sed actor rem suam vendicandi Jus habebit. Emend. l. 2. c. 75. Revis. l. 4. t. 12. art. 2. Si quis palam professus fuerit, se domum suam vel

2. De evictionibus tam in causis criminalibus quam civilibus.

3. Criminaliter accusatus ab actore evictionem petere potest.

3. Judæus Christiano idoneus evictor non est.

4. An venditor evictionem

vel rem aliam, præſentibus arbitris, alii ſine fraude doloque malo vendidiſſe, ſic ut arrha data, vel hauſtu, qui ſolennis eſt propinato, contractus ſit firmatus, neceſſum eſt, ut vel venditoris legem impleat, vel emptori, quo magis a venditione recedere velit, non amplius ab eo venditor exiget, quam ut de damnis eam ob rem datis, quia dicto non ſtetiſſet, quatenus illa probari poſſunt, intercedente legitima cognitione, ſibi ſatisfaciat. Emend. l. 4. c. 10. Quandocunque venditor pecuniam emptitiam recipit, ſtatim & hujus proprietatem adipiſcatur: emptor ideo etiam æquum eſt, ut ſemper ratione rei venditæ a venditore evincatur, & in ſua proprietate non impediatur: Si deſuper emptor impugnatus fuerit, tunc id venditori ordinario modo denunciare & ei evictionem indicare debet, quam emptori ſuis expenſis præſtare tenebitur. Quodſi non fecerit, tunc emptor nihilominus cauſam defendere & omnia deſuper facere, ad extremum usque quæ Proceſſus per omnes inſtantias poſtulat, quodſi ſubinde res empta fuerit evicta, tunc ratione pecuniæ emptitiæ a ſuo venditore cum expenſis judicialibus omnia perpeſſa damna repetere poteſt. Si vero talis denunciatio venditori non facta fuerit in eo inventa emptorem indemnem præſtare non tenetur. Reviſ. l. 4. t. 5. art. 12. Qui ſuum evictorem equi alicujus vel alterius rei cauſa, quæ ab ipſo vindicatur, convenerit, & evictor mortuus fuerit, prædefuncti hæredes equi vel alterius rei evictores tenentur eſſe. Quando quis alteri, qualiscunque res fuerit, vendiderit, vel alio quocunq; modo a ſe transtulerit, & eadem res poſtea a Poſſeſſore vindicata fuerit, tunc is qui primo eandem alienavit, tenetur citatus indicare, quo titulo & Jure eam habuerit & a primo Poſſeſſore legitime adjudicata fuerit, tunc venditor emptori tenetur ſuam pecuniam vel quod alias ab illo acceperit, totaliter refundere & reſtituere: Si etiam primus alienator ſingulariter defenſionem & evictionem re promiſerit, eo caſu non ſolum pecuniam, uti ſupra dictum eſt, ſed etiam omnia propter hanc cauſam emergentia damna & expenſas refundere debet. Reviſ. l. 4. t. 12. art. 1. & 3. Ad evictorem unicuiq; provo-

præſtare teneatur.

6. Venditor ſemper evictionem præſtare tenetur.

7. Effectus evictionis.

8. Provocatio ad ſuum evictorem.

provocare licet, si evictionem sibi competere docuerit, quod si fecerit, evictorem suum nominare in Judicio debet, Judicium autem secundum rei exigentiam dilationem ei dato. Jus Terrestr. t. 6. c. 3. §. 30. Evicta possessio vid. Possessio.

EXAMEN.

Examen Testium vid. Testis.

EXACTIO. Wybieranie.

IN Privilegio Culmensi absoluti sunt Cives & incolæ terræ Culmensis ab omnibus Collectis injustis & hospitationibus coactivis, aliisque exactionibus indebitis, ad omnia bona eis attinentia hac gratia sese extendente. Privileg. Culm. §. 6. Prædicti Cives etiam ab oneribus Potwodarum, Targowe aliisque his similibus præangariis, vel quibuscunque laboribus rusticis, vulgo Szarwarki, dictis emunes sunt, vid. Constitutio Sigismundi III. ab An. 1537.

EXCEPTIO. wyiącie.

Ex Jure Terrestri.

1. Exceptio contra personam.

QUi exceptionem contra personam evitare vult, considerare debet quem in Jus vocet, ante omnia ipse standi locum in Judicio habere debet, & eum in Judicium vocare, quem convenire Jure permissum est. Standi autem locum in Judicio non habent, liberi contra Parentes in personalibus actionibus; subditi item contra dominum, & viceversa, cum ob potestatem, quam quisque in suos habere debet, nullum cum suis Judicium intercedere debeat; Proscripti item & infames. Multi autem surdi, pupilli, mulieres, mente capti, conveniri quidem & convenire poterunt, non tamen absque tutoribus. Jus Terrest. t. 6. c. 1. §. 1. 2. Cautionibus & satisdationibus, vel exactis, vel intermissis, reus, si

2. Quando exceptiones opponi debe-

quas

quas exceptiones habuerit, sive perpetuæ eæ sint, sive temporales & dilatoriæ, opponere eas poterit. Si forte extra territorium, aut districtum suum evocatum, aut aliqua alia ex causa forum ibi se non habere quis ostendat, aut si quas contra actorem exceptiones habeat, veluti si ex iis sit, qui standi locum vel ipse, vel sine aliis in Judicio non habeat; si item vel non ipsi actori, vel una cum illo aliis conjunctim actio ista competat, quæ quidem exceptio tum competet, si dividi actio non possit, aut actor vel aliorum nomine de rato non caveat, aut non suam partem solam persequi velit; alterutrum enim horum si fecerit, exceptio hæc locum non habebit, contra Procuratorem, item, ut si mandatum non habeat, neque de rato caveat, aut infamia notatus sit, & si qua alia in Procuratorem Jure exceptio competit: contra citationem & terminum iis exceptionibus, de quibus supra statutum est, uti poterit. Jus Terr. l. c. §. 28. 29. Ad perimendam exceptionem fori actor considerabit, ut ad suumquemque Judicem in Jus vocet, quem convenire velit, quisque attendere debebit. Si enim pars partem in aliud forum aut Jurisdictionem, quam ad quam reus pertinere docebitur, evocaverit, nulla & irrita erit. Quod si vero reus ultra Judicem aut Jurisdictionem alicujus agnoverit, vel in Judicem aliquem consenserit, vel etiam obligatione vel inscriptione sua illius Judicio se submiserit, Jurique suo renunciaverit, Jus dicenti parere debebit. Si præter hæc a non suo Judice nihilominus parere jussus fuerit, quemadmodum supra constitutum est, sententia Judicis nullius momenti erit. Jus Terrest. l. c. §. 3. 4. Ratione exceptionis deficientis & inordinatæ citationis, si probari in Jure poterit, Citationem a Ministeriali vel omnino non insinuatam, vel non legitime insinuatam aut publicatam fuisse, illeque nihilominus diversam relationem fecerit, per carnificem virgis publice cædi, auribusque & naso mutilari, & ab officio removeri debet, de quo coram officio Palatinali terminum habebit. Quæ omnia nisi inscribenda & insinuanda citatione observata fuerint, & citatus vitium id in termino præfixo

ant, earumq; species,

3. Exceptio incompetentis fori,

4. Exceptio deficientis aut inordinatæ citationis.

Judici demonstrarit, a termino & citatione liber erit. Actori autem denuo in Jus eum vocare integrum erit, ad quam citationem si non comparuerit; tum primum contumaciæ condemnabitur, nisi forte vel ex Jure vel ex sententia Judicis peremtorius is terminus fuerit. Quod si iterum docere possit sibi de citatione illa nihil constitisse, vel minus legitime insinuatam fuisse, ab eo etiam termino & citatione, non vero a causa, toties, quoties hujusmodi vitium intervenerit, liber erit. Jus Terrest. l. c §. 11. 12. 13. In exceptione litis denunciandæ ad evictorem etiam unicuique provocare licet, si evictionem sibi competere docuerit; quod si fecerit, evictorem suum nominare in Judicio debet; Judicium autem secundum rei exigentiam dilationem ei dare. Jus Terr. l. c. §. 30. Qui exceptionibus suis ante litem contestatam non usus fuerit, lite contestata ulterius iisdem haud fruitur. Judex autem partium controversia de hujusmodi exceptionibus audita, interloquetur, & exceptionem locum habere, vel non habere pronunciabit. Partibus ut ulterius causam prosequantur injunget. Quod si alterutra partium decreto eo Judicis gravatam se existimarit, in re præsenti appellare poterit. Jus Terrest. l. c. l. 32. 33. In termino monumentorum producendorum pars, quæ ad ea provocaverit sine ulla dilatione aut exceptione, sub amissione causæ exhibere ea tenebitur. l. c. §. 43. In terminis executivis e. g. Circa intromissionem in bona alicujus, nullæ dilationes, exceptiones, impedimenta legalia, & appellationes sunt admissibiles. Jus Terr. t. 6. c. 3. §. 5.

5. Exceptio litis denunciandæ.

6. De interlocuto ad exceptiones lato, ante litis contestationem.

7. Exceptio non admittitur in termino producendorum monumentorum

8. Executio non admittit exceptiones.

Exceptiones in Jure Culmensi,

9. Exceptiones dilatoriæ.

INstituta actione illatoque libello Conventionali, reus Conventus per se vel suum sufficientem mandatarium in proximo Judiciali termino, ad intentionem actoris respondere & litem contestari tenetur. Si vero aliquas exceptiones dilatorias, quarum virtute principalis causa tantummodo differri, & non penitus tolli possit, utpote contra Jurisdictionem

onem Judicis vel actoris personam inhabilem, vel actionis difformitatem, vel his similes habeat; tunc has simul & semel omnes ante litem contestatam ad acta producere, & una probare debet, adeo, quod ubi ex his unam quamlibet prӕterierit, & non allegaverit, hӕc illi postmodum nullum sit allatura adjumentum; Productis a reo convento exceptionibus suis dilatoriis, Judex interloquendo pronunciare debet, an oppositӕ exceptiones habeant valorem nec ne, & an lis contestanda & ad merita causӕ principalis procedendum sit. De cӕtero habet reus conventus etiam suas exceptiones peremptorias, quibus oppositis intentio actoris in totum destruitur & annihilatur; e. g. Exceptio rei judicatӕ, solutionis, transactionis &c. has Conventus sive ante, sive post litem contestatam inferendi liberam habet optionem, omnes tamen etiam simul & conjunctim ingeri debent. Rev. l. 2. t. 11. art. 1. usque 3. Reo in Judicio convento desideranti & petenti, merito induciӕ ad respondendum dari debent, quo tempore etiam suas exceptiones defensionales, tam contra Judicem, quam adversus partem opponere & proponere potest; nam nullus tenetur respondere in alieno sive extraneo Judicio; (2.) Non tenetur respondere proscripto & bannito, idem filius non respondet pro maleficio sui parentis, nemo etiam sermone incognito tenetur respondendo regerere. Talibus & his similibus exceptionibus justificatis & pro legitimis pronunciatis, eisdem conventus frui potest; his vero rejectis & reprobatis directe ad institutam actionem respondebit & in causa, seu primario negotio, ulterius probando & documenta producendo, procedet. vid. Revis. l. 5. t. 10. art. 2. Quando reus conventus per exceptionem actori vel testibus aliquid maleficium objicit, & vel ad agendum vel ad perhibendum testimonium, eos inhabilitat, per quod ab accusatione vel testimonio de Jure rejiciuntur & repelluntur, tunc Judici ansa & occasio prӕbetur ulteriorem inquisitionem ingredi. Attamen illud debet fieri per novum Processum; nam ad propositam exceptionem modo accu-

10. Exceptiones peremptoriӕ.

11. Quales dentur exceptiones.

12. Maleficium per formam exceptionis objectum.

accusationem & testimonium conventus tardat & inhibet. Revis. l. 5. p. 1. t. 6. vid. plura Actio. Forum. Judex. Testis.

EXCUSSIO. wybicie.

1. Beneficium excussionis.

Qui in alterius debitum fide jubet, fidei suæ satisfacere tenetur. Oportet autem, ut creditor prius debitorem principalem conveniat, ac si is solvendo non sit, fidejussor pro debito respondebit ac solutionem præstabit: nisi fidejussor rei principalis obligationem in se recipisset, quo casu beneficium excussionis non usurpabit, sed liberum erit creditori etiam principali reo non convento, a fidejussore solutionem exigere. Cum autem plures fidejussores concurrant, majoris est dubitationis, quinam priori loco sint conveniendi. Quorum causam ita distingvemus: Si plures simul pro quopiam fidem interponant, & hoc diserte conventum sit, ut singuli non in totam summam, sed in virilem saltem portionem obligentur, creditor non amplius a singulis, quam partes viriles consequetur, quibus solutis singuli liberantur, nec amplius conveniri possunt, licet sociorum aliqui solvendo non inveniantur. Sin autem plures fidejussores conjunctim in unam summam concurrant, omnes in solidum tenebuntur, sicut creditori liberum sit, singulos quos velit in universum debitum convenire. Cæterum fidejussoribus, quia conjunctim spospondcrunt, beneficium divisionis Jure conceditur, cujus ea vis est, ut postulante fidejussore, creditor jubeatur obligationem dividere, & fidejussores singulos in virilem portionem convenire. Quod tum locum habet, cum sint solvendo. Nam quo casu cæteri solvendo non sunt, is qui convenitur, in solidum præstare tenetur. Si vero plures fidejussores interveniant, usitatis obligationum formulis conjunctim & divisim, vel unus pro omnibus & omnes pro uno, vel similibus, eo casu creditoris erit optio, utrum omnes vel singulos in universum convenire malit. Si unum in solidum convenerit, conventus solidum præstare tene-

tenetur, nec divisionis beneficio juvabitur. Si solidum unus solverit, cœteri quidem fidejussores a creditore liberantur, sed creditor tenetur illi, qui solus solvit actiones suas cedere, quibus ille, tam a principali reo, quam a confidejussoribus, quod ex reliquis portionibus illi deest, Jure consequatur. Emend. l. 4 c. 65. Revis. l. 4. t. 11. art. 3.

EXDIVISIO.

Hæreditatis Exdivisio vid. **Hæreditas.** Societatis Exdivisio vid. **Societas.**

EXECUTIO.

Executio rerum judicatarum & causa inscriptione veniens, sine ulla exceptione temporis ac dilatione semper judicari debet. Jus Terrest. t. 5. §. 2. In termino peremptorio secundo si quis non steterit, parti in causa vel lucro condemnatur, executioque mox actori decernitur, Jus Terrest. t. 6. c. 1 §. 16. In quacunque causa, quæ Judicio vel superioris instantiæ, vel etiam inferioris definita fuerit, si ab ea appellatum non fuerit, aut appellationem interpositam desertam fuisse, decreto judicatum fuerit, victus decreto Judicis satisfaciet in spacio duarum septimanarum a tempore latæ sententiæ, sub pœna quinquaginta aureorum Ungaricorum parti præstanda, nisi forte talis res sit, quam secundum Jus & obligationem suam a Judicio non recedendo præstare debet: tum enim in instanti satisfacere decreto debebit. In aliis autem si intra duas septimanas decreto non satisfecerit, per duos Nobiles & Præconem, qui in ipsa ultima sententia definitiva semper addi parti a Judicio debent, tam ejus nomine, quod ex judicato præstare debet, quam pœna quinquaginta aureorum, intromissio in bona ejus victori detur, liberaque possessio ei tradatur, quam non prius victor dimittere tenebitur, quam & pro judicato & pœna satis-

1. Executio non patitur exceptiones.
2. Executio in contumaciam.
3. Executio rei judicatæ.

satisfactum illi fuerit. Si intromissionem in bona non admiserit; Executio rei judicatæ ad officium Palatini loci deferetur, reusque ad officium Palatini intra terminum duarum septimanarum citabitur; in termino eo nullas dilationes, exceptiones, legalia impedimenta, appellationes, aut quascunque alias exceptiones admittet, nisi post latum decretum, quod exceptioni demandatum erat, transactionem, liberationem seu quietationem, vel ipsius victoris, vel ex actis aliquibus authenticis, ex quibus parti satisfactum esse constare possit, opposuerit, vel in termino ipso judicatum solvat; tum enim omnino executio cessabit, aut si contra ea nihilominus executionem Palatinus extenderit, Appellatio ad tribunal Regni libera erit. Si nihil eorum præstiterit aut docuerit, Palatinus aut Vice-Palatinus executionem realem in bonis victi faciendam decernet, intraque duas septimanas Officium ad bona Jure victi, victori autoritate brachii Regalis & Officii sui Palatinalis tradenda, mittit: simul vero etiam pœnam a Judicio interpositam commissam decernet, aliamque ipse duplo majorem, & pœnam Proscriptionis, si Executioni se opposuerit: Cujus pœna uti prioris itidem, nisi Executioni paruerit, dimidia pars Officio Palatinali, reliqua victori cedat: atque ad pœnas eas dependendas terminum aliarum duarum septimanarum præfigit, in quo nullis omnino Exceptionibus aut dilationibus admissis, ut quibus in primo Executionis termino uti Reus debuerat, eum proscribet. Ita proscriptus duodecim septimanarum spacium habebit, a tempore proscriptionis computandum, intra quod cum parte vel componere, vel satisfacere ei possit: intereaque locum in Judicio standi, bona sua vendendi, de iis disponendi, facultatem habebit, non tamen in fraudem victoris, sed satisfaciendi ei causa: Si interim cum victore composuerit, aut ei satisfecerit, quietatione ejus avthentica exhibita ex Cancellaria Regia, relaxatio bannitionis dari ei debebit, illeque in integrum restituetur. Si ne intra illud quidem tempus Proscriptione modo supra demonstrata, se exemerit, Palatinus ad instantiam victoris mox post duodecim septimanas, Nobilitate omni-

Tempus intra quod proscriptus paciscì potest cum Actore.

busque

busque bona terrestria possidentibus in Palatinatu suo, cœterisque incolis convocatis, ad Jure victum ac proscriptum capiendum bonisque expellendum proficisci, eademque victori tradere debebit. Tenebuntur autem omnes & singuli ad Executionem faciendam a Palatino legitimè evocari, sub pœna quinquaginta Aureorum, ei adesse, de qua terminum in Tribunali Regni habebunt: quam quidem Executionem Palatinus & Officium ipsius, si modo suprascripto facere non curaverit, prima vice pœna centum Aureorum, quinquaginta Tribunali Regni & quinquaginta Parti committendorum, mulctabitur: secunda vice ad refusionem damnorum, a Judicio moderandorum, & Juramento Partis comprobandorum, condemnabitur. Nihilominus vero proscriptus post exitum duodecim septimanarum, sive a Palatino executio fiat, sive non, vel ab ipso actore, vel a quocunque capi, atque Officio Palatini tradi poterit. Quod cum factum fuerit, tam diu in turri detineri ab Officio debebit, donec cum Parte transegerit, eique satisfecerit. Poterit autem capi, ubicunque inventus fuerit, præterquam in domo Nobilitari, in qua sine permissu Patrisfamilias, neque a privato, neque ab Officio ullo capi poterit. Quod si Dominus domus ipse permiserit sine injuria aut damno ullo illius fieri id debebit; si non consenserit, Protestatione interposita ad Officium Palatinale citari poterit; convictus complicitatis, eidem pœnæ subjacebit, cui Proscriptus ipse subjectus fuit. Atque hic quidem Processus contra possessionatos servabitur: Si impossessionatus Jure victus fuerit, siquidem fidejussor intervenit, possessionatusque is sit, in eum Executio modo supra scripto extendetur: Si neque Reus neque Fidejussor possessionati sint, ad summum intra duas septimanas aut judicatum solvere debebunt, aut fidejussores possessionatos statuere de satisfaciendo rei judicatæ intra sex septimanas; quorum si neutrum fecerint, ad Officium Palatinale ad proscribendum citari poterunt, ac sive in termino steterint, sive non, a Palatino proscribi debebunt; cum proscripto eodem modo procedi, quemadmodum cum possessionato

proſcripto, ut captus tamdiu nimirum ſedeat, donec Parti ſatisfaciat; Receptator etiam ejus, Jure receptionis ejus convictus, eadem pœna condemnetur. Si quis cauſa in Judicio inſtituta, aut etiam Parte citata, eadem intra annum & ſex ſeptimanas non proſequatur, cauſa cadet, eamque proſcriptione amittet: Similiter, ſi Decretum in negocio principali obtinuerit, aut etiam ad executionem rei judicatæ proceſſerit, illamque intra annum & ſex menſes, non Magiſtratus, ſed ſua negligentia non proſecutus fuerit, Decretum id cauſamque totam commemorati temporis Præſcriptione amittet, neque iterum ſuſcitare aut revocare in Judicium cauſam eam poterit. Quod ſi etiam forte Citatum ſe a parte aliqua quis diceret, Citationemque ejus ad Præſcriptionem objiciendam proferret; Pars autem a qua Citatio profecta dicetur, ſuo ſcitu vel juſſu eam traditam negaret, juramento corporali de ignoratione ſua præſtito, Præſcriptione removeri non poterit. Jus Terreſt. t. 6. §. 4. usque 13. De executione in cauſa Graniciaria vid. **Condeſcenſio Judicii Terreſtris.**

Fatalia — motæ litis — Præscriptio Judicatorum ad Executionem non deductorum

4 Pœna Palatini decretum non exequentis.

Cum fruſtra ſententiæ ferantur, niſi legitimæ executioni demandentur, volumus & irrefragabili Conſtitutione ſancimus, ut deinceps unusquisque, cujusvis conditionis aut eminentiæ fuerit, rei judicatæ ſine omni contradictione, cum effectu pareat & obſequatur; Alioqui locorum Palatini, nullo alio mandato expectato, legitimam executionem faciant, adjuncto ſibi, ubi Cauſæ conditio id poſtulaverit, Capitaneo & Nobilibus illius diſtrictus, aut etiam, ſi neceſſitas exegerit, omnibus & ſingulis Vaſallis noſtris, ſeu Nobilibus illius Palatinatus, quos ad aſſiſtendum illi ſub Jurisjurandi debito, & amiſſione feudorum obligatos eſſe decernimus. Si vero majori potentia ſit opus, negocium ad nos referri volumus, ut opportunis rationis rebus provideamus. Palatinos ſimiliter ad hujusmodi executiones faciendas, juſtitiamque oppreſſis miniſtrandam, Jurisjurandum nobis præſtitum adigat, quos etiam, ſi remiſſiores fuerint, quinquanginta florenorum Hungaricalium pœna plecti volumus, cujus mulctæ medietas parti, cui Juſtitia denegata eſt, altera vero medietas Ærario publi-

publico Terrarum Prussiæ cedat. Ubi autem quis Executioni voluerit resistere, aut jam violare convictus fuerit, pœna banni sive præscriptionis, ac bonorum confiscatione irremissibiliter puniatur; Ex quibus bonis parti læsæ primum fiat satis; quod reliquum fuerit, prædicto fisco applicetur. Vid. Constitutionis D. Sigismundi Regis ab An. 1538. §. 11. 12. 13. — 5. Pœna executioni resistentis.

Quando sententia est lata, nec ab ea appellatum, vel etiam interposita appellatio deserta fuerit, & post appellationem ista causa continuata ad Judicem primæ instantiæ vi remissæ venerit, tunc ad præmissam citationem partis succumbentis absque impedimento executio in termino sex septimanarum, hoc est, intra sex septimanarum dilationem, expediri debet. Ista executio non amplius quam summa rei vel bona in sententia specificata continet, administrari & expediri debet; & si quis in ære solvendo non fuerit, etiam in Jurejurando comprobare poterit, se neque pecuniam neque argentum habere, tunc bona ipsius mobilia, qualiacunque etiam existant, ex quibus creditori quam commodissime persolvi poterit, capi, quæ & debitor sub Jurejurando suo, omnia nominare tenebitur. Deficientibus autem bonis mobilibus, vel non in tantum, quantum ad solutionem necessarium fuerit, existentibus, tunc executio procedet in bona immobilia, & postmodum in nomina debitorum existentia, nisi alia compositio inter partes ambas intercesserit; tandem in defectu præmemoratarum rerum extendetur executio adversus personam debitoris. Revis. l. 2. t. 23. art. 1. — 6. Quomodo Executio peragatur.

Si servus mercedem a domino condixerit, eamque Jure probaverit, vel obtinuerit, non ideo dominus Judici mulctam committit, sed tenetur servo mercedem eo die, priusquam sol occidat, exsolvere. Emend. l. 4. c. 43. Corr. l. 3. c. 67. Rev. l. 2. t. 23. art. 3. — 7. Propter mercedem servorum parata executio.

Qui alium Jure convenerit ob pecuniam sibi debitam, & necessitate Jurisjurandi, propter inficias adversarii expressa, causam vicerit, cogitur eo ipso die debitor & pecuniam actori solvere, & Judici mulctam luere. Sin autem Conventus debitum agnoscat, intra diem quartum decimum actori satisfacere tenetur, nisi faciat, Judici mul- — 8. De solutionis die constituenda.

cta committitur: Deinceps solutioni præstandæ constituat prætor diem octavum, deinde triduum, deinde biduum, tandem etiam noctis interstitium. Quoties his vicibus non non obtemperaverit, toties Judicis mulctam incurrit. Si neque debitum neque commissi mulctam exsolverit, Judex ejus bona manu capit, deinde Jure decretoque cogit ad de-debiti mulctæque solutionem, Si bona, quæ possideri queant, non habeat, interdicto Judicis circumscribitur, cujus ea vis est, ut detineatur, ubicunque deprehendi possit, quoad a mulcta debitoque se præstiterit immunem. Qnisquis eum interim receptaverit, mulctam itidem eidem Judex irrogabit. Emend. l. 4. c. 52. Corr. l. 3. c. 58. Revis. l. 2. t. 23.

9. Executio in immobilia.

art. 2. Quando executio ad bona mobilia sese extendit, tunc illa judicialiter diligenter per inventarium conscribenda, annotanda, & postmodum subhastanda, distrahenda & vendenda erunt. Si autem intra spacium quatuordecim dierum nullus emtor repertus fuerit, tunc bona illa per viros peritos taxari, & creditori adjudicari & tradi debent. Ubi vero debitor vel creditor super taxa se gravatum esse senserit, moderatio penes Honor. Judic. consistere debet. Ubi quis super bonis immobilibus & fundis Jus aliquod obtinuerit, tunc sequenti modo executio promoveri debet, ut nimirum creditor in possessionem & proprietatem fundi, in quantum debitum ipsius concernit, Jure intromittatur, & debitori rumatio in tempore dilationis debito Juris, seu in tribus mensibus demandetur, & creditor in continenti introimissionem ad venditionem bonorum immobilium vel fundorum progredi potest, in quantum potuerit, & debet talis subhastatio bonorum aut fundorum manifeste per publicationem notificari, vel alias pro cujusque loci consvetudine subinde procedi, ut id ad omnium notitiam pervenire possit; Attamen id omne tali modo, ut illi tres menses ad rumationem nihilominus liberi permaneant, fieri debet, ubi etiam prædium illud alienatum vel venditum fuerit, tunc debitori & proximioribus cognatis Jus retractus intra annum & diem salvum persistat, prout & omnibus reliquis creditoribus, quando

do damna sua propter debita ex fundo isto resarciri posse existimaverint, liberum esto. Quod si etiam prædium illud majori pretio quam ad delenda debita requiritur, distractum fuerit, tunc residuum debitori restitui vel pluribus creditoribus existentibus istud impedientibus, pro commodo illorum coram Judicio deponi debet. Currentibus supra dictis tribus Mensibus, quando nullus emtor fundi invenitur, mediante & consueta Judiciali taxa creditori, in quantum debitum ipsius concernit, adjudicari & tradi, si vero residuum aliquid fuerit, debitori restitui debet. Revis. l. 2. t. 23. art. 4. 5. Si quis tantum mutuaverit, vel alio quocunque modo tantum debiti contraxerit, ut omnia sua bona & facultates ad solutionem non sufficerent, vel ultra suum posse, sua insufficientia bona pro alio in cautionem fidejussoriam oppignoraverit, nec apud suos creditores remissionem impetrare possit, ac præfati creditores omnes alias compositiones amicabiles & transactiones renuant, tunc ad citationem & requisitionem unius vel plurium creditorum carceribus mancipari, & tamdiu detineri debet, donec creditoribus satisfaciat vel aliter cum illis amicabiliter transigendo componat; nec illum ulla abrenunciatio vel cessio bonorum, vel alias quodcunque Juris remedium illud fuerit, absque ratihabitione & assensu suorum creditorum attentatum & usurpatum, liberare & exonerare poterit. Ille vero carcer quo mancipatur mediocris & tolerabilis esse debet, & tali modo constitutus, ne illi inde in corpore vel sanitate inferatur detrimentum. Ubi vero a creditoribus ratione sustentationis & alimentorum pro mancipato non debita facta fuerit provisio, tunc ipsemet pro sua sustentatione & necessario victu erit sollicitus. Ne vero talis incarceratio ob debitum temporale videatur perpetua, & ipsi vitæ periculosa existat; Propterea ejusmodi Arrestum in debitis, quæ Summam centum florenorum non exhauriunt, non diutius quam perquinquennium perseverabit, & incarceratus ab universa debiti summa, ab omni conventione liber esto. Quando quispiam ob perpessum incendii damnum, naufragium, vel alios improvisos, & absque sua culpa

10. De mancipatione personæ ipsius debitoris.

culpa factos seu contingentes fortuitos casus, in æs alienum & extremum damnum incidisset, idque sufficienter probasset, literasque & indicias moratorias ad tempus quoddam a supremo Magistratu implorasset, per ejusmodi tempus a carceribus relevari, & sublevatio suorum damnorum honesto modo quærendi facultas permitti debet. Revis. l. 2. t. 23. art. 6.

11. Qui se executioni opponit.

Qui Magistratui in exercitio sui Officii, præcipue vero in executione sese opposuerit, vel etiam pedellis vel aliis, qui ad exequendum ex Officio missi sunt, vim repugnando intulerit, is pro qualitate delicti, relegatione vel in corpore & vita punitor. Rev. l. 5. p. 2. t. 5. art.

12. Remedia contra executionem injustam.

Quando Judex vel ejus Executor in executione contra contenta sententiæ excedat, vel etiam reus conventus justas causas adversus sententiam, ob quam executio fieri debet, habuerit, seu ubi causa in ulteriori Judiciali cognitione pependerit, fatalia appellationis non transpiraverint, sententia falsis testibus & probationibus fundata fuerit, vel alioquin aliqua nullitas in sententia lata exstiterit, aut causa ista antea per transactionem sopita, debitori remissa, & per solutionem præstitam evanuerit, tunc executio tam diu remoranda erit, donec summarie & confestim a Judice cognitum fuerit, an allegatio gravaminis partis locum inveniat nec ne. Revis. l. 2. t. 23. art. 8.

EFFRACTIO. Złodziey stwo

Vid. Arrestum, Furtum, Vis publica.

EXHÆREDATIO. wydziedziczenie

1. Causæ, ob quas filius exhæredari potest.

Quatuordecim habentur causæ, ob quas filius exhæredari possit: (1) Quando filius parentem ex malo proposito concutiat. (2) Si filius parentem enormiter injuriis verbalibus proscindere præsumat, & ejus famam dehonestet. (3) Si parentem capitalis criminis accuset. (4) Si se veneficio & superstitiosis artibus imbuat. (5) Si ante diem in patris vitam inquirat. (6) Si cum privigna sua coeat, vel alias

patris

patris cubile per ſcelus maculet. (7) Si contra Jura patrem conveniat, & grave damnum det. (8) Si patrem, ſi eſt captivus, non eliberet, vel pro eo cautionem præſtet. (9) Si inhibuerit parenti eleemoſynas dare & teſtamentum condere. (10) Si filius contra parentum conſenſum mimos ſequatur & ſe proſtituat. (11) Si parenti interdicat, ne promittat ut filia ad connubia convolet, filia vero interea ad fornicationem delapſa, meretrix ſit facta. (12) Si pater ſit mente captus, & filius ei alimenta deneget. (13) Si filius fiat hæreticus, & militet contra fidem Chriſtiano-Catholicam. (14) Si renuerit pro parente fide jubere in cauſa debiti. Mediantibus his cauſis filius ſucceſſione hæreditatis facit ſe indignum· Corr. l. 5. c. 48. Liberi ex octo cauſis Parentes ſuos exhæredare poſſunt: (1) Si parentes filium criminaliter accuſent, excepto crimine læſæ Majeſtatis & hæreſi contra ſanctam Chriſtianam fidem. (2) Quando parentes in corpus & vitam liberorum inſidias ſtruunt. (3) Si parentum quidam cum uxore filii, aut genero, ſeu etiam cum ejus concubina ſcandaloſe ſe immiſceat. (4) Quando parentes liberis impediunt libertatem Teſtamenta faciendi de peculio ſuo Caſtrenſi & quaſi Caſtrenſi. (5) Si parens in vitam ſuæ uxoris, aut mater reciproce in ſui mariti veneno aut alio modo machinetur. (6) Quando parentes liberis ſuis mente captis & furioſis non de debitis alimentis provident. (7) Si parentes captivos ſuos liberos non ex ergaſtulo liberant. (8) Si liberi genuinæ Chriſtiano-Catholicæ fidei ſint addicti, parentes vero hæſitent in infidelitate. Corr. l. 5. c. 49 Pater & mater, quando condere Teſtamenta volunt, tenentur liberis, ſi cauſas illas exhæredandi non habuerint, ad minus illorum legitimam, in proprietatibus & uſibus fructibus absque onere relinquere; & illud etiam de nepotibus intelligendum eſt, adeo tamen, ubi illorum plures fuerint, hi unam tantum partem avi ſui & parentum percipere debent, computantur enim omnes pro una perſona. Reviſ. l. 3. t. 8. art. 11.

2. Cauſæ, ob quas filii Parentes exhæredare poſſunt.

3. De legitima conſtituenda.

EXHIBITIO. *Stawienie.*

1. Exhibitio documentorum.

EXhibitio depositi vid. Depositum. Omnes Scripturæ judicialiter ab una parte in una causa productæ parti adversæ communicari debent. De his vero, quæ judicialiter non sunt productæ, actor a reo convento exhibitionem postulare potest neutiquam, in quo fundamentum suæ intentionis ponere possit: Econtrario actor reo convento etiam hasce Scripturas, quæ non solum incidenter causæ inserviant, sed & super quibus reus conventus fundamentum suæ defensionis & exceptionis ponere potest, communicare tenetur; & debent omnes similes Scripturæ in toto & in particulari insinuari, ut in validitate certitudine & in rectitudine unius vel alterius partis Judex eo melius dijudicare & discernere possit. Revis. l. 2. t. 19. art. 6.

pospolite ruszenie.

EXPEDITIO BELLICA.

Vid. supra Bellum.

EXPENSÆ. *wydatek*

1. Processus expensarum secundum Jus Terrestre.

AD audaciam vero temere litigantium coërcendam, in Civilibus causis victus, victore id postulante, in litis expensas semper condemnetur. Quamprimum igitur ultima definitiva sententia a superiori Judice prolata fuerit, aut ab inferiore, si ab ea pars non appellarit, aut etiam appellationem postea deseruerit, victor partem victam ad Judicium vel Terrestre vel Palatinale, in utro nimirum causa primum agitata fuerit, ad impensas præstandas citare poterit, quod cum fecerit, Judicium omnes expensas in litem per victorem computatas, qualia sunt justa impendia Procuratorum, itinerum, & quæ actoris monumentis doceri poterunt, pro conscientia sua, personarum, temporum & causarum ratione habita, ex æquo & bono, optima fide examinabit moderabiturque.

biturque. Qua æſtimatione a Judice interpoſita, ſi æſtimatio ea triginta florenorum Ungaricalium valorem excedat, petitor Juramento ſuo corporali, quod videlicet in litem eam cum parte non minus expenderit, nec expendere potuerit, æſtimationem eam confirmabit: Si valorem eum æſtimatio non exceſſerit, petitor tamen triginta aureis contentus eſſe malit, quam in majorem ſummam Juramentum præſtare; quamcunque ſummam a Judice æſtimatam victor vel Juramento comprobarit, vel ſi triginta aureorum aut minori ſteterit, in eam victus in inſtanti condemnabitur, neque a moderatione hujusmodi Judicis ulli parti, ne expenſæ expenſas augeant, appellatio permittetur. Si fidejuſſor litis expenſarum nomine interceſſerit, ad ſpecificationem ſeu æſtimationem adcitabitur; cumque per Judicium æſtimatæ, juratumque à parte in eas fuerit, aut ſi non majores triginta Aureis fuerint, ſine Juramento ex moderatione Judicis a Parte acceptæ fidejuſſor a Judicio non recedendo, ſolvere eas tenebitur, nullaque omnino dilatio ad conveniendum ſuum Principalem, aut ad eundem ſtatuendum, ei concedetur. Quod ſi nomine expenſarum citatus non comparuerit, quascunque in Citationem expenſas Actor poſuerit, eæ absque ulla moderatione & Juramento a Judice ei decerni debebunt, proque Executione rei judicatæ ad Officium competens remitti, Jus Terreſt. c. 3. §. 2. 3. Notarius tam Judicii Terreſtris, quam Palatinalis, a quibuscunque ſcriptis, quæ in Libros referentur, aut ex iis edentur, non majus ſalarium accipiat, quam ſequenti æſtimatione præſcribitur. A reſignatione nimirum perpetua, triginta groſſos: a dotalitiis & advitalitiis obligationibus totidem: ab obligatione quacunque, qua ſe ad dandum vel faciendum aliquis obligat, duodecim groſſos: a pœna contumaciæ, a prorogatione termini ſeu limitatione ex conſenſu partium, a renunciatione Miniſterialis, proteſtationibus, arreſtis Judicialibus, aliisque actibus ſimilibus, ſenos groſſos: a ſententia definitiva groſſos duodenos, cujus quidem Salarii tertia pars Notario; reliquæ duæ Judicio obvenire debent. Ab extractu autem ex Actis ſoli

2. In cauſa expenſarum non datur appellatio.

3 Taxa expenſarum Judicii Terreſtris.

Notario de singulis paginis plene ab utraq; conscriptis quini grossi solventur. Jus Terrest. t. 5. §. 36. Cum quis aliquid in Judicio bannito coram Judicibus dat, donat, similiter pro aliis rebus, quarum in Judicio bannito de Jure confessio, attestatio, vel memoria desideratur, pro his Judicio & Notario competens Salarium dari debet, prout sequens Taxa expensarum Judicialium in civilibus docet:

4. Taxa expensarum Judicialium secundum Jus Revisum.

Taxa

Expensarum Judicialium in Civilibus.

Pro Citationibus.

Judicio	(in majoribus Civitatibus)	-	20.	Solidi.
	(in minoribus Civitatibus)	-	10.	-
Notario	(in majoribus Civitatibus)	-	10.	-
	(in minoribus Civitatibus)	-	5.	-
Procuratorum Judiciorum seu Pedello.	(in majoribus Civitatibus)		8.	-
	(in minoribus Civitatibus)		4.	-

De Requisitionibus & Citationibus.

De unaquaq; Requisitione ad Judicium bannitum		3.	-
Pro citatione unius cujusvis personæ	-	3.	-

De unoquoque teste qui simpliciter examinatur:

Judicio	- - - - -	8.	Solidi.
Notario	- - - - -	5.	-
Procuratori	- - - - -	3.	-

De porrectis intertogatoriis dupliciter solvendum est.

De Mandatis, attestationibus natalium, contractibus & his similibus in Judicio obvenientibus, quando ad Acta connotantur:

Judicio	- - - - -	16.	Solidi.
Notario	- - 1. Marca.		
Procuratori	- - - - -	8.	-

De

De arreftis eorumque profecutionibus.

Judicio - - - - -	5.	Solidi.
Notario - - - - -	5.	-
Procuratori - - - - -	5.	-

De intromiffione folvit emptor feu Creditor.

Judicio, feu his qui nomine Judicii actum intromiffionis peragunt - - -	30.	-
Notario - - - - -	5.	-
Procuratori - - - - -	5.	-

De publicatis coram Judicio fcriptis:

Notario de duabus paginis - - -	3.	-

Pro fententiis Actor aut Victor pro quo pronunciatur folvit:

Judicio - - - - -	8.	-
Notario - - - - -	6.	-
Prolocutori - - - - -	4.	-

De extraditione copiarum de Actis Judicialibus:

Judicio - - - - -	5.	-
Notario pro unaquaque pagina - -	5.	-
Procuratori - - - - -	20.	-
Pro connotatione alicujus actus coram Officio Judicis - - - - -	10.	-
Procuratoribus pro unaquaq; caufa finita folvuntur a 100. Marcis - - -	100.	groffi.
Item de unoque actu feu in fcriptis feu verbotenus intra noftras terras peracto accipit Procurator - - - -	10.	groff.

De depofitis feu fequeftratis pecuniis, quæ vel vi fententiæ aut mediante confenfu partium coram Judicio fequeftrantur aut deponuntur nihil folvitur.

Expenfæ Judiciales proprie nuncupantur omne quod ad Ju- 3. Quid fint expenfæ Judiciales.

dicium, Advocatos, Procuratores, Præcones & alias res ad Judicialem Processum necessarias expenditur, prout id vigore ordinariæ taxæ postulatur, vel alias secundum æquitatem dari oportet; Ad quod etiam omne id computari debet, quod ad itinera, sumptus & alias res ad causæ prosecutionem spectantes necessarium fuit, eo tamen modo, ut omne id deducatur, quod alioquin quis in domo sua, vel pro qualitate

6. Quid sit damnum. sua consumpturus esset. Revis. l. 2. t. 25. art. 1. Damna appellantur, cum quis ratione causarum Judicialium aliquid de suo perdiderit, sufficienter probaturus, quod alioquin, ubi per hanc causam implicatus non fuisset, vere & de facto retenturus fuisset. Poterit etiam quis probare, se vere & absq; omni dubio aliquod lucrum percipere potuisse, quod illi propter hanc causam Judicialem & illius expectationem principaliter præpeditum & recissum fuisse, hoc quoque pro

7. Temere litigans. damno computandum est l. c. art. 2. Quando quis in ruitionem causæ suæ tam in agendo, quam respondendo ventilatæ convictus pronunciatur, & id præterea ex actis perspici poterit, illum justam causam litigandi non habuisse: Verum vel ex dolo malo, petulantia, vel pervicacia, partem in Jure Processibus vexasse, & dolorem inferre voluisse, is pro reo tenebitur, quando id Judicialiter petitum & recognitum fuerit; Omnes justas expensas & damna parti vincenti refun-

8. Processus expensarum. dere & restituere tenebitur l. c. art. 3. Quæ pars justam causam habere sibi persvasa est, illa simul cum negotio principali & hujusce conclusione damnorum refusionem & expensarum petere potest, desuper Judex cognoscit, an & quæ pars easdem refundere teneatur; Et ubi id in inferiori aliqua instantia omissum & præteritum fuerit, per superiores Judices corrigi, & nihilominus desuper pronunciari potest; Quo cognito & obtento, pars, pro qua pronunciatum est, in termino executionis tales expensas & damna liquidare, & sufficienter probare tenetur, quas etiam Judex moderare, & ad æquitatem redigere facultatem habebit. Proinde pars talem moderationem, & quod damna & expensæ illæ in rei veritate non viliores fuerint, Jurejurando comprobare tenebitur;

bitur; Postquam solutio finalis fieri debet. Si pars in tali moderatione Judicis enormiter & supra modum gravata fuerit, tunc ad superiorem instantiam libera appellationis erit provocatio l. c. art. 4. Si quæ Civitates sententiam quam ipsæmet ignorant, aliunde petiverint, Scabinis qui sententiam tulerunt, in singulas earum tres quadrantes bonos unius marcæ, nummorum scilicet ejus generis, qui eo loco probi sunt atque recepti, quibus ea, quæ potui ac esui sunt, comparari solent, sportularum nomine persolvunto. Uter litigantium causa ceciderit, sportulas luito, vel ambo ex lege conventionis æquis portionibus pendunto. Emend. l. 2. c. 62. Corr. l. 2. c. 5. Revis. addit: Si pars cadat sententia, solvit expensas, nisi aliter inter litigantes conventum sit, l. 2. t. 21. art. 4. Cautio de Reconventione & expensis vid. supra **Cautio.** Pater & Mater expensas in suum filium ad negociandum, vel alia honesta opera, aut opificia impendens, quatenus bene collata fuerint, illa omnia in futura divisione hæreditatis non erunt deducenda, nec eadem in toto conferenda, sed pro bonorum virorum arbitrio & qualitate bonorum æquitas æstimanda est, inprimis ideo: Quia etiam alias Parentes liberis debita alimenta subministrare, nec non apud se in domo pro necessitate sustentare teneantur; nisi filius probare poterit parentum omnimodam sententiam omnia illa donandi fuisse, quæ alias in nuptias liberorum, nec non alias res similes impensum fuerit, ibi nulla expressa ordinatio & dispositio Parentum reperitur, qualiter in hisce circumstantiis statuendum & tenendum sit, tunc ejusmodi sumtus pro æquitate æstimandi & huic, in quem sunt collati, in divisione deducendi sunt. Rev. l. 3. t. 11. art. 3. Expensæ funebres vid. **Funus.**

9. Quæ sportulæ dentur in sententiam aliunde petitam.

10. Expensæ in liberos factæ.

EXTERUS. Vid. Forum. Indigenatus.

EX-

EXPOSITIO. porzucenie.

Expositio Infantum vid. Infans. niemowiątko.

EXPULSIO.

wypuszczanie Vid. Intromissio. Rumatio, Possessio.

FABER.

1. Faber claves adulterinas conficiens

QUi furi consilium dedit vel opem tulit, furti reus habetur, qui scalas furi accommodat, quibus in alienam domum furandi causa conscendat, quique in furis usum januam vel fenestram apertam habet, quive faber sciens claves adulterinas, vel alia ferramenta ad furti usum accommodata conficit, vel aliis hujus generis modis furi fert suppetias, is æque furti tenetor ac fur ipse, qui res amovit, isque æque cum fure ab infelici cruce vel arbore suspenditor. Emend. l. 5. c, 67. Revis. l. 5. p. 2. t. 16. §. 5.

FACTOR.

1 Domini pro suis factoribꝰ seu negotiorum gestoribus obligantur.

CUm in hominis negotiis & omnimodis maritimis mercaturis in propria persona non omnia expediri possint, ideo postulat communis negotiatio & mercatura, aliorum quoque hominum auxilium & assistentiam, tum aliquem suis rebus & negotiis mercator præponit, & illa per ipsum administranda curat, utpote cum navi maritimæ nauta præficitur, ad mercaturam certi factores, & negotiorum gestores, seu his similes; tunc dominus seu constituens, qui illos talibus rebus præposuit; ex illorum contractibus obligatur, illudque quod gesserint & fecerint acceptum & ratum habere tenetur, nisi negotiorum gestores cum certis mandatis & ad certas res & negotia præstituti fuerint, tunc hasce excedere non debent nec possunt, & si id fecerint illorum propriæ

propriæ perſonæ tantum obligabuntur, nec ullus alius. Rev. l. 4. t. 9. art. 1. Factoribus vel aliis negotiorum geſtoribus, cum negotiis, mercibus, cum creditis & bonis perfide agentibus, & ex propoſito dolo malo & fraudulento modo reliquos homines damnificantibus, id pro perfidia cenſendum eſſe & infamiam & honorem ipſorum attingere, Jura volunt; hinc illorum etiam res & bona absque præcedenti proceſſu eo caſu arreſtari poſſunt, & ubi exinde ſolutio fieri non poſſit, pro ſuis perſonis ad exemplum aliorum, aqua & pane obſtringi & carceribus detineri debent. l. c. art. 2. Factore vel negotiorum famulo extra ſuum mandatum & famulitium ſingulare negotium habente, tunc propterea dominus, qui eum ſuis negotiis præfecit, non obligabitur. l. c. art. 3.

2. Pena factorum perfide agentium.

3. Factor ſuum mandatum excedens

FACTUM.

FActum recens intelligimus, cum quis in ipſo facinore palam deprehenditur, vel poſt facinus recens admiſſum ex fuga retrahitur: item, qui res furtivas, vel per rapinam amotas in ædibus ſuis cuſtodit: quive furtivum quidpiam per feneſtram vel oſtium in cœnaculum vel habitationem ſuam projecit; quive cum telo vel armis, quibus ad offenſionem pacis publicæ fuerat abuſus, comprehenditur, eoque modo comprehenſus cum infauſta vociferatione in Judicium pertrahitur. Omnes hi recentis facinoris notam incurrunt. Emend. l. 5. c. 2. Corr l. 2. c. 18. Sub pœna viginti florenorum Hungaricalium, quorum medietas Palatino, altera parti læſæ cedat, absque ulla remiſſione perſolvenda, Nobiles & eorum ſubditi, autoritate ſeu poteſtate Civili, non capiantur, detineantur aut arreſtentur. Nec Nobiles autoritate propria capiant aut detineant Cives vel eorum ſubditos, ſed unusquisque coram Judice ſuo ordinario conveniatur, & Juſtitiam requirat, niſi in caſibus recentibus & actionibus Criminalibus, prout pax perpetua diſponit, ſtatuens, quod delinquens in loco delicti deprehenſus, & contrahens de contractu recenti in loco contractus poterit conveniri.

1. Quid ſit factum recens.

2. Factum recens quodcunq; forum absq; conſideratione perſonæ admitit.

veniri. Vid. Constitutiones Sigismundi Regis Terrar. Pruss. ab anno 1583. §. 16.

FALSUM.

1. Falsa relatio ministerialis.

SI probari in Jure poterit, Citationem a Ministeriali vel omnino non insinuatam, vel non legitime insinuatam aut publicatam fuisse, illeque nihilominus diversam relationem fecerit, per carnificem virgis publice cædi, auribusq; & naso mutilari, & ab Officio removeri debet, de quo coram Officio Palatinali terminum habebit. Jus Terrest. t. 6. c. 1. §. 11. Si penes quempiam adulterinæ literæ deprehendantur, quas ob pecuniam eo falsitatis genere mutuandam, vel ad alterius nomen sceleri suo præficiendum conscripserit, erit in eum falsi animadversio, modo juxta Juris ordinem de crimine sit manifesto convictus. Em. l. 5. c. 58. Correct. l. 3. c. 60. Revis. prolixius loquitur: Qui falsa sigilla, literas, instrumenta, libros & Regestra conficit, iisdemque sciens & de industria Judicialiter vel extrajudicialiter utitur. Item, qui acta Judicialia aut Protocolla Officiorum radicat, falsat, mutat, aut ex dolo malo & proposito quocunque modo delet, & plus quam veritatis fuit, in alterius commodum aut detrimentum inscribit, ille per omnia falsum committit, & pro sua qualitate & ratione delicti, animi & damni, vita plecti debet. Revis. l. 5. p. 2. t. 18. art. 3. Cum quis alium in Jus vocat, eumque accusat, vel ob literas falso confectas, vel ob debitum, vel ob vim sibi allatam, reus autem ad Judicium suis vicibus ordine constitutum defendendi sua gratia non veniet, actor causam eam in reum Jure obtinuit, sic ut intra dies quatuordecim ille rem judicatam facere jubeatur, nisi quod gravius impedimentum obvenerit. Itaque cum actor omnes actiones suæ partes in reum solenniter peregerit, ut testimonio Judicis & Scabinorum executio sit decreta in dies quatuordecim, in dies octo, in triduum, tandem in diem unum. Bona rei ob eam causam, quam actor Jure vicit manu & auctoritate Judicis capiantur, & reo usus & aditus

2. De falsis literis.

3. Additamenta Juris revisi.

4. Processus criminis falsi.

tus illorum interdicatur. Sin reus in eo foro nulla bona possideat, Judex eum edicto suo circumscribat: Ubicunque tum actor illum apprehenderit detinendi ac impediendi, absque Judice Jus habebit propter rem in eum judicatam: nec reus innocentiam prætendere poterit, sed debitum quanti judicatum est exsolvere cogetur. Ob vim vero factam adversus eum decernetur uti in pacis publicæ violatores legibus sancitum est. Oportet autem ut Actor fractæ pacis reum evidenter convinciat, ut in eum falsi Judicium exerceatur. Si Actor reum antea de crimine falsi, de debito, vel de pace violata in Judicio suspectum non fecerit, etiam nunc actionem intendere non prohibetur, si reus factum agnoscit, pœnam Jure constitutam patietur: Si negat, innocentiam Jurejurando comprobabit. Emend. l. 5. c. 59. Correct. l. 3. t. 59. Falsum vocatur, quando ex proposito, fraudulento modo, in præjudicium & damnum alterius veritas occultatur, & pro ea quid aliud inducitur & insimulatur. Revis. l. 5. p. 2. t. 18 art. 1. De falso Testimonio vid. Testimonium. Falsis libripendiis, mensuris & ponderibus, prout etiam variis falsis negociationibus & mercaturis aromatum, similiumq; nemo usurpare præsumat: Qui contra fecerit, & hujusce convictus fuerit, is pro qualitate & magnitudine admissi, carceribus, mulcta pecuniaria, vel etiam publica fustigatione & relegatione puniri debet. Prætereaque falsis mercimoniis privari & cadere. l. c. art. 4. Si apud aliquem testamenta occlusa vel aliæ obsigillatæ scripturæ depositæ fuerint, a Depositario ex proposito aperte & diversæ parti notificatæ fuerint, is desuper committit falsum, & ideo accusatus etiam tanquam falsarius pro qualitate causæ puniri debet. Revis. l. c. art. 5. De falsa Moneta vid. Moneta. Qui sibi ipsi alienum nomen vel cognomen dederit, vel alioquin cujuscunque status glorietur, ad defraudandum, vel per hoc alios homines ad decipiendum, is falsum committit, & pro qualitate personarum & circumstantiarum arbitrarie punitur. Revis. l. c, art. 7. Qui malitioso & periculoso modo signa limi-

5. Quid sit falsum.

6. Falsa mercatura.

7. Sigillorum effractio alienorum.

8. Qui alienum nomen assumpsit.

9. Terminus motus.

limitania amoverit, abſciderit vel ſuſtulerit, is ideo in corpore pro qualitate cauſæ puniri debet: Si vero id ex propoſito in talibus ſignis limitaneis pro dirigendis navigationibus & directione velorum poſita factum fuerit, is gladio puniri debet. l. c. art. 8. vid. plura Condeſcenſio. Poſtquam in hoc

10. Criminis falſi variæ circumſtantiæ.

maleficio circumſtantiæ obveniant variæ & omnimodi caſus in hocce accidere poſſint, tunc nulla certa pœna illinc præſcribi debet, ſed quilibet diſcretus Judex cauſarum & perſonarum qualitates bene ponderabit, & ex hisce perſpiciet, quali propoſito & dolo malo vel fraude, item quoties & multoties id factum, in quantum cauſæ valuerint, & quanti enormitas læſionis & damni æſtimata fuerit, it. An iſta læſio ſolummodo privatum, & unicum hominem, vel etiam publice totam Regionem & Civitates concernat & attingat, & etiam pro talibus & ſimilibus circumſtantiis Judex ſuam ſententiam moderandam judicabit. l. c. art. 9. De falſo Inventario vid. **Inventarium.**

FATUUS, Vid. Teſtimonium, Forum.

FAMOSUS LIBELLUS.

1 Pœna famoſi libelli.

SI quis aliquem famoſis Scriptis vel Libellis hisque ſimilibus a ſe divulgatis, & ſuo baptiſmali nomine & cognomine non ſubſcriptis injuſto innocenter nomine affecerit, crimina & facinora objecerit, & iſta talia fuerint, ut ſi vera reperirentur, læſus in ſuo corpore vita & honore criminaliter puniendus foret, tunc malitioſus ille obtrectator hac eadem pæna, in quam innocentem cum ſua minus veraci & famoſa Scriptura traducere voluerit, coërceri & puniri debet; & præterea iſti famoſi libelli quotquot fuerint inventi, publice per carnificem concremari debent, etiamſi diffamatio per ſe fuerit vera, attamen ratione ejusmodi inordinatæ & iniquæ attentationis propoſitæ, arbitrarie pro qualitate exceſſus puniri debet. Reviſ. l. 5. p. 2. t. 20. art. 3.

FERA.

DE qualibet fera Magistro Ordinis Teutonici, quam incolæ Terrarum Culmensium vel eorum homines ceperint, exceptis ursis, porcis & capreolis, armum dextrum reddere tenebantur, vid. Privileg. Culmens. §. 6. vid. plura Venatio.

FERIÆ.

Consignatio Dierum Feriatarum in Judiciis Terrarum Prussiæ observandarum.

JANUARIUS.

1 Circumcisionis Christi.
6 Trium Regum.
20 Fabiani & Sebastiani.
25 Conversionis S. Pauli.

FEBRUARIUS.

2 Purificationis B. V. Mariæ.
6 Dorotheæ.
22 Cathedræ S. Petri.
24 S. Mathiæ Ap.

MARTIUS.

4 Casimiri.
12 Gregorii.
17 Gertrudæ.
25 Annunciationis B. V. Mar.
NB. Festorum Paschatis.

APRILIS.

23 Georgii.
24 Adalberti.
25 Marci Evang.

MAJUS.

1 Philippi & Jacobi.
3 Inventionis S. Crucis.
8 Stanislai.
NB. Ascensionis Domini.
NB. Pentecostes.
NB. SS. Corporis Christi.

JUNIUS.

24 S. Joannis Baptistæ Nativitatis.
29 SS. Petri & Pauli.

JULIUS.

2. Visitationis B. M. Virginis.

AUGUSTUS.

1 Petri in Vinculis.
4 Dominici.

JULIUS.	AUGUSTUS.
13 Margarethæ.	6 Transfigurationis Christi Domini.
15 Divisionis Apostolorum.	10 Laurentii.
22 Mariæ Magdalenæ.	15 Assumptionis B.Mar.Virg.
25 S. Jacobi.	20 Bernardi.
26 S. Annæ.	24 Bartholomæi.
	29 Decollationis S. Joannis Baptistæ.

SEPTEMBER.	OCTOBER.
8 Nativitatis B. Mariæ Virginis.	4 Francisci.
14 Exaltationis S. Crucis.	7 Brigittæ.
21 Matthæi Ap. & Evang.	15 Hedvigis.
29 Michaëlis Archang.	18 Lucæ Evang.
	21 Ursulæ.
	28 SS. Simonis & Judæ.

NOVEMBER.	DECEMBER.
1 Sanctorum omnium.	4 Barbaræ.
2 Animarum.	6 Nicolai.
11 Martini.	8 ConceptionisB.Mar.Virg.
19 Elisabethæ.	13 Luciæ.
21 Præsentationis B. Mariæ Virginis.	21 Thomæ Ap.
25 Catharinæ.	25 Nativitatis ChristiDomini cum sequentibus festis.
30 Andreæ.	30 Davidis.

1. Quid sint feriæ & dies ligati.

Feriæ sunt omnes dies Dominicæ & reliquæ dies in honorem Dei & memoriam SSti nominis a Christiana Ecclesia solenniter celebrari, constitutæ. Ligati autem dies sunt, qui alias Christianæ & Politicæ necessitatis gratia, de Jure Feriati statuti sunt, prout sunt tempus Adventus ante Nativitatem Christi dies 70. ante Pascha, hebdomade Crucis, mensis Augusti & tempus Messium. Revis. l. 2. t. 15. art. 1. In feri-

2. Die feriata Judicialia cessant.

atis & ligatis diebus nil tale simile suscipi vel tractari debet, quod ad Judiciales controversias & actus quocunque modo perti-

pertinere posset, & quod factum fuerit in his diebus qui in honorem Dei celebrantur, de Jure invalidum & nullum censeri debet. Ubi vero in his diebus ligatis partes expensæ & præsumptive hujusmodi libertati renunciaverint, id quod tali modo factum est, validum & firmum pronunciandum est. l. c. art. 2. Diebus Feriatis ne Juramentum exigito, neve jurato, exceptis iis causis, quæ hoc capite recensentur, nimirum in sanctione pacis publicæ juramentum etiam Feriato die recte præstatur. Sic jurare licet adversus eum, qui in recenti facinore captus est, licet Feriæ tempus eximant. Qui pacem publicam turbat diebus Feriatis, is Feriarum beneficio vel exceptione nequaquam fruitor. Quodcunque Juramentum die Feriato, per sponsionem receptum est, id sua die, qua venerit exsolvito. Emend. l. 2. c. 60. Corr. l. 5. c. 63. Revis. l. 2. t. 20. art. 6. Nulla mercatura vel permutatio ratione fundorum aut prædiorum sancto aut Feriato die & Festo fieri debet antequam officium in Ecclesia sit peractum, sub amissione mercium & mulcta trium bonarum marcarum, Revis. l. 4. t. 5. art. 15. Nullus famulus contubernalis diem Lunæ vel reliquos dies operarios feriare debet, si non ordinarie Feriatæ dies in hasce dies inciderint, sub pœna trium marcarum. Quilibet servus tenetur fideliter servire, nec ullo unquam die tam Feriato quam operario absque consensu domini sui exire debet; quod si vero ipsi concessum fuerit exire, tunc sub pæna ad præstitum tempus se se sistere oportet. Revis. l. 1. t. 8. art. 4.

3. An die feriata Juramentum præstari debeat.

4. Die feriata nulla mercatura exercenda.

5. Famulis opificum aut servis non licitum est diem lunæ aut alios feriare.

FERRUM.

Fodina ferri libera est concessa incolis Prussiæ, Privil. Culmens. §. 6.

FEUDUM.

ADhæc statuimus, ut si qua forte quæstio contra aliquem de bonis suis orta fuerit, si possessor vicinos ac alios conterraneos suos, quibus notum fuerit, rem taliter se habere,

1. Privilegia feudalia.

bere, & testimonium justæ possessionis habuerit, potius debeat obtinere bona illa, quam is, qui eum impetit, ab ipso eadem bona alienet. Absolvimus autem prædictos Cives ab omnibus collectis injustis & hospitationibus coactivis aliisq; exactionibus indebitis, ad omnia bona eis attinentia hanc gratiam extendentes. Porro eisdem Civibus nostris vendidimus bona sua, quæ a domo nostra habere noscuntur, ad hæreditatem Flammingicalem, ipsis & eorum hæredibus utriusque sexus, ea cum omnibus proventibus in perpetuum libere possidenda, salvis tamen his, quæ domui nostræ per

2 Reservationes dominorum.

totam terram duximus retinenda. Retinemus enim Domui nostræ in bonis eorum omnes lacus, castores, venas salis, auri argentique fodinas, & omne genus metalli, præter ferrum, ita ut tamen inventor auri, sive is, in cujus bonis inventum fuerit, idem Jus habeat, quod in terra Ducis Silesiæ, in hujusmodi, talibus est concessum, inventor autem argenti, sive is, in cujus agris inventum fuerit, Jus Fribergense in

4. Permutatio lacus cum agro.

hujusmodi inventione, perpetualiter obtinebit. Quod si lacus aliquis ad tres tractus sufficiens, agris alicujus prædictorum Civium adjunctus fuerit, cujus agri sunt, eundem lacum loco agrorum acceptare voluerit, in sua ponimus

4. Libera Piscatura.

optione. Si vero major fuerit, quocunque instrumento in eo piscari voluerit, ad commodum duntaxat mensæ suæ præter rete, quod Newod dicitur, habeat liberam facultatem.

5. Molendinum.

Item si rivus aliquis agros alicujus Civis attigerit, ei, cujus agri fuerint, solummodo molendinum ædificare liceat in eodem: Si vero idem fluvius aptus fuerit pluribus molendinis, domus nostra in construendis eisdem aliis tertiam partem priorem sumptuum faciat, & percipiat, perpetualiter tertiam partem, usuum de constructis.

5. Feræ.

Volumus etiam, ut de qualibet fera quam ipsi vel eorum homines ceperint, exceptis ursis, porcis & capreolis, armum dextrum Domui nostræ reddere teneantur. Sane quod de Lacubus, molendinis seu feris posuimus, ad illos duntaxat Cives extendimus, qui â Domo nostra, sicut supra dictum est, hæreditati esse noscuntur.

6. Feudorum venditio.

Ipsis etiam hanc contulimus libertatem, ut bona

bona sua, quæ a Domo nostra possident, vendendi talibus sane, qui Terræ ac Domui nostræ, bene competant, habeant facultatem, ut hi, qui ea emerint, de manu fratrum suscipiant, & Domui nostræ ad idem Jus, idemque servitium teneantur, quod illi nobis exinde facere debuerunt, & nos ea ipsis porrigere sine ulla difficultate debemus. Licentiamus etiam, si forte aliquis antedictorum Civium, necessitatis causa allodium suum, vel X. mansos ad majus, ab aliis bonis suis separare voluerit & vendere separatim, is idem Jus idemque Servitium Domui nostræ, debebit facere de reliquo, quod prius de toto noscitur debuisse. Is vero qui idem allodium vel X. Mansos emerit, debet ratione ejusdem allodii, cum armatura, quæ Plata vulgariter dicitur, & aliis levibus armis, & uno equo, ad arma talia competente, Domui nostræ ad tale obsequium esse adstrictus, quale inferius plenius describetur, addentes, ut nullus eorum, qui nunc a Domo nostra hæreditati esse noscuntur, hæreditatem aliquam possit emere præter unam. Statuimus siquidem, ut, quicunque XL. Mansos vel amplius a Domo nostra emerit, is cum plenis armis & dextrario operto, & armis talibus competente, & equis duobus ad minus equitet. Qui vero pauciores mansos habuerit, cum Plata & aliis levioribus armis, & uno equo, ad arma talia competente, debet cum fratribus nostris, in expeditionem, quoties ab eis requisitus fuerit, pergere contra Pruthenos, qui Pomezani largo vocabulo nuncupantur, & contra omnes Terræ Culmensis turbatores. Cum vero præfati Pomezani in terra Culmensi, præstante Domino, fuerint ulterius merito non timendi, omnes Cives prædicti ab omnibus expeditionibus sunt exempti; ad defensionem tamen terræ videlicet usque ad Wissam, Ozzam & Driwanzam cum Fratribus procedere tenebuntur, ut prædictum est, contra terræ quoslibet invasores. Item statuimus, ut quilibet homo, hæreditatem a Domo nostra habens, fratribus nostris solvat exinde unum nummum Coloniensem, vel pro eo quinque Culmenses & pondus duarum Marcarum ceræ, in recognitionem Dominii, & in signum, quod eadem bona sua habet a

7. Servitium bellicum Vasallorum.

8 Census feudales in recognitionem Dominii.

Domo nostra, & nostræ debeat Jurisdictioni subesse, & Nos eum favorabiliter confovendo contra eos, qui ei injuriam intulerint, debemus, in quantum possumus, nostrum præsidium impartiri.

9. Terminus exsolvendi census.

Prædictum autem censum singulis annis in die Beati Martini, vel ab ipso ad XV. dies dare debent. Quicunque autem in prædicto termino non dederit censum suum, taliter puniatur: Post primos XV. dies in X. solidis, illapsis vero aliis XV, nisi persolverit, X. solidorum debito sit adstrictus; item evolutis aliis XV. diebus tertio in aliis X. solidis, si non solverit censum suum puniatur, & nunc pro his XXX. solidis & pro censu suo tempore non soluto, ejus pignora, sine omni contradictione, accipi faciet, & habebit accepta, donec ei satisfaciat, Domus nostra.

10 Denegatio obsequiorum.

Item si forte aliquis debitum obsequium suum, quod Domui nostræ debere dignoscitur, in expeditionibus peragendis, non impenderit & absens fuerit, provisor terræ de bonis absentis alium statuat loco sui, sic ut Domus nostra sui Juris in hac parte sentiat nullatenus detrimentum. Item statuimus, ut si forte aliquis ex supradictis Civibus recedens a Terra pactiones suas Domui nostræ non fuerit prosecutus, eidem infra XVIII. septimanas tres termini cum sententia præfigantur; Quod si infra easdem XVIII. septimanas non satisfecerit, pœnæ XXX. solidorum nostræ Domui reddendorum subjacebit; Et si nec tunc emendaverit, singulis sex septimanis ad satisfactionem in totidem Culmensis monetæ solidis compellatur; Si vero infra annum neglexerit emendare, Domus nostra se de omnibus bonis suis, donec satisfaciat ei de omnibus, intromittat.

11. Decimæ aratrales.

Volumus autem, ut de bonis prædictorum Civium, de quolibet aratro Theutonicali, unus modius tritici, & unus siliginis in mensura Wladislaviens. quæ vulgari nomine Scheffel dicitur, cui mensura, Culmensis est adæquata, & de Polonicali aratro, quod Hake dicitur, unus modius tritici, in eadem mensura annuatim Diœcesis Episcopo pro decimis persolvatur. Si vero idem Episcopus prædictos homines pro aliis decimis angariaverit, pro his Domus nostra tenebitur respondere.

12. De cudenda moneta.

Item statuimus, ut una moneta, Culmensis videlicet, sit

ſit per totam Terram, & ut de puro & mundo argento denarii fabricentur; ipſi quoque Denarii in tanto valore perpetualiter perſeverent, ut eorum LX. ſolidi ponderent unam Marcam, & dicta Moneta non niſi ſemel in ſingulis decenniis renovetur, & quoties renovata fuerit, XII. novi nummi pro XIV. veteribus cambientur, ut unusquisque libere emat quamcunque rem, quæ venalis in foro portari conſvevit. Item quantitatem Manſorum juxta morem flammingicalem ſtatuimus obſervari. Abſolvimus etiam totam terram prædictam ab omni penitus telonei exactione. Privil. Culm. 13. Quantitas manſorum & abſolutio a Teloneo.

§. 6. D. Caſimirus Rex abrenunciavit devolutioni bonorum hæreditariorum quæ ſibi & Dominio ſuo Jure Feudi cedebant & debebantur, ac ab eadem recedens, Succeſſionem poſteris in terris Pruſſiæ eorum in perpetuum donavit: hoc duntaxat, pro ſe & Succeſſoribus ſuis excipiendo & reſervando, quod quilibet dignitarius & terrigena terrarum Pruſſiæ ad bellicam expeditionem, quotiescunque neceſſitas exoptaverit, illam per Regem & Succeſſores ſuos indici, in armis & equis decentibus, quilibet juxta continentiam Privilegii ſui tenorem: alias, qui careret Privilegio, ſecundum facultatem bonorum ſuorum, ſervire, erit obligatus & obſtrictus, prout & alii incolæ Regni Polonici ad hoc ipſum obligantur Servitium. 14. Succeſſio in Feudis. 15. Servitium bellicum.

Præterea voluit Rex, ut omnes & ſinguli præfati Subditi ſui, in recognitionem Dominii, prout etiam prius ſolitum erat, pro quolibet Feſto S. Martini denarium Culmenſem, vel loco ejus quinque allenſes Pruthenicales, cum uno talento ceræ albæ Regi & Succeſſoribus ſuis, ac Officialibus ad exigendum per Regem Deputatis dent, ſolvant & conſignent. 16. Cenſus feudalis.

Inſuper voluit Rex, quod nullus Dignitariorum & terrigenarum in lacubus Jus habeat, præter quod antiquitus habuit, tempore Magiſtri & Ordinis, neque etiam de illis lacubus ſe intromittat, quorum Piſcatura ad Magiſtrum & Ordinem pertinebat, eſto quod lacus prædicti hæreditates aliquorum contingant vel eis contineantur. Vid. Privil. D. Caſimiri Regis in Caſtro Marienburgenſi editum Anno 1476. 17. Lacus.

Divus Sigiſmundus ſequenter ſancit, ut Eccleſiaſtici bona terreſtria Eccleſiis aſcribenda 18 Eccleſiaſtici non bona

terrestria suis Ecclesiis attribuant. benda & approprianda sive incorporanda, absque speciali consensu nostro a modo non nisi a suis Vasallis emant, ne obsequia nobis ex ipsis debita intereant; Pro se vero privatim illa emere possunt, quæ si in vita sua non alienaverint, aut cuipiam non donaverint, ad eorum propinquos & consangvineos devolvantur.

19 Cives bona terrestria & Nobiles bona Civilia possunt emere. Civibus bona Terrestria, & Nobilibus Civilia bona liberum sit deinceps emere, ita tamen, quod ad patria onera utrinque ferenda sint obligati, quod scilicet Cives ratione bonorum Terrestrium, omnia Nobilitatis onera, & Nobiles ratione Civilium bonorum, omnia Civilia onera, æquis passibus ferant. Vid. Constitutiones Sigismundi Thorunii editas Anno 1538. §. 19. & 20. De Donatione fundi seu Feudi videatur **Fundus.**

20. Monachus amittit feudum suum. Si Vir liberum suum qui minorennis est ad votum Monachale adstringit & simul in Monasterium mittit, durante vero minorennitate eundem ex Monasterio revocat, tunc minor ille fundos & feudalia sua hæreditaria, tanquam nunquam Monachus factus fuerit, retinet. Eodem Jure fruitur etiam Virgo, sic tamen, ut puer nondum annum vigesimum primum, Virgo autem decimum octavum nondum exiverit. Si vero Juvenis 21. Annos natus se voto Monasteriali in conventu consecraverit, tunc fundos & bona hæreditaria ut & feudalia amittit, & ejus feudum sive ejus Dominus, sive ejus proximi hæredes recipiunt. Idem Juris obtinet circa Virginem plusquam 18. annos nata. Si vero Virgo eat inficias se nondum annum 18. adeptam esse, tunc testimonio suorum Parentum, Consangvineorum, aliorumque hominum convinci debet, qui per Jusjurandum liquidum faciant quod jamjam sit majorennis, & per hoc paternam & omnem hæreditatem amittit, videatur Jus Correct. l. 5. c. 50.

21. Quando Maritus sit Monachus. Si maritus sine consensu suæ Consortis legitimæ se Ordini conventus alicujus Monachorum dedicaverit & eapropter ab uxore sua in Jus vocatus fuerit, tunc Ordinem suum relinquere debet, & tamen sua feudalia Jura & bona retinet, neque Domino feudi retro danda sunt. Nam unicuique Marito equidem liberum est Sagum suum absque consensu suæ Uxoris deponere & armis secularibus vale-

valedicere, nihilominus tamen salvum & integrum vinculum matrimoniale manet. Correct. l. 5. c. 51. Quando Dominus Vasallum suum ratione Feudi conveniat vid. **Dominus.** De Feudo Leoburgensi & Bythoviensi. vid. **Leoburgum.**

FIDEJUSSIO. Vid. Cautio.

FIDELITAS.

Juramentum Fidelitatis vid. **Rex.**

FILIUS.

DE ludo Filii vid. **Alea.** Quando Pater pro Filio intercedat. vid. **Defensio.** De testimonio Filii in causa Patris, vel vice versa, vid. **Testis.** Filius in causa criminali Parentis sui non tenetur respondere. Revis. l. 5. p. 1. t. 10. art. 2. vid. plura **Hæreditas. Liberi.**

FINIS. LIMES seu TERMINUS.

SI quis tumulos vel veteres vel nuper judicialiter constitutos, vel alia signa metalia, seu integra, vel ex parte aliqua disjecerit, exciderit, corruperitque, terminum in Judicio Terrestri habebit. Ex actoris & citati controversiis, absq; quavis mora, & dilatione de medio sui duos Scabinos ad indagandam rei veritatem, partibus termino constituto, in campum mittet. Et si compertum sit, limitem temere violatum corruptumve esse ibidem in instanti præsentibus Scabinis violatum limitem citatus restaurabit. Ratione vero pœnæ quinquaginta aureorum in Judicio Terrestri in primis terminis Terrestribus conservatum terminum peremptorium habebit. Iisdem pœnis tenebitur, qui privatim sine autoritate Judicii limites signaque alia limitanea erexerit, con- 1. Pœna termini moti.

conſtituerit, feceritve. Quarum pœnarum nomine eodem omnino modo, quemadmodum contra legitimi termini motorem contra eum procedetur. Jus Terr. t. 7. § 24. 25. Si aliquis reali aliqua injuria, ob limites controverſas, agro, frumentis, & id genus ſimilibus, damni aliquid dederit, ejusmodi cauſas non Palatinus, ſed Judicium Terreſtre judicabit, ſecundumq; exigentiam rei de iis decernet. Jus Terreſt. t. 5. §. 29. Si quis in controverſia finium aut ſimili fundum vel limites oculis ſubjici prius oportuiſſe docuerit; priusquam conteſtari eum limitem Judex cogat, in rem præſentem mittet. Jus Terreſt. t. 6. §. 31. vid. plura Condeſcenſio. Falſum. De finibus areæ vid. Area. Defenſio Finium Capitaneatus vid. Capitanus. Statuimus, ut ſi qua forte quæſtio contra aliquem de bonis ſuis orta fuerit, ſi poſſeſſor vicinos ac alios conterraneos ſuos, quibus notum fuerit, rem taliter ſe habere, & teſtimonium juſtæ poſſeſſionis habuerit, potius debeat obtinere bona illa, quam is, qui eum impetit, ab ipſo eadem bona alienet. vid. Priv. Culmenſ. §. 6.

2. Injuria realis ex controverſiis ratione limitum.

3. Controverſiæ finium cardo eſt, poſſeſſio.

FISCUS.

JUre noſtro receptum eſt, ut omnes creditores qui in Terris Pruſſiæ domicilium conſtitutum habent, & bona debitoris intra diem annuam nexu pignoris obnoxia fecerint, ac Jus pignorationis ordine ſuo produxerint, eodem Jure ſimul admittantur. Si non tantum in bonis eſſe appareat, ut omnium debitis plene luendis ſufficiant pro rata portione ſolutionis modus conſtituetur, excepto Fiſco Regio, in debitis non in pœnis, pupillis, piis locis & communitatibus Privilegio utentibus, nec non iis, qui jam tum executionem rei judicatæ, vel pignoris prærogativam, vel inſcriptionem Judicialem in bona debitoris obtinuerunt. Si quis autem intra diem annuam neque pignoris nexum injecit, neque Jure debitum exegit, non eſt, quod deinceps ejus deſiderium audi-

1. In concurſu Creditorum Fiſcus præ aliis Creditoribus habet prærogativam.

audiatur vel admittatur. Emend. l. 4. c. 75. Revis. l. 2, t. 24. art. 3. vid. plura Mercatura.

FLAMMINGICALE JUS.

Civibus Terræ Culmensis vendidimus bona sua, quæ a Domo nostra habere noscuntur ad hæreditatem Flammingicalem, ipsis & eorum hæredibus utriusque sexus, ea cum omnibus proventibus in perpetuum libere possidenda, salvis tamen his, quæ domui nostræ per totam Terram duximus retinenda. Item quantitatem mansorum juxta morem Flammingicalem statuimus observari. vid. Privil. Culm. §. 6. 1. Successio & mansi computantur secundum Jus Flammingicale.

FLUMEN.

Si rivus aliquis agros alicujus Civis attigerit, ei, cujus agri fuerint, solummodo molendinum ædificare liceat in eodem: Si vero idem fluvius aptus fuerit pluribus molendinis, domus nostra in constituendis eisdem aliis tertiam partem priorem sumptuum faciat & percipiat perpetualiter tertiam partem usuum de constructis. vid. Privileg. Culmens. §. 6. 1. Molendinum. Ne in fluminibus Terrar. Prussiæ ab antiquo Navigabilibus quibuscunque obstacula fiant, ut tam piscibus quam navibus & lignis liber transitus permittatur; bonis ac Juribus nostris Regalibus & quorumcunque Privilegiis antiquis, & præscripta consvetudine, salvis. vid. Constitutiones Sigismundi Regis ab An. 1538. §. 17. plura vid. Navigium. 2. Navigatio.

FODINA.

Retinemus Domui nostræ in bonis eorum omnes lacus, castores, venas salis auri argentique fodinas, & omne genus metalli præter ferrum, ita ut tamen Inventor auri sive is, in cujus bonis inventum fuerit, idem Jus habeat, quod in Terra Ducis Silesiæ, in hujusmodi, talibus est concessum. 1. Crucigeri sibi auri argentiq; fodinas, tanquam regale, reservaverunt.

Inven-

Inventor autem argenti, sive is, in cujus agris inventum fuerit, Jus Fribergense in hujusmodi inventione perpetualiter obtinebit. Privil. Culm. §. 6.

FOEMINA.

1. Fœmina abortum causans aut infanticidium patrans.

Mulieres quæ per potus & alia media sibi ipsis fructus sui corporis abigunt. Si abactus partus jam fuerit vitalis tunc mulier pœna gladii, si vero minus vitalis fuerit perpetua relegatione puniri debet. Mulieres infantes suos post partum clam interficientes, in eo convictæ & confessæ, tanquam homicidæ dolosi rotæ imponi vel vivæ sepeliri & suffocari debent. Revis. l. 5. p. 2. art 4. 5.

2. Fœmina potest esse testis.

Fœminæ possunt esse testes nisi in eis causis, quibus eas Jure prohiberi expresse receptum est. Emend. l. 2. c. 50. Vid. plura **Testis.**

3. Si mulier ob cædem aut vulnerationem accusetur.

Si mulier in recenti facinore cædis aut vulnerationis deprehendatur, majoris est rationis, ut Actor eam testimonio fidedignorum hominum convincere possit, quam innocentiam illa prætendere, quo minus Judicium patiatur. Si mulier accusetur ob cædem vel vulnerationem, cujus Judicium eodem die factum sit, quatenus illa de parendo Juri vadimonium constituit, patior erit ad probandam testibus fidedignis innocentiam suam, quam ut in accusationis periculum conjici debeat. Si Mulier conveniatur ob maleficium comperendinatum, ejus Jusjurandum ad elidendam actionem illi subserviet, ne quod amplius periculum sit expectandum. Emend. l. 5. c. 44. Correct. l. c. 10. Mulier proscripta vid. supra **Bannitus.**

4. Mulieres semper tutores habere debent.

Mulieres in aliena cura & tutela semper sint, & filiæ familias quidem in Parentum aut fratrum, si adulti sint, tutorumve agnatorum, vel iis non existentibus proximorum cognatorum: Uxores cum maritorum consensu, tutore adhibito, liberam disponendi facultatem habeant. Jus Terrest. t. 3. §. 20. Mulieres & Virgines tutoribus semper indigere non est incognitum. Emend. l. 3. c. 58. Revis. l. 4. t. 14. art. 13. De Tutoribus mulieri in litem dandis vid. **Tutor.**

Tutor. Uxor. Si mulier virum conveniat ob crediti causam, eamque in rem testes producere velit, magis probandum est, quod Vir bonorum virorum testatione mulieris actionem elidere possit. Ob maleficium autem, vulnerationes, membrorum mutilationem vel ho micidium, æque mulieri Jus est ac viro, eum qui pacem publicam violaverit in recenti facinore testibus convincendi. Emend. l. 2. c. 53. Correct. lib. c. 63. Stuprum violentum vid. **Stuprum.** 5. Si mulier virum in Jus vocet.

Mulier absque mariti voluntate consensuque res suas sive sint in reditibus possessionibus, sive rebus mobilibus donare non potest: quod ideo constitutum est, quia tutor uxoris est maritus. Virgines & mulieres quæ sunt extra matrimonium, res quidem suas abalienant, sine tutorum consensu, scilicet cum in tutelam suam pervenerint: Hæredes autem earum alienationi contradicere possunt, uti Jure constitutum est. Emend. l. 3. c. 21. Correct. l. 4. c. 20. vid. plura **Donatio.** 6. An mulier sine authoritate tutoris res suas donare possit?

Legum decrevit autoritas, ut virgines & mulieres in omnibus actionibus, pro quovis tribunali, nisi tutores in litem habeant ad agendum a Judice ne admittuntor. Maritus Uxoris tutor est, si præsens sit: sin extra Provinciam agat, uxor auctore Judice tutorem optato, eum scilicet optato, qui vel mariti vel uxoris cognatus aut propinquus sit. Hoc ideo constitutum est, quia majoris gratiæ sunt mulieres in Judicio quam viri. Nam illæ si quæ in Jure verba faciant, vel quoquo modo causæ vel Juri illarum detrimento fraudive esse videantur, modo postea inficias eant, nullius testimonio revelluntur. Si mulieribus Jusjurandum deferatur vel adjudicetur, non tutores illarum sed ipsæmet in conscientiam suam juranto. Tutores pro mulieribus fide jubento, ipsæ autem judicatum faciunto. Hæc tutelæ species tamdiu consistit, quoad maritus domum reverterit, vel quoad ipsa mulier constitutam velit. In singulas enim causas fœminis Jus est novum tutorem optandi & priorem abdicandi. Emend. l. 3. c. 61. 7. De Virginum & mulierum tutoribus in litem dandis.

FORNICATIO.

1. Pœna fornicationis.

QUoniam Scortatio in Decalogo divino graviter prohibita ſit & exprobretur, ideo ejusmodi criminis præcavendi gratia omnes publicæ impudicæ mulieres relegari & expelli debent, & ubi perſonæ maſculini generis in tali vita ſcandaloſa repertæ fuerint, hæ ad exemplum carceribus vel pœnis pecuniariis puniri debent; Reliquæ vero ſolutæ mulieres, quæ non publico ſcortatorio modo, attamen in impudicitia occulte vivunt, ſimiliter temporalibus carceribus, vel etiam pro qualitate circumſtantiarum, aut pluralitate commiſſæ impudicitiæ, Relegatione puniri debent. Reviſ. l. 5. p. 2. t. 12. Vid. pl. Stuprum.

FORTUITUS CASUS.

Vid. Caſus. Damnum. Locatio. Creditor. Mutuum. Servus.

FORUM.

De Foro, Magiſtratu & Judiciis ſecundum Jus Terreſtre.

1 Palatini ſuos Vice-Palatinos habeant

2. Quando Vice-Palatinus Judicia exerceat ſua.

CUm Palatini ob negotia tam Reip. quam ſua, vacare interdum Judiciis non poſſint, integrum eis erit habere Vice-Palatinos, qui quidem ſint Nobiles, indigenæ, ac ibidem poſſeſſionati. Exercebunt autem Judicia ſingulis quatuor ſeptimanis; in Palatinatu nimirum Culmenſi prima menſis cujusque die, durante quidem vita moderni Palatini, alternatim Neofori & Radzini: illo vero decedente, Radzini tantum: in Marieburgenſi, ſeptima ejusdem Menſis Stumæ: in Pomeraniæ, decima quarta, idque Starogardiæ, in oppido Swiecie & Tucholiæ alternatim, durante autem vita moderni Palatini Skarſſeviæ, poſt deceſſum vero ipſius, non niſi in tribus

tribus locis illis ſuperioribus, Skarſſevia omiſſa. Quod ſi in diem feſtum aliquis ex diebus iſtis inciderit, die ſequenti Judicia ordinantur. A feſto autem D. Margaretæ ad feſtum Exaltationis S. Crucis Jura prorſus omnia ſiſtantur ac ſileant, excepta executione rerum judicatarum, & cauſis ex inſcriptione venientibus, quas ſine ulla exceptione temporis ac dilatione judicare ſemper tenebuntur. Judicabunt autem cauſas tantummodo Civiles: Recognitiones quoque atque Inſcriptiones quaſcunque recipient, & rem judicatam exequentur. Vice-Palatini in primis Judiciis, quæ habebunt, Juramentum in hæc, quæ ſequuntur, verba, præſente Nobilitate, præſtent, Juramentumque hoc illorum in publica Acta referatur. Ego N. juro, quia juſte ſecundum Deum, Jus ſcriptum, æquitatem, & Partium controverſias judicabo, recognitionesque ſuſcipiam, divitis & pauperis, amici & inimici, Civis & peregrini diſcrimine ſublato: Et neque favorem, neque odium, neque præmium, neque minas, aut inimicitias aliorum curabo, ſed in judicando ſolum Deum & Jus ſcriptum, æquitatem, Partium controverſias & recognitiones, in hisque omnibus conſcientiæ meæ Judicium ſequar & audiam, rem judicatam fideliter exequar, aliaq; negotia mihi incumbentia pro poſſe meo faciam: Sic me Deus adjuvet, & Sancta Chriſti Crux.

3 De quibus cauſis Vice-Palatinus cognoſcat.

4. Juramentum Vice-Palatini.

Judicia autem Palatinalia ipſi Palatini, moderni quidem quater in anno, ſingulis nimirum quatuor Anni temporibus, habebunt, eademque quatuor ſeptimanis ante publicabunt. Exercebunt autem illa in Palatinatu Culmenſi, Neofori: in Mariæburgenſi, Stumæ: in Pomeraniæ vero, durante vita moderni Palatini vel Starogardiæ, vel in oppido Swiecie, vel Tucholiæ, vel Skarſſeviæ. Qui vero inpoſterum conſtituentur Palatini, ſingulis quibusque octo ſeptimanis Judicia habebunt, & ita quidem, ut in Culmenſi Palatinatu, Radzini ſemper habeantur; in Mariæburgenſi, Stumæ; in Pomeraniæ alternis vicibus Starogardiæ, in oppido Swiecie & Tucholiæ. Judicare poſſunt eadem omnia, quæ & Vice-Palatini, ac inſuper Cauſas bannitionum, invaſionis domeſticæ, & quæcunque ex præſcripto Conſtitutionum Terrarum

5. Judicia Palatinalia quando exerceantur.

6. Quas cauſas Palatinus judicet?

Prussiæ ad illorum Judicia spectant. Palatini in primis Judiciis suis iisdem, quibus Vice-Palatini, verbis Juramentum Corporale, præsente Nobilitate, præstabunt idque Juramentum ad acta publica referetur. Ego N. juro, quia juste secundum DEUM, Jus scriptum, æquitatem & partium controversias judicabo, recognitionesque suscipiam, divitis & pauperis, amici & inimici, civis & peregrini, discrimine sublato. Et neque favorem, neque odium, neque præmium, neque minas, aut inimicitias curabo, sed in judicando solum DEum, & Jus scriptum, æquitatem, partium controversias, & recognitiones, in hisce omnibus conscientiæ meæ Judicium sequar & audiam, rem judicatam fideliter exequar, aliaq; negotia mihi incumbentia pro posse meo faciam: Sic me DEUS adjuvet & sancta Christi Crux. Judicium causamve nullam Palatinus vel Vice-Palatinus prorogare, diemque Judiciis præfinitum proferre poterit, nisi forte utriusque partis consensu & postulatu id fiat: Mulctas etiam nullas, nisi quæ vel Jure expressæ sint, vel in quas nominatim quis se obligavit, decernet. Si privato cum Palatino in causa ad Judicium Palatinale pertinente, controversia intercesserit, Palatinus apud vicinum Palatinum respondere debet, utrum Actor elegerit, is de controversia cognoscere, & rem judicatam exequi tenebitur. Si Palatinus ejusve Vice-Palatinus causas officii sui statis temporibus non judicarint: Decreta tam a se lata, quam ab aliis quibusvis Judiciis ad se remissa non executus fuerit; aut quo alio modo contra officium suum peccarit, metasve ejus excesserit, eo nomine ad Tribunal Regni citatus, prima vice pœnam centum aureorum committet, altera vice in damnis condemnabitur. Notarius Palatini in eodem modo Nobilis, possessionatus, juratusque sit. Quod si plebejum aut impossessionatum habuerit, ille itidem juratus sit: Factum autem ejus, si qua in re peccaverit Palatinus præstabit, de eoque conventus respondebit. Judices Terrestres eligi debent in locis, conventibus particularibus destinatis: in Pomeraniæ autem Palatinatu, & Terra Michaloviensi in locis, in quibus Judicia celebrari consveverunt,

7. Juramentum Palatini.

8. Palatinus aut Vice-Palatinus non prorogant Judicium.

9. Mulctæ.

10. Forum Palatini.

11. Si Palatinus aut Vice-Palatinus Jus non administret.

12. Palatini Notarius.

13. Judices Terrestres.

runt, ab universa Nobilitate in conventibus per Palatinos intra sex septimanas a defuncti excessu indicendis ; qui quidem Judices cum a Rege confirmati fuerint, literis Regiis exhibitis, sequens Juramentum præsente Nobilitate, quæ ad Judicia convenerit, præstare debent : Ego N. juro, quia juste secundum DEum, Jus scriptum, æquitatem & partium controversias judicabo, recognitionemque suscipiam, divitis & pauperis, amici & inimici, civis & peregrini discrimine sublato. Et neque favorem neque odium, neque præmium, neque minas aut inimicitias curabo, sed in judicando solum DEum, & Jus scriptum, æquitatem, partium controversias & recognitiones, in hisce omnibus conscientiæ meæ Judicium sequar & audiam, aliaque negotia mihi incumbentia fideliter & pro posse meo faciam: Sic me DEUS adjuvet & sancta Christi Crux. Quod quidem Juramentum ab eis præstitum in acta refertur. Scabini ad quævis Judicia sint in universum octo numero, cum autem locus aliquis vacarit, tam Scabini, quam Notarii Terrestres ab universa Nobilitate, quæ ad Judicia convenerit, prima Judiciorum die singuli in unoquoq; Palatinatu, eligi debent, ita ut majoris partis Judicio in electione stetur, electique etiam sine confirmatione Regia ad officium admitti. In Palatinatu autem Pomeraniæ in quo Judicia separatim in singulis districtibus haberi solent, uno autem Notario, in omnibus districtibus utuntur, electio Notarii in Conventu Starogardiensi, ejus rei causa a Palatino post Notarii excessum intra sex septimanas indicendo haberi debet. Inprimis autem Judiciis Scabini supra scriptum, Notarii autem sequens Juramentum præstare debebunt. Ego N. juro: Quia juste secundum DEUM, Jus scriptum, æquitatem & Partium controversias, protestationes juridicas, Judicis decreta, in librum Actorum Terrestrium inscribam & inscribi curabo : in judicando, consulendo & scribendo solum DEUM, Justitiam sanctam & æquitatem, Partium recognitiones, controversias ac Judicis sententias, in hisque omnibus conscientiæ meæ Judicium sequar & audiam, aliaque negotia mihi incumbentia fideliter & pro

14. Juramentum Judicum Terrestrium.

15. Numerus Scabinorum.

16. Notarius Pomeraniæ.

17. Notarii Terrestris Juramentum.

posse meo peragam : sic me DEUS adjuvet & sancta Christi Crux. Eligi autem debent, tam Judices quam Scabini & Notarii, in aliquo districtu Palatinatus ejus, in quo Judicia administrare debent, possessionati, Nobiles, indigenæ, integræ famæ. In Palatinatu vero Culmensi, ex Consulari Ordine Civitatis Thoruniensis duo sint Scabini, secundum consvetudinem antiquam, a Nobilitate modo suprascripto eligendi, in numerumque octo Scabinorum referendi. Ne autem propter absentiam Scabinorum aliquot Judicia differantur, statuimus, tres Scabinos, cujusque Palatinatus, cum Judice Terrestri & Notario, ad Judicia administranda obeundaque sufficere. Judicia autem Terrestria haberi debent, in Culmensi Palatinatu, Radzini & Thorunii bis in anno; primo, Feria secunda post Festum Corporis Christi Radzini, secundo, Feria secunda post Festum sanctæ Hedwigis Thorunii: In Michaloviensi autem septimana una semper post Culmensia Judicia, & alternatim Brodnicii & Neofori: In Mariæburgensi, Stumæ, primo, Feria secunda post conductum Paschæ, secundo Feria secunda post Lamperti: In Palatinatu Pomeraniæ, in singulis districtibus Judicia itidem haberi debebunt bis in anno; & Dirsaviensia quidem Starogardiæ, primo, Feria secunda post Festum Circumcisionis Domini; secundo, Feria secunda post Festum St. Lucæ Evangelistæ: In aliis itidem districtibus, locis consvetis, ita nimirum, ut Svecensia duabus septimanis Dirssaviensia subsequantur; post Svecensia vero aliorum porro Districtuum una septimana invicem se consequantur, Quæ si in diem Festum inciderint, feria proxima subsequente celebrentur. Positio Actorum Terrestrium in singulis Palatinatibus observetur ordine subsequenti. In Palatinatu Culmensi; Feria secunda post Festum S. Joannis Baptistæ in Radzin: In districtu Michaloviensi ejusdem Palatinatus, Feria secunda post subsequenti proxima: In Palatinatu Marieburgensi, Feria Stumæ: In Palatinatu Pomeraniæ, Starogardiæ, prima die post determinationem Judiciorum post Festum S. Lucæ incidentium: similiter etiam in aliis distri-

18. Judices, Scabini & Notarii debent esse indigenæ.

19. In Judicio Terrestri Culmensi duo Consules Thorunenses sint Scabini

20. Quot Scabini ad Judicium requirantur.

21. Judicia Terrestria in Palatinatu Culmensi.

22. Judicia Terrestria in Palatinatu Pomeraniæ.

23. Positio Actorum Terrestrium.

diſtrictibus hujus Palatinatus obſervari debet. Claves ciſtæ, in qua libri aſſervantur, tres erunt, una in Judicis, duæ in Scabinorum poteſtate. Quod ſi forte vel Judex, vel ex Scabinis iis aliquis, legali impedimento impediatur, Judex ſuam Seniori Scabino, Scabini proxime ſequenti Scabino, & conſeqeunter, ut quisque aliquem ordine ſubſequitur, claves ſuas transmittet. 24. Claves Ciſtæ Judicii Terreſtris.

Cauſas Civiles Judicium Terreſtre omnes judicabit: Interpretantes igitur Conſtitutionem, quæ in violentos olim lata fuit, Statuimus, ut ſi quis in domum vel poſſeſſionem alterius invaſerit, in publicis viis inſidias poſuerit, vim armata manu alicui intulerit, vulneraverit vel occiderit, ad Palatini cognitionem vis ea pertineat. 25. Actio propter vim illatam pertinet ad Palatinum.

Si vero reali aliqua injuria, ob limites controverſos, agro, frumentis, & id genus ſimilibus, damni aliquid dederit ejusmodi cauſas non Palatinus, ſed Judicium Terreſtre judicabit, ſecundumque exigentiam rei de iis decernet. 26 Quæ cauſæ ad Judicium Terreſtre pertineant.

Cum autem libera unicuique Appellatio a definitivis ſententiis eſſe debeat, ob rem male judicatam nullum Judicium tam Terreſt. quam Palatinale aut Commiſſoriale, aut quodcunque citari debebit: Poterit autem citari ob exceſſus & gravamina, ſi quæ in Officio ſuo commiſerit, ad Tribunal Regni, condemnatusque prima vice pœnam quinquaginta aureorum Ungaricalium; ſecunda refuſionem damnorum actori luet. 27. Judicii male judicantis, & ad Tribunal Regni citati non comparentis pœna.

Cauſa a partibus aut Procuratoribus earum perorata, ut Judices remotis arbitris libere ſententiam dicant, omnes, qui in Judicio jurati non ſunt, ſecedere debent. 28. Seceſſus Partium è Judicio.

Arma præter gladium, acinacem aut pugionem, quibus nimirum conſvetudine ſua Nobilitas utitur, nemo in Judicium afferat. Cum Sclopeto aut ſimili armorum genere deprehenſus quindecim aureorum Ungaricalium mulctam dependat, neque ante ſolutionem eo Judicio recedat, ſub alia quindecim aureorum pœna: ob quas quidem mulctas, ſi priore non ſoluta a Judicio abſceſſerit, ad Palatinum loci peremptorie nomine Judicii evocabitur, & utraque mulcta ſine appellatione exigetur. 29 Inconſveta arma in Judicium non ſunt ferenda.

Si in Judiciorum loco aliquem quis vel vulneraverit, vel occiderit, a quocunque comprehenſus per officium Palatinale capitis 30. Homicidium aut vulneratio in Judicio.

pitis pœna puniatur; si etiam evaserit, ad idem officium Palatinale citetur, itidemque capitali supplicio afficiatur. Quæcunque ex libris Terrestribus eduntur, signo Terrestri obsignentur, quod apud Judicium esse debebit, manuque ejusdem Notarii Terrestris subscribantur. Notarius tam Judicii Terrestris, quam Palatinalis, quibuscunque scriptis, quæ in libros referentur, aut ex iis edentur, non majus salarium accipiat, quam squenti æstimatione præscribitur. A resignatione nimirum perpetua, triginta grossos: a dotalitiis & advitalitiis obligationibus totidem, ab obligatione quacunque, qua se ad dandum vel faciendum aliquis obligat, duodecim grossos: a pœna contumaciæ, a prorogatione termini seu limitatione ex consensu partium, a renunciatione Ministerialis, protestationibus, arrestis Judicialibus, aliisque artibus similibus, senos grossos: a sententia definitiva grossos duodenos. Cujus quidem salarii tertia pars Notario; reliquæ duæ Judicio obvenire debent. Ab extractu autem ex actis soli Notario de singulis paginis plene ab utraque conscriptis quini grossi solventur. Ex mulctis omnibus & parte ea salariorum, quæ a Judicio secundum superiorem constitutionem obvenit, æqualiter Judex & Scabini inter se divident. Publicorum Notariorum, qui contrariis instrumentis sæpe causas intricabant, usu abrogato, in locum illorum Ministeriales Terrestres substituimus, qui duobus Nobilibus adhibitis, quæ Judiciali denunciatione aut attestatione opus habebunt, exequentur. Debent autem Ministeriales in primis Judiciis Terrestribus vel Palatinalibus sequens Juramentum præstare. Ego N. juro, quia ex nunc & in postea fidelis ero Serenissimo Domino meo Regi &c. negotia Judiciorum mihi commissa & credita, & citationes fideliter faciam, superque quibuscunq; negotiis, postquam requisitus fuero, fideliter recognoscam, non amore, odio, pretio vel favore, sed pro Deo & Justitia, nec ero consentiens cuiquam malitiæ, quæ posset quoquo modo opprimere veritatem, sed omnia integra fide, tam in Judicio, quam extra, absque dolo peragam, recognoscam & exequar, nihilque unquam falsi committam: Ita me

31. Avthenticæ copiæ.

32. Sportulæ Notariorum.

33. Mulctæ.

34 Abrogatio Notariorum publicorum.

35. Ministeriales Terrestres eorumq; juramentum.

me Deus adjuvet & omnes Sancti. Si quis Ministerialem eo tempore, quo officio suo fungitur, occiderit, vulneraverit, aut pulsaverit, eadem pœna, qua violator securitatis publicæ judiciorumve puniri debet. Quilibet autem Ministerialis apud Palatinum ejus Palatinatus respondere tenebitur, in quo Excessus aliquis commissus ab eo fuerit. Jus Terrest t. 5. Quamdiu Cives Culmenses justo tempore Judicium exercent, seque Juri parituros spondent, ex legitima cognitione sui Principis, vel ejus qui Principis personam gerit, tamdiu ex Jure Civitatis in alienum forum ne pertrahuntor. Quod æque cæteris Civitatibus omnibus proprium Jus esto. Emend. l. 7. c. 32. Corr. l. 2. c. 30, Revis. l. 2. t. 7. art. 1. Ubi Princeps seu Dominus Vasallos conveniat, Vid. **Dominus.** Ob delictum vel maleficium quilibet respondere debet in eo foro ubi delictum vel maleficium commisit. Emend. l. 2, c. 34. Correct. l. 2. c. 60. Revisum taliter disponit: Judice sufficienter informato maleficium esse perpetratum, & subinde in personam quandam, sufficientibus indiciis vel præsumptionibus incidentibus, tunc absque præmissis citationibus suspectus carceribus mancipari apprehendique aut pro majori custodia, pro qualitate personarum, servari potest, donec ulterius in eadem causa inquisitio fiat, vel alioquin maleficium probari possit. Talis vero apprehensio & captura per ordinarium Judicem ejusque permissu fieri debet, & in his personis isti Jurisdictioni & Judicio subjectis, vel etiam in crimine recenti deprehensis: Nobiles vero personæ carceribus mancipari non possunt, nisi in recenti facto seu crimine deprehensæ. Revis. l. 5. p. 1. t. 9. art. 1. Omnia maleficia ibi sunt judicanda ubi perpetrantur, vel facinorosus in recenti facto mancipatur & deprehensus fuerit: malefactore vero evadente, tunc ad locum delicti citari debet, & eo non comparente, contra ipsum ad bannitionem & proscriptionem proceditur; si etiam in alio loco captus & deprehensus fuerit, tunc ibidem conveniri & judicari debet, exceptis personis Nobilibus, Regni Poloniæ & Terrarum Prussiæ, eorumque Subditorum, qui extra locum delicti

36. Qui Ministerialem occidit aut vulnerat.

37. Forum Ministerialis.

38. Quilibet in suo foro conveniendus est.

39. Forum delicti.

40. Illustratio Juris Revisi.

41. Forum delicti.

delicti commissi nullibi nisi coram suo ordinario Judice de Jure conveniri queunt. Revis. l. 5. p. 1. t. 1. Violentiæ viarum publicarum, stupra violenta, violentæ invasiones, & alia varia maleficia judicare debet Judex & Scabini, & alioquin nullus alius, cum scientia Burggrabii vel hujus qui superiora Judicia habet, vel pro consvetudine cujusque loci. Revis. l. 5. p. 1. t. 2. Forum hospitis, quando aliquem de rapina convenit. vid. **Rapina.** Sub pœna viginti florenorum Hungaricalium, quorum medietas Palatino, altera parti læsæ cedat, absq; ulla remissione persolvenda, Nobiles & eorum Subditi, authoritate seu potestate Civili, non capiantur, detineantur aut arrestentur. Nec Nobiles autoritate propria capiant aut detineant Cives vel eorum Subditos, sed unusquisque coram Judice suo ordinario conveniatur, & Justitiam requirat, nisi in casibus recentibus & Actionibus Criminalibus, prout pax perpetua disponit, statuens, quod delinquens in loco delicti deprehensus & contrahens de contractu recenti in loco contractus poterit conveniri. vid. Constitutio Sigismundi Regis ab Anno 1538. §. 16. Revis. l. 2. t. 7. art. 6. Generaliter constitutum est, ut Actor ibi forum sortiatur ubi agit, ideoq; post actionem jure finitam in eodem foro conventi quoque actiones accipere & litem Juris ordine prosequi cogetur. Emend. l. 2. c. 35. vid. plura **Reconventio.** Ubi duo Cives eodem Civitatis Jure censentur, si alter alterum debiti causa volet in Jus vocare, nequaquam alibi, quam pro competenti suove Judice convenito. Emend. l. 2. c. 36. Revis. l. 2. t. 7. art. 3. ubi additur: Si aliquis Civis alium de industria in peregrinum & incompetens Judicium trahat; ille convento omnes expensas & damna resarcito, & simul quinquaginta Aureos Hungaricales in pœnam exsolvito. Excepto casu: Si aliquis per fugam ex Civitate eripuerit, aut suo beneficio fori sciens, renunciaverit, seu in exteris foris & Judiciis respondere sit obligatus, vel solutionem debiti & insinuationem mercium aut bonorum, in aliis locis stipulaverit: In his casibus, creditor suum debitorem coram suo Judi-

42. In Civitatibus in causa illatæ vis publicæ, judicat Judex & Judicium cum scituBurggrabii.

43. Nobiles nonCives,nec CivesNobiles trahant in suum forum.

44. Ubi quis agit, ibidem reconveniri debet.

45. Civis Civem in suo foro conveniat.

46. Additamenta Juris Revisi.

Judicio ordinario, vel in eo loco, quo ſe obſtrinxit, quando eum apprehendit, absque præmemoratarum pœnarum luitione, convenire & juſtificare poteſt. l. c. Si quis citatus ad incompetentem Judicem, cujus Jurisdictioni non ſubjectus eſt, fuerit, tunc ad emanatam citationem comparere & cauſas, quare ibi judicari non poſſit, proponere & allegare tenetur. Quando vero Judex ultra productam relevantem exceptionem injuſte in Judicio attentare voluerit, tunc illud pro invalido & nullius momenti cenſendum eſt. Reviſ. l. 2. t. 6. art. 3. Actor ad ſuum quemque Judicem in Jus vocet, quem convenire velit, quisque attendere debebit. Si enim Pars Partem in aliud forum, aut Jurisdictionem, quam ad quam Reus pertinere docebitur, evocaverit, nulla & irrita erit. Quod ſi vero reus ultro Judicem aut Jurisdictionem alicujus agnoverit, vel in Judicem aliquem conſenſerit, vel etiam obligatione, vel inſcriptione ſua illius Judicio ſe ſubmiſerit, Jurique ſuo renunciaverit, Jus dicenti parere debebit. Si præter hæc a non ſuo Judice nihilominus parere juſſus fuerit, quemadmodum ſupra conſtitutum eſt ſententia Judicis nullius momenti erit. Jus Terreſt. t. 6. c. 1. §. 3. 4. Ubi Palatinus conveniatur. vid. **Palatinus.** Si Scholaſticus Laicus, qui Sacris non initiatus eſt, ab alio Scholaſtico vulneretur, actionem læſus coram civili Judice loci ejusdem attentato, nec ad Eccleſiaſticum forum pertrahendi reum Jus habeto. Civilis autem Judex vulnerationis cauſa ſecundum Juris ordinem Jus dicito. Em. l. 2. c. 37. Corr. l. 3. c. 77. Judex eum qui coram ipſo Jure convenitur, ad aliud Judicium remittere non debet, niſi res de qua agitur in alio foro ſita eſt: hoc enim caſu apud eum de re controvertitur, cujus Jurisdictioni ſubjacet, vel niſi conventus ſponte ſua cognitionem de re controverſa in alieno Judicio ſit paſſurus. Neq; Judici Jus eſt, quempiam ab actione ſua proſequenda excludere, niſi cum ejus conſenſu, qui convenitur. Emend. l. 2. c. 38. Correct. l. 2. c. 33. Reviſ. l. 2. t. 7. art. 8. Nullius in perſonam arreſti nexus locum habet, qui ſolvendo ſit, & in ejus Judicii foro poſſeſſiones habeat, ſed nec bona alicujus deti-

47. Citatio ad incompetentem Judicem.

48. Incompetens Judex ſecundum Jus Terreſtre.

49 Criminalia non pertinent ad forum ſpirituale.

50. Remiſſio a foro ad forum

51. Actor ſequitur forum rei.

detineri debent, qui, quod ſolvat, habet; & fundos poſſidet, quique ſatisdare paratus eſt de eo, quod judicatum erit ſolvendo. Cum ita ſatisdederit officio Judicis incumbit, ut arreſtum relaxet, quantumvis adverſarius contradicat. Qui in rerum immobilium poſſeſſione non ſunt, vel quorum facultates ſuſpectæ ſunt, quive rem nequiter prodigunt, quo minus creditoribus ſatisfacere valeant, tam ipſi, quam illorum bona coarctari poſſunt, ſic ut ſemper a rebus initium fiat, priusquam ad perſonas deveniatur. Si quis igitur in Actoris foro poſſeſſor non ſit, ſed alibi larem & fortunas collocatas habuerit, ac in alieno Judicio conveniatur; actore poſtulante, non debet ejus perſona detineri, ſed oportet, ut Actor rei forum in Terris Pruſſiæ ſequatur, atque reus cautionem præſtet, ſe ad diem condictum coram ſuo Judice ſtaturum, niſi reus in actoris foro contraxiſſet, vel maleficium admiſiſſet, vel eo ſe loco ſoluturum ſpoſpondiſſet. His enim caſibus ratione contractus convenietur, & delinquens in loco delicti Judicium patietur. Si homines ſint extranei, qui conveniuntur, actor eorum forum ſequi non cogitur, ſed Jus habet, illorum bona & perſonas detinendi. Lib. 3. c. 66.

52. Notabilium caſuum forum in Pruſſia eſt. Correct l. 4. c. 57. Reviſ. l. 2. t. 6. art. 6. D. Caſimirus Rex ſtatuit: Omnes cauſas notabiles, terras Pruſſiæ concernentes, cum communi Conſiliariorum Spiritualium & Secularium, Nobilium & Civitatum majorum Conſilio Terrarum prædictarum terminabimus, tractabimus & definiemus. Vid. Privil. Incorporationis §. 7.

53. Forum Magiſtratus Civitatenſis. Ubi ratione non adminiſtratæ vel pertractæ Juſtitiæ Magiſtratus in Civitatibus, nempe Senatus & Judicium conveniri debeant, id nullibi alibi, quam coram S. R. Majeſtate, per ordinarias præmiſſas Citationes fieri oportet. Reviſ. l. 2. t. 7. art. 2.

54. Civis non habet forum coram Judicio Terreſtri. Nullus Judex Terreſtris, Civem extra CIvitatem citare poteſt, niſi bona terreſtria hæreditaria habeat; ſi vero Civem inculpare voluerit, id coram Judicio Civili intra civitatem, cujus Civis eſt, facere tenetur. Reviſ. l. 2. t. 7. art. 5.

55. Forum ratione immobilium. Cauſis inter homines bona immobilia eorumque poſſeſſiones attingentibus, incidentibus, horum ratione, quilibet in illo Judicio, in quo iſta bona ſita ſunt,

ſunt, vel ubi reus conventus ſuum Domicilium fovet, conveniri debet, nec ideo ad ullum peregrinum Judicium trahendus eſt, Reviſ. l. 2. t. 7. art. 7.

FOVEA.

Quicunque exſtruendis operibus damnum dederit, Jure compenſato. Qui puteos vel alias foveas egeſſerit, eas ita circumſepito, ut munitionis altitudo viri coxendicem atttingat, niſi fecerit, quodcunque damnum inde naſcitur, præſtato. Qui cellam ſubterraneam vel ejus generis foveam effodit, ita opus facito, ne quid noceat, nec in latitudinem plateæ patentis ultra ſeptem pedes ſpecum concameratum producito. Si anguſtior ſit platea, quam ut latum opus ferre poſſit, ſubtus viam publicam opus ne porrigito. Cujuslibet viæ, qua currus publice commeare ſolent, latitudo ſedecim pedum eſto, quo currus commode currui cedere poſſit. Quilibet præ foribus ſuis ſtratam viam ſeptem pedes latam habeto: in id quod excurrit, reſpublica ſumtum impendito, ſalva cujusque loci conſvetudine. Emend. l. 5. c. 84. Corr. l. 5. c. 13. Rev. l. t. art. 1. Damnum ex fovea.

FRACTIO.

Fractio pacis vid. **Pax.** Fractio carceris vid. **Carcer.**

FRATER.

Fratrum Succeſſio, vid. **Hæreditas** Fratrum Interventio.

FRAUS. vid. Dolus.

FRIBERGENSE JUS. Vid. ſupra Fodina.

FRUMENTUM.

1. Frumenti furtum.

QUi frumentum noctu furatus fuerit, laquei pœnam meretor: qui interdiu, virgis cæditor. Si furtum frumenti valorem quinque marcarum excesserit, furcæ supplicium esto. Qui iter facit, si equo frumentum vel spicas pascendi causa proponat, nec secum avehat, damnum æstimatum rependito. Etenim, si cujus equus lassitudinem itineris contraxerit, liberum est illi frumentum defalcare & equum pascere, quatenus uno pede stans in via publica aristas manu comprehendere possit. Nullum autem Jus est, avenam secum avehendi & in compendium suum usurpandi. Emend. l. 5. c. 75. Correct. l. 5. c. 26. Rev. l. 5. p. 2. t. 16. §. 9. vid. plura Annona.

2. Fluitatio & mercatura frumenti.

Nemo ex Nobilibus, vel ullus colonus, cum frumento, vel aliis mercibus negociari debet, sed illud civitatibus solum concessum est, tum etiam solum cives in majoribus & minoribus Civitatibus naves ducere & exercere possunt, in quas Nobiles & Terrestres sua propria, & ex suo fundo conquisita frumenta, & quicquid census nomine acceperint, invehere & deportare in quaslibet civitates possint; attamen reversi renavigando navibus, nullas alias merces imponant, solummodo quæ ad illorum domus necessitatem spectant, & debent quoque nautæ indigenæ, advenis & peregrinis præferri. Nullus etiam civis, in Nobilium vel rusticorum villis frumenta emere debet, sed ea omnia ad civitates portanda & devehenda sunt. Proinde Sigismundus I. statuit & ordinavit, quod ubi aliquæ emtiones mercium extra forum civitatum factæ vel contractæ fuerint, tunc merces illæ venditoribus & emptoribus, equi & currus ab officialibus adimi & confiscari debent, exinde Fisco tertia pars, Capitaneo loci tertia pars, & tertia pars qui talia mercimonia deprehenderit & detinuerit, addici debent: Capitanei sub pœna quingentorum florenorum Polonical. fisco pendendorum, & exsolvendorum, id exequi tenebuntur, nec ullæ etiam nundinæ in pagis tolerari, sed in civitates, ad quas spectant, remitti debent; Omnes circumfora-

foranei nullibi in regione posſeſſionem habentes, utique non tolerari debent, ſed cum ademptione mercium ſunt puniendi. Judæi vigore antiquæ ordinationis nullibi in territorio tolerari, multominus ad coemptionem & evectionem illarum mercium admitti debent, ſub amiſſione bonorum & pæna 50. floren. Polonicorum toties, quoties deſuper deprehenſi fuerint: Similiter in minoribus civitatibus nulli inſtitores (vulgo vendeti dicti) admitti debent, ſub amiſſione mercium, Reviſ. l. 4. t. 5. art. 2.

FUGA.

SI mancipatus contra creditoris voluntatem in fugam ſe conjecerit, priusquam debitum exſolvat, creditori Jus eſto fugitivum, ubicunque locorum deprehendi poſſit, authoritate propria ſine Judice comprehendendi, & in privatam cuſtodiam, velut pignus debiti non ſoluti manu captum, pertrahendi. Sin ille prætenderit, ſe debitum exſolviſſe, & volente ac ſciente creditore e vinculis diſceſſiſſe, hoc probet, ut Juris ordo requirit, utque cæterorum debitorum ſolutio probari conſvevit. Em. l. 4. c. 54. Corr. l. 3. c. 109. 1. Si mancipatus profugerit.

Cum quis debitor ſolum verterit, nec in Judicio vocatus ſtiterit, bonis a ſe relictis, quæ penſionibus annuis obnoxia ſint, ſi quidem ab eo loco, ubi converſari eum compertum eſſet, in Jus vocetur, neque pareat, neque bona defendat, creditores & cæteri, quibus penſiones in fundum obligatæ ſunt, quatenus poſt fugam ejus poſſeſſionem bonorum Jure decretoque manu cæperunt, liberam habebunt poteſtatem, ex uſu ſuo, quoad videbitur, bona diſponendi, ſic ut profugo Jus ſit, poſſeſſiones pignori captas intra diem annuam, ex qua fuerant alienatæ vindicandi. Em. l. 4. c. 82. Corr. l. 3. c. 82. 83. 2. Si debitor aufugerit & bona poſt ſe reliquerit.

Si debitoris bona conveniantur, vel in pignorationis cauſam pertrahantur, uti Juris eſt, debitor autem in Jus vocatus fugam cæperit, nullius rationis eſt, fugitivum amplius evocari, ſed actor tribus Judicii ſolennibus vicibus, bona forenſi præconio proſtituat, uti moribus cujusque loci receptum eſt. 3. An profugus debitor citandus ſit?

Si debitor non apparuerit, Judex actorem pro consequendo, quod probaverit, debito in bonorum possessionem per decretum immittat, uti Juris authoritate liquet constitutum. Emend. l. 4. c. 83. Corr. l. 3. 83. vid. plura **Contumacia.**

4. Si criminaliter accusatus aufugiat. Si quis accusetur absens ratione alicujus maleficii corpus & vitam concernentis, ex facto recenti, is citandus est tribus vicibus. Postmodum tribus vicibus fidejussioni committi debet, si nemo pro ipso fidejusserit, tunc in continenti proscribendus & banniendus est. Revis. l. 5. p. 1. t. 4. art. 5. vid. plura

5. Si conductor profugerit. **Proscriptio.** Si quis vestem sartori faciendam sarciendamq; dederit, vel equum vel aliud animal, alteri locaverit, atque conductor interim profugerit re locata domi suæ vel ubi habitaverit, relicta; dominus vestis, vel animalis, rem suam recte vendicabit & obtinebit, nec profugi creditores pro debito suo vestem sive animal locatum, ullo Juris nexu poterunt detinere, Emend. l. 4. c. 5. Corr. l. 5. c. 4. Ne quis

6. Debitor ex fuga propria auctoritate ad Iudicium trahi potest. alterum violenter ob quodvis debitum impedito, neve per vim in Judicium pertrahito sine Judicis permissu, ac sine Ministerialium ope, qui in Judicii functionem jurati sunt. Qui secus fecerit, vel sibimet ipsi Jus dixerit, æstimationem injuriæ læso mulctam Judici dato. Judicis autem erit arbitrium pro conditione personarum & causarum mulctam & injuriæ æstimationem augendi, eo solum excepto, si debitor ex fuga retrahatur. Emend. l. 2. c. 18. Corr. l. 2. c. 45. Revis. l. 2. t. 6. art. 6. vid. plura **Absens. Forum.** De servis profugis vid. **Servus. Subditus.** Fuga incarcerati vid. **Arrestum. Carcer.** Fuga suspecti promovet magnam suspicionem Judicis in Criminalibus, vid. Revis. l. 5. p. 1. t. 16. art. 2.

FUNDUS.

1. De donatione fundi. CUilibet liberum est, dum in vivis agit, dumque publice conversatur, amico vel cognato, cui volet, liberalitatis affectu, quin etiam extraneo, referendæ, quam acceperat, gratiæ causa, res mobiles & pecuniam donare tantum, quantum

quantum volet, ſic ut poſſeſſionem e veſtigio omittat, & in donatarium transferat. Qui vero ob adverſam valetudinem decumbit, amplius donare non poteſt, niſi quantum ſemel manu brevi citra alterius adminiculum trans lectulum porrigere valeat: neque neceſſum eſt, ut hanc in rem proximioris hæredis conſenſum roget. Fundos autem & poſſeſſiones & res immobiles, ſine hæredum conſenſu donandi Jus non eſt, præterquam eas, quæ non a Parentibus profectitiæ, ſed ex rudi fundo & negotiatione, labore, & ſimili titulo, comparatæ ſunt. Has enim nolentibus etiam hæredibus donare licet, ſic ut coram Domino ſuperiore, vel in Judicio conſtituto, præſentibus Judice & Scabinis, donatio peragatur. Hæc donatio etiam ſub conditione fieri, & in tempus mortis conferri poteſt, ut donator rem donatam cum omni fructu, quoad inter homines erit, poſſideat, & donatario poſt mortem demum donantis, niſi inter vivos donationrm revocaverit, pleno Jure relinquat ac cedat. Quicquid vero vel inter vivos, vel infirmitatis tempore, ſine hæredum conſenſu donari poteſt, idem accipiendum eſt etiam in teſtamento vel ultima voluntate poſſe donari, legari, dari poſt teſtatoris mortem Donatario vel Legatario accipiendum habendumque, ſalvo nihilominus & illæſo cujusvis Civitatis & loci more plebiſcitove. Emend. l. 3. c. 12. Correct. l. 3. c. 2. Reviſ. l. 3. t. 3. art. 2.

2. De Donatione inter vivos alicujus fundi, uſufructu vero ad dies vitæ reſervato.

Si quis in Judicio conſtituto uxori vel alii, cui velit, amico vel extraneo fundum, vel rem mobilem poſt mortis ſuæ tempus jure hæreditario habendam ac uſurpandam, donaverit, ac dederit, ea utique conditione, qnod donec in vivis fuerit, ſalvo donationis Jure nihilominus rei Dominium ad ſe pertinere velit, quæſitum eſt, an poſt ejus mortem donatarius potior ſit acquirendæ rei, quam hæredes defuncti donationem ante vel poſt ejus mortem contradicere poſſint. Jure noſtro ita conſtitutum eſt, fundum judiciali donatione acquiſitum, & res cætera lucrativo titulo vel labore ſuo partas, tam mobiles quam immobiles donare judicialiter cuilibet vel uxori, vel amico, vel extraneo, cui libitum fuerit, poſthabita hæredum contradictione, æque in mortis cauſam, ac ſi præ manu

rem donatam tradidiſſet. Si quis vero fundum a Parentibus profectitium & hæreditarium alii donaverit, Jus eſt hæredibus intra diem annuam, ex qua ad illorum notitiam pervenit donationem retractandi, niſi legitime impediti fuiſſent, idq; Jure probaſſent: quo caſu etiam poſt diem annuam donationem oppugnare non prohibentur. Em. l. 3. c. 13. Corr. l. 4. c. 5.

3. De fundi uſufructu uxori donato.

Si maritus uxori, in Judicio ſolenniter conſtituto, fundi uſum fructum, quoad ipſa vivæ lucis uſura fungeretur, donaverit, uxore diem functa, & æs alienum in creditorum nominibus relinquente, hæres, ad quem mariti hæreditas redierit, ex eo fundo, cujus uſum fructum mulier habuerat, debitum mulieris ſolvere nulla ratione cogetur. Emend. l. 3. c. 17. Corr. l. 4. c. 14. Reviſ. l. 3. t. 8. art. 26.

4. De alienatione fundi in præceptionem donati.

Si Pater in Jure conſtituto prædium ſuum uni filiorum præ cæteris liberis habendum, ſuoque Marte diſpenſandum absque aliqua conditione dederit tradideritque, ac deinde Pater vendiderit prædium, quod ſpeciatim filio poſſidendum aſſignaverat, & nummos inde comparatos in rem ſuam converterit, quatenus filius intra diem & annum alienationi ejus prædii in ſtato Judicio non contradixerit, licet Pater prædium illud poſtea rurſum emerit, deinde diem ſuum obierit, filius tamen, quem diximus, præ cæteris liberis nullum ſpeciale Jus; nec in eam pecuniam, qua prædium vendiderat, nec in ipſum prædium denuo emptum prætendere poterit, ſed in univerſam patris hæreditatem cum cæteris eodem Jure virilibus utique portionibus ſuccedet. Emend. l. 3. c. 20. Correct. l. 4. c. 19. Reviſ. l. 3. t. 3. art. 6.

5. De hæreditario fundo ære alieno diſſolvendo.

Si defunctus non alia bona, præter fundum, in foro ſuo reliquerit, hæres ejus qui fundum occupat, omne æs alienum, de quo liquido conſtat, defuncti diſſolvere cogitur, quatenus hæreditatis deſcriptionem non confecerit. Sin autem, uti par eſt, inventarium cum ſcitu & conſenſu Judicis conſcripſerit explorandi cauſa, quantæ ſint hæreditatis illius facultates; & quantum ex ea creditoribus debeatur, hoc caſu nulla cogitur neceſſitate, qua cui debitum ultra vires hæreditatis exſolvat, niſi quod ſponte ſua facere volet. Si per hæredem ſtet, quo minus creditoribus fun-

fundum oppignorare liceat, Jure creditores eum cogent, & fundum illum nexu debiti mancipabunt Jure ſolenni, eumque pro æris ſui debito ſibi adjudicari poſtulabunt. Si quis deinde fundum liberare vel defendere volet, ſciat pro debito ſibi reſpondendum & creditoribus ſolutionis ergo ſatisfaciendum eſſe. Emend. l. 3. c. 41. Correct. l. 4. c. 42. Reviſ. l. 3. t. 10. art. 2. Cum hæredes quinque, ſeu plures, ſeu pauciores, domum, granarium, vel alium fundum herciſcundæ familiæ, vel alio titulo communem poſſident, eumque communem amplius habere nolunt, Juris autoritate receptum eſt, ut ii, qui communionem ſeu ſocietatem bonorum diſſolvere deſiderant, fundum communiter poſſeſſum æſtimato proponere debeant, utque ii, quibus æſtimatus fundus proponitur, optionem habeant, fundum æſtimato pretio vel ſibi retinere, vel æſtimanti eodem pretio relinquere. Emend. l. 3. c. 45. Correct. l. 4. c. 6. Reviſ. l. 3. t. 3. art. 4. Cum quis filias duas inter vivos reliquas haberet, majorem natu in matrimonium collocavit & fundum in dotem dedit, quem illa cum marito triennium & amplius poſſidet. Patre die functo natu minor poſtulat, fundum in diviſionem vocari, quandoquidem hactenus pro indiviſo habitaverint, nec illi fundus eo loco, quo rite fieri debuit traditus, & transſcriptus fuerit. Opponit altera, quæ maritata eſt, ſe fundum citra contradictionem tamdiu habuiſſe & poſſediſſe, publice cum ſorore ſemper converſatam, ultra diem annuam altum ſilentium fuiſſe, ideoque non teneri ſe fundum ad diviſionem proſtituere. Hæc facti ſpecies ita Jure definitur: Si fundus in Judicio conſtituto, teſtibus, Judice & Scabinis, in dotem majori Sorori datus eſt, eaque illum diem annuam absque legitima contradictione poſſedit, rata erit donatio, & minor ſoror ab actione repelletur. Sin autem id coram Judicio conſtituto ſolenniter actum non eſt, ut majori Sorori & ejus marito fundus in dotem cederet, minor æquali Jure cum majore ad diviſionem fundi paterni vocabitur. Et licet major cum marito ſuo tamdiu fundum habuit ac poſſedit, nec junior interim actionem movit, Juri tamen ejus hoc pacto non præjudicatur. Nam etſi quivis alius hæreditatem ſibi obvenien-

6 De communione unius fundi diſſolvenda.

7. De fundi diviſione inter Sorores controverſa.

tem, intra diem annuam non petivit, non ideo Jus suum facit deterius, nisi fundi sint, qui solenni Judiciorum more alii donarentur, & Donatio nemine, ut Juris est, contradicente per annuam diem constitisset. Emend. l. 3. c. 46. Corr. l. 3. c. 43. Revis. l. 3. t. 11. art. 1.

8. De fundorum hypotheca.

Res immobiles, fundos & possessiones debitor, quocunque tandem crediti nomine conveniatur, pignori vel hypothecæ dare non potest, nisi in ejus fori Judicio, ubi res immobiles sitæ sunt. Emend. l. 4. c. 8. Correct. l. 3. c. 81.

9. De domo vendita, quæ nexu æris alieni obstricta fuerat.

Si quis alteri fundum vendat, & in constituto Judicio tradat, ac interim in lege venditionis silentio supprimat nexum æris alieni, quo fundus in hypothecam obligatus est, creditori Jus pignoris in illo fundo relinquitur integrum. Ac licet emtor prætendat, ædes se liberas emisse, & æris alieni nexum in conventionem non venisse, idque testimonio publicarum Judicii tabularum probari posse, seque fundum jam ultra diem annuam sine cujusvis impedimento possedisse dicat: nihil tamen his omnibus adversus creditorem proficiet, sed magis venditorem ædium ob debiti nexum clam habitum Jure conveniat ac compellat, ut ædes ipsi liberas, uti conventum fuerat, & a pignoris nexu vacuas tradat. Emend. l. 4. c. 15. Correct. l. 4. c. 18. Revis. l 4. t. 5. art. 19.

10. De dominio fundi in Jure traditi retinendo.

Qui prædium vel alium quempiam fundum emit quocunque pretio, illique fundus ille auctoribus in Jure Judice & Scabinis simpliciter ac sine conditionis adjectione traditur: Si quis deinceps ob debitum a venditore contractum prædio vel fundo controversiam facere vel manum injicere velit, nulla ratio cogit emtorem, ut cum eo Judicium suscipiat, modo testimonium Scabinorum, vel publicarum tabellarum planum faciat, prædium vel fundum in Jure sibi simpliciter & sine conditionis adjectione datum ac traditum esse: hoc enim pacto, fundi dominium emtor retinebit, nisi traditio isthæc dolo malo in cæterorum creditorum præjudicium & fraudem facta fuisset. Emend. lib. 4. c. 16. Correct. lib. 4. c. 16. Revis. lib. 4. t. 5. art. 18.

11. An Creditores venditionem fundi

Si quis domum vel prædium, nullo æris alieni nexu illigatum vendiderit, & in Judicio tradiderit,

rit, creditoribus ejus non est Jus impediendi emtorem, nisi venditor antequam fundum in Jure traderet, debiti solutionem illis spospondisset, eamque in rem fundos & possessiones suas obligasset. Hoc enim casu licet creditoribus æris alieni fundum vendicare, & traditionem intra diem annuam retractare. Emend. l. 4. c. 17. Corr. l. 4. c. 43. Revis. l. t. 5. art. 17. Qui tabernam vel fundum ex emto vel donato acquisivit, sic ut annuum inde censum exsolvat, quanti majoris est pretii fundus, quam census, tanti fundum vel tabernam vendere vel dare, cui volet, non prohibetur. Emend. l. 4. c. 18. Corr. l. 3. c. 113. De Jure protimiseos circa fundos, vid. **Protimisis.** Si proximus consanguineus emtorem ad retrahendam venditionem in Jus vocasset, ac emtionis pretium Jure & more solvisset, interim autem priusquam causa peragatur, fundus emtus subito casu interierit, vel incendio perierit, vel alioquin deterior factus sit, consangvineo liberum erit arbitrium vel institutum prosequendi vel ab actione desistendi. Em. l. 4. c. 20. Si quis fundum vel possessiones in tantum æris alieni magnitudine oneraverit, ut nisi fundo vel possessionibus addictis creditoribus satisfacere nequeat, hacque necessitate ductus eum easve creditoribus, vel in Jure solenni, vel extra Judicium in manu reliquerit, Jus nihilominus erit proximo consangvineo, intra diem annuam, ex quo possessiones Jure evictæ vel sponte traditæ fuerant, exsoluto ære alieno fundum in familiam revocandi. Emend. l. 4. c. 22. Si quis alteri fundum locaverit, ut in eo ædificium exstruat, pensione in fundum constituta, deinde domus in eo solo posita, incendio consumpta fuerit, vel ita perierit, ut pars saltem ædificii remaneat, neque conductor in eam pensionem domum reparare velit, locator, qui fundi dominus est, recte fundum & ædificium, quod reliquum mansit, cum iis, quæ ad ea pertinent, occupabit, neque conductori quicquam impensarum nomine restituere jubebitur. Emend. l. 4. c. 27. Correct. l. 5. c. 9. Revis. l. 4. t. 7. art. 11. Si cujus fundus in Judicio solenni nexu Juris pignoretur, ratione debiti centum marcarum, qui ducentis vel trecentis æstimari posset, & creditor fundum singulis constituti Judicii diebus, ordine

debitoris recte impediant.

12. De fundo censuali vendendo.

13. Si fundus emtus, stante retractu, perierit.

14. De fundo qui debiti nexu obstrictus est, revocando.

15. De fundo emphitevtico

16. De fundo a debitore redimendo.

ordine Juris præconio forensi inclamaverit, sic in possessionem mittatnr, & per decretum illi fundus addicatur, arbitrium ejus erit, fundum porro vendendi & sibi retinendi: Liberum autem erit debitori, fundum intra diem annuam tanti, quanti venditus erat, redimere & liberare. Sin creditor fundum non non quidem vendat, sed sibi retineat, ac illi fundus per judicem arbitrio bonorum virorum in æstimatum addicatur, Jus itidem erit, debitori, intra diem & annum debito soluto, qnod suum erat, recuperandi. Si intra diem & annum rei suæ liberandæ curam abjecerit, deinde nulla redimendi potestas relinquitur. Tenebitur autem creditor, fundi pretium, quod ultra debitum excurrit, illi restituere. Em. l. 4. c. 72. Corr. l. 3. c. 84. Si a debitore possessio per missionem emancipata, & bonorum usus interdictus sit, quoties possessionem usurpat, vel in fundum emancipatum ingreditur, toties mulctam Judici committit, nisi Juris ordine possessionis interdictum aboleverit vel retractaverit. Emend. l. 4. c. 73. Corr. l. 3. c. 87. Cum de fundo possessor moribus deducitur, hoc est, cum decreto Judicis interdicitur, vel bonorum usu & aditu abstineat, ejus fundi creditor, quem per triduum & trinoctium habuit adjudicatum, deinceps possessionem usurpato, hoc est, inito, cænato, potato, dormito, tribus deinde constituti Judicii vicibus, quibus singulis dies quatuordecim intercedunt, præconio forensi publice fundum inclamato, quarta vice Judex possessionis securitatem indicito, ac vacuam illi possessionem ex Scabinorum decreto in manum tradito. Quibus solenniter peractis Jus illi esto, fundum vendendi consensu & æstimatione Judicis interveniente. Si quid ultra debitum ex fundo comparatum fuerit, debitori, quantum excurrit, restituitur. Si quid ultra debitum ex fundo comparatum fuerit, debitori, quantum excurrit, restituitur. Si quid deerit, ulterius ad pignora capienda progrediendum erit, quod creditori satisfaciat. Emend. l. 4. c. 74. Corr. l. 3. c. 88. Si quis Jure fundum alterius evicerit, sicut debiti nomine creditori possessio tradatur, liberum erit eidem, vel occupare fundum habitationis causa, vel cuivis alii

17. De possessione interdicta.

18 De Jure possessionis evictæ.

19. De fructu pignoris capti.

alii locare. Quod si debitor intra tempus lege constitutum, hoc est, intra diem annuam, possessionem ad se revocare velit, non tenetur creditor fundi fructus vel pensiones ex locato perceptas, in compensationis rationem adducere. Si cui fundus in pecuniam creditam sponte pignori datus sit, is qui pignus accepit, fructus vel pensionis ex locato perceptæ defalcationis ergo nullam rationem habiturus est, nisi diserte inter contrahentes aliud convenisset. Emend. l. 4. c. 81. Corr. l. 3. c. 86. Cum quis debitor solum verterit, nec in Judicio vocatus stiterit, bonis a se relictis, quæ pensionibus annuis obnoxia sint, siquidem ab eo loco, ubi conversari eum compertum esset, in Jus vocetur, neque pareat neque bona defendat, creditores & cæteri, quibus pensiones in fundum obligatæ sunt, quatenus post fugam ejus possessionem bonorum Jure decretoque manuceperunt, liberam habebunt potestatem, ex usu suo, quoad videbitur, bona disponendi, sic ut profugo liceat, possessiones pignori captas intra diem annuam, ex qua fuerant alienatæ redimere. Em. l. 4. c. 82. Corr. l. 3. c. 89. Revis. l. 2. t. 24. §. 2. Nemo pecudem suam in alieno fundo, sine ejus domini scitu consensuque temere pascito, vel circumagito. Qui secus fecerit, toties, quoties fecerit, in unumquodque pecoris caput duobus solidis, vel secundum cujusque loci consvetudinem domino fundi damnum æstimatum præstato. Hoc interdictum temporale est, & ad diem Divi Martini profertur, extra quod tempus unicuiqne liberum est, agere animal, quo volet modo, ne in sementem, vel agrum satum pecudem immittat. Emend. l. 5. c. 82. Corr. l. 5. c. 23. Revis. l. 5. p. 2. t. 19. §. 8. De fundi præscriptione vid. **Præscriptio.** Si hospes vel accinctus itineri faciundo, fundos & possessiones petere seu vindicare velint, hi neque hospitum neque peregrinantium Jure utuntor, sed status Judicii dies secundum Juris ordinem obeunto. Emend. l. 2. c. 50. in fin. Correct. l. 2. c. 41. De conventione ratione fundi vid **Forum.** De executionibus in fundos, vid. **Executio.** De alienatione

20. De profugorum debitorum fundis.

21. De pastione pecoris in alieno fundo.

22. Quando hospes ratione fundi agat.

tione fundorum hæreditariorum, vid. Donatio. De fundi oppignoratione, vid Pignus. De emtione fundi, vid. Emtio, Reemtio, Evictio. Nemo rusticorum absq; consensu sui domini prædium suum vendere potest, sub pœna amissionis fundi. Revis. lib. 4. tit. 5. art. 16. vid. plura Feudum, Dominus, Domus.

23. Fundus Coloni.

FUNUS.

1. De mortuorum cadaveribus non eruendis.

SI quis hominis mortui cadaver ausu proprio, sine permissu Magistratus sepulchro exemerit, cui id perpetrandi jus fasque non est, vim & Ecclesiæ & mortuorum conditoriis fecisse judicatur, in cujus facinoris mulctam omnia sua bona, quæcunque possidet, Ecclesiæ committit. Si bona, quibus mulctetur, non habeat, ad palum in cœmiterio religator, & quadraginta plagis vapulato, ac secundum auriculas tondetor. Si Clericus facinus hoc designaverit, Episcopus eum omni suæ dignitatis honore privato, ac in perpetuum exuito, sic ut ad conditionis suæ statum recuperandum nullo unquam tempore sit admittendus. Quicunque vero Judex facinus hoc eo modo, quo supra scriptum est, exequi neglexerit, & bonorum amissionem & honoris infamiam incurrito. Atque crimen hoc unicuique persequendi publice Jus esto. Emend. l. 5. c. 62. Corr. l. 5. c. 68. Revis. taliter disponit: Qui hominem mortuum ex proprio motu effoderit, & sepulta cadavera attractaverit, postmodum terræ mandaverit, is virgis cæsus perpetuo relegari debet. Si vero corpus illud & cadaver insepultum reliquerit, vel tale facinus sæpe commiserit, vel armata manu consummaverit, ille gladio ad mortem puniri debet. Qui justificatos maleficos ad patibulum vel in rota suis vestibus spoliant, fustigatione puniri debent, si vero corpora fuerint ablata, & id ab amicis factum sit, tunc illud delictum incarceratione & corporis luitione expiandum venit: Quando vero peregrinæ personæ illud ex malo

2. Alia dispositio Juris Revisi.

malo proposito vel effascinatione usurpata illud faciant, hi pro qualitate virgis cæsi relegantor, vel alias arbitrarie puniuntor. Rev. l. 5. p. 2. t. 16. art. 13. 14. Quod funera propinquorum eximant ab observatione termini judicialis, vid. Impedimentum. Expensæ funebres, vid. Expensæ.

FURIOSUS.

Furiosus excusatur ab homicidio. Revis. l. 5. p. 2. t. 7. art. 15. vid. plura de Furiosis, sub verbo: Testis. Tutor. Actio.

FURTUM.

Frumenti furtum, vid. Frumentum. Equus furatus, vid. Equus. Furti crimen dupliciter accipimus: aliud enim manifestum est, cum quis noctu vel interdiu domum vel cœnaculum introiverit, ibique quidquid præ manu fuit animo furandi contrectaverit, & priusquam res furtivas alio transferret, deprehensus fuerit: aliud furtum nec manifestum dicimus, cum fur rem furtivam vel vi raptam alii tradit, qui rei ejus conditionem non ignorat. Si quis vestem alicujus clam exportavit, nec ante quartum diem domino, id a se factum denunciavit, ille si volet, furti eum arguere potest, quatenus antea rem subtractam requisiverit, & fur vestem inficiatus fuerit. De furto autem conventus ejus criminis nomine respondere cogitur. Actor autem testato rem vindicet, eamque sibi furto ablatam probet, si res præsens sit; si absit, reum virorum bonorum testimonio convincat, quibus liquido constet, quique rem eam actori furto sublatam certis indiciis demonstrent. Emend l. 5. c. 63. Corr. l. 5. c. 28. Furtum est, cum quis non solum furando, antequam eò, quo destinaverat, abstulerit, & desuper clamore & rumore hominum excitato, cum rebus furtivis apprehen-

1. De furto manifesto & minus manifesto.

2. Quid sit furtum.

ſus fuerit; verum etiam cum fur non capitur vel cum rebus deprehenditur, ſed cum iisdem aufugerit, & in ſuam vel aliorum hominum poſſeſſionem transtulerit. Reviſ. l. 5. p. 2.

3. De pœna furti.

t. 16. art. 1. Quisquis in facto recenti comprehenſus ac captus, cum re furtiva, vel per vim rapta, in Judicium pertrahitur, nullum poteſt autorem laudare, quatenus in continenti propter furtum accuſatur. Si quis bonæ hactenus exiſtimationis habitus in furto palam interdiu deprehenſus fuerit, quatenus res furtiva pretium quinque Aureorum Ungaricalium non attingit, virgis cæditor, quatenus exceſſerit, furcæ ſupplicium eſto. Si quis in furto, quod noctu perpetratum ſit, deprehenditur, quatenus res valorem quinque Aureorum Ungaricalium adæquat, laquei pœna committitur. Si in viri boni, qui vitæ ſit inculpatæ, domo vel area res furtiva inveniatur, hoc illi fraudi non eſto. Sin autem res furtiva deprehendatur in ejus armario, pergula, ciſta, vel alio loco concluſo, cujus ipſe cuſtodiendi cauſa claves gerit, furti obnoxius eſto. Emend. l. 5. c. 64. Correct. l 5. c. 29. Reviſ.

4. Additamenta Juris Reviſi.

l. 5. p. 2. t. 16. art. 12. 15. ubi additur: Quisque tamen diſcretus Judex circumſtantias cauſæ & perſonarum, ut & frequentiam delicti, & ſpem emendationis ponderabit, & nihilominus pœnam in relegationem cum perpetuo Juramento exultionis extendere debet. l. c.

5. Furtum cum effractione & violentia.

Furtum quis committens vel die noctuve patrans, & in domum alterius per incenſionem, fracturam violentam, cum armis quibus reſiſtentes fructumque contrectantes offendere poſſit, is laqueo puniri debet, ſive furtum illud exiſtat leve, ſive grave. Rev. l. 5. p. 2. t. 16. art. 3.

6. De furis ſociis.

Si plures furtum committant, & ex furto pretium quinque Aureos Hungaricales excedens lucrati ſint, tunc omnes Virgis cæſi relegandi ſunt. Si vero furtum hoc cum effractione violenta factum ſit, omnes patibulo pœnam eluant. Reviſ. l. c. art. 4. De auxiliariis furti vid. Auxilium.

7. De minoribus furantibus.

Quamdiu quis infra quindecim pubertatis annos conſtitutus eſt, furto vitam non committit. Furtum autem tutores ex pupilli facultatibus iis, ad quos ea res pertinet, reſtituant. Si pupillus in bonis, quod reſtitui poſſit,

non

non habeat, virgis cædatur. Emend. l. 5. c. 68. Correct.
l. 5. c. 33. Revisum addit: Si vero delinquens annum deci- 8. Additio
mum quintum prope adimpleverit, & aliæ periculosæ circum- Juris Revisi.
stantiæ emergant, si scilicet malitia ætatem suppleat, tunc
Judicis discretioni, quomodo in causa procedendum sit,
relinquitur. Revis. l. 5. p. 2. t. 16. art. 6. De furto aratri
vid. **Aratrum.** Qui plantatas vel fructiferas arbores furto 9. Furtum
abstulerit, deterioraverit, aut etiam alias hortos furtive hortorum.
attractaverit, pro qualitate relegatione & fustigatione puniri
debet. Revis. l. 5. p. 2. t. 16. art. 8. De **Plagio**, **Sacri-
legio**, **Sepulchro violato** vid infra. De **Abigeatu**
vid. supra. De cadaveribus punitorum vid. **Funus**, **Vin-
dicatio.** Si quis, cum inter alios consedisset, crumenam 1. Si quis rem
suam, in qua pecuniam reconditam habebat, ipsemet abscide- suam occul-
rit, ac occultaverit, mox ab aliis, qui intersunt, furto sibi tet, ac alios
ablatam prætenderit, excepto eo, penes quem res vel pecu- furti infamu-
nia furtiva deprehensa forte fuisset: quo casu Judicium in let.
eam rem datur, uti Jure constitutum est. Cum autem pe-
cunia penes eum qui amisisse simulaverat, deprehenditur,
siquidem sexaginta vel plures sint denarii, arbitrio Judicis
secundum facti qualitatem mulctabitur. Emend. l. 5. c. 66.
Correct. l. 5. c. 34.

GEDANUM. Vid. Elbinga. Thorunium.

GESTIO NEGOTIORUM.

Vid. supra **Administratio.**

GERMANICA LINGUA.

Vid. **Lingua.**

GLADIUS. Vid. Arma.

GRANICIARIA CAUSA.

Vid. supra Condescensio.

GRAUDENTUM.

1. Graudenti celebratur conventus publicus.

COnventus publici seu generales, juxta proximam ordinationem nostram, in Prussia quotannis bis celebrentur, Verno videlicet tempore Marienburgi, ad diem S. Stanislai; tempore autem Autumni in Graudentz ad diem S. Michaelis. In nostro tamen arbitrio erit, cum res ita postulaverit, alium locum & tempus hujusmodi Conventibus præscribere. Peculiares autem Conventus per nos instituendi locum & diem ex nostro arbitrio sortientur, vid. Constitutiones D. Sigismundi Regis ab Anno 1538. §. 8.

GRATIA.

Qui se submittat Gratiæ Senatus, vid. Consul.

GRAVITAS.

1. Uxores prægnantes.

SI mariti Uxores suas prægnantes indebitè & supra modum, quo fructus ventris lætaliter læderetur, percutiant, si hoc probetur & forti præsumtione nitatur, fructum hicinde interfectum esse, hi corpore & vita puniri debent, Revis. l. 5. p. 2. t. 7. art. 7. Mulieres prægnantes etiam eximuntur a tortura, Revis. l. 5. p. 1. t. 17. art. 3.

GUARANDA. Vid. Cautio.

GULA.

GULA. Vid. Vestitus.

GUBERNATIO.

DE Gubernatione Castrorum, Civitatum & quorumcunq; Fortalitiorum in Terris Prussiæ existentium vid. infra Indigenatus.

HÆRETICUS.

Hæreticus non potest esse testis, vid. Testis. Hæreticus exhæredari potest. vid. Exhæredatio.

HÆRES. HÆREDITAS.

Quid secundum Successiones, de Jure Terrestri observandum sit.

IN quæcunque bona, tam mobilia quam immobilia, si filii supersint, æquis sortibus filii tantum succedant: masculis deficientibus filiæ. Existentibus autem filiis, filiæ dotem per Parentes, dum in vivis essent, inscriptione, vel exemplo alterius filiæ assignatam habebunt. Quæ nisi a Parentibus assignata fuerit, per fratres & duos proximos ex parte Patris, & duos ex parte Matris, duosque Scabinos Terrestres illius districtus, in quo habitabunt, per Judicium Terrestre electos, intra annum & sex menses assignari & constitui debebit. Interim quoad elocentur, pro conditione sua honeste a fratribus educentur & exhibeantur. Quod si intra annum & sex menses, quemadmodum supra constitutum est, Dos assignata illis non fuerit, portiones suas una cum fratribus æquo Jure tam in paternis quam maternis habebunt. Dote autem ita illis assignata, nullum ultra eam sibi Jus hæreditarium, in bonis paternis vel maternis, aliorumve Ascendentium, ac

1. Directe descendentes utriusq; sexus.
2. Dos filiarum.

etiam per aliquem ex fratribus ſteriliter decentem, ſi alii ex fratribus ſuperſtites ſint, vendicare poterunt, licet nulla eo nomine renunciatio facta ſit. Nec ut Dos decedentium fratrum ſibi augeatur a fratribus, petere, ſed illæ ſortes fratrum ſteriliter decedentium, ad fratres ſolos, aut fratrum maſculini ſexus liberos, qui ſupervixerint, pleno Jure devolventur. Quod ſi fratres omnes ſteriliter decedant, ſorores earumque liberi in ſtirpes in bonis ſuccedent: ſororibus itidem amitis, materteris, avunculis, aliisque cognatis, non tamen patruis, vel patruelibus, aliisve agnatis una cum fratribus ſorores earumque Succeſſores in ſtirpes itidem ſuccedent. Nec maritus in bonis uxoris, nec uxor in bonis mariti poſt mortem alterius, quicquam Juris amplius (Juribus tamen ejusmodi præteritis nihil nocendo) ſibi vendicare, aut uſurpare poterunt, quam quod ad Acta publica quæcunque avthentica legitime inſcriptum ſibi docere poterunt. Loco vero ſucceſſionis mutuæ in dimidiam partem bonorum, quæ hactenus in uſu fuit, bona, quæ ad maritum attulerit, dotemque & contra dotem a marito ſibi inſcriptam, integram habere debebit, quas ita marito inſcribere liberum erit, ne amplius tamen, quam dimidiam partem bonorum ſuorum iis oneret. Et dotis quidem proprietas ad illam, hæredesque ipſius pertinebit: Contra dote autem ad vitæ tempora utetur, frueturque; Succeſſoribus tamen defuncti, de reſtitutione poſt mortem ſuam, inſcriptione in aliqua bona libera, vel ſua, vel fidejuſſorum ſufficienter poſſeſſionatorum, cavere tenebitur. Advitalitium etiam Jus mutuum in omnibus bonis liberum erit Conjugibus ſibi inſcribere. Si quæ etiam nullam dotem a Marito inſcriptam habuerit, quartæ tamen partis bonorum mariti defuncti uxor ſuperſtes uſumfructum percipiet, donec ad ſecundas nuptias tranſierit. Succeſſionum autem hæc erit ratio. Primo per directam lineam deſcendentes ſuccedent. Itaque ſi quis decedens filios aut filias; ex aliis autem filiis aut filiabus nepotes neptesve, aut etiam ulteriore gradu deſcendentes reliquerit, vel etiam nullos filios filiasve, ſed tantum nepotes neptesve, aut ulteriores,

Margin notes: 3. Succeſſio Collateralium. — 4. Succeſſio Conjugum. — 5. Succeſſio lineæ directæ cum Jure repræſentationis.

riores, in bona Avi Aviæque in ſtirpes ſuccedant, tantum videlicet unius cujusque ſtirpis poſteri accepturi, quantum ad Parentes ipſorum, ſi in vivis eſſent, ſortem pertineret. Si neque filios filiasve, neque ab iis deſcendentes quis reliquerit, fratres autem, vel fratribus non exiſtentibus, ſorores germanæ, defunctorumve fratrum, aut ſororum liberi, deſcendentesque exſtiterint, ſecundum ea, quæ ſupra ſtatuta ſunt, in ſtirpes itidem ſuccedant. Si neq; per directam lineam, neq; a fratribus & ſororibus deſcendentes exſtiterint, proximi Succeſſores Aſcendentes per directam lineam ſint, in qua linea hi gradus ſunt: Pater, Mater, Avus, Avia, Proavus, proavia, Abavus, Abavia, cæterique omnes, qui in Jure Parentum nomen obtinent. Neque deſcendentibus per directam lineam vel a fratribus & ſororibus neq; aſcendentibus per directam lineam ullis exiſtentibus quarto loco cæteri vel agnati vel cognati, ut Patrui, Avunculi, Propatrui, Proavunculi, & ſimiles ab iisdem deſcendentes, eo, quo Pater & Avus ipſorum, ſi in vivis eſſent, Jure ſuccederent, id eſt in ſtirpes. Succedere autem quisque debet in ea tantum bona, quæ ab eo proficiſcuntur, per quem cognatione defuncto conjungitur, ut paterni propinqui in paterna bona ſuccedant, materni vero in dotem tantum, vel bona materna. Itaque, ſi quis ex una tantum uxore liberos aut ab iis deſcendentes habuerit, in utraque bona tam patris quam matris, eo, quod ſupra conſtitutum eſt inter mares & fœminas, diſcrimine conſervato, ſuccedent: Si ex pluribus uxoribus, in paterna quidem bona conjunctim itidem ſuccedent, in materna ſeparatim, ſuæ quisque matris. Eodem modo, ſi germanum fratrem, aut fratre deficiente ſororem, aut ab iis deſcendentes defunctus reliquerit, itidem tam in paterna quam materna bona defuncti ſuccedant: Si conſangvineos fratrem ſororemve, aut ab iis deſcendentes defunctus reliquerit, in paterna defuncti bona tantum ſuccedent, in materna autem materni propinqui defuncti, quamvis remotiores. Itidem, ſi uterinus frater ſororve, aut ab iis deſcendentes exſtiterint, materna tantum bona defuncti capient, ad paterna autem paterni tantum propinqui admittentur. etſi remotiore gradu conjuncti

6. Succeſſio Collateralium.

7. Succeſſio Aſcendentium in linea directa.

8. Cognatorum Succeſſio

juncti illis sint, profectiorum autem seu quæsitorum bonorum defuncti, eadem semper conditio sit, quæ paternorum, vid. Jus Terrest. t. 1. Si hæreditati, in quam debebat succedere, quis renunciaverit, sive filius, sive quicunque alius, ad debita quidem solvenda, aut alia onera hæreditatis non tenebitur, bona autem creditoribus dimittere debet, ac si suspicio aliqua fuerit, ex hæreditate aliquid ad illum pervenisse, a creditore ad Judicium Terrestre vocatus, terminum peremptorium habebit, in quo corporale Juramentum præstet, nihil ex bonis defuncti se possidere, aut dolo malo possidere desiisse, quod si præstare recusarit, ac liquidum debitum quod petetur, fuerit, ad solvendum cogatur, Jus Terrest. t. 2. §. 6. Liberi paternam vel maternam hæreditatem inter se dividere possunt, sed nullus illorum separatim portionem suam hæreditariam donare vel alienare potest absque cæterorum consensu Emend. l. 3. c. 23. Corr. l. 4. c. 6. Quicunque descendentes vocantur hæredes, masculini vel fœminini sexus, cæteros omnes tam in ascendenti quam collaterali linea collocatos, quantumvis in gradu cognationis illi sint propiores, excludunt. Verbi gratia: Decedit quis, relictis post se pluribus filiis & filiabus, æqualiter omnes in viriles succedunt portiones. Item, decedit quis, relictis superstitibus filiis & neptibus, nepotes cum ejus filiis, hoc est cum patruis, avunculis, amita vel martertera suis, æque sunt hæredes in bonis avitis, non in capita quidem, sed in stirpes. Personam enim Parentum referunt, easque portiones accipiunt, quas parentis, si tum viverent, accepturi fuissent. Hoc Jus repræsentationis appellamus; in quo locum non habet vulgata regula: Qui gradu propior est, a Successione remotiorem excludit: nisi parentes, dum in vivis erant, portiones suas præcepissent, & Jure familiæ erciscundæ in Judicio constituto cum religione Jurisjurandi sui renunciassent. Hoc enim casu nepotes una cum defuncti filiis non admittuntur. Idem intelligendum de cæteris descendentibus, nec enim hæreditas recta linea excidit, quamdiu descendentes supersunt' Emend. l. 3. c. 24. Corr. l. 4.

9. Renunciatio hæreditatis.

10. An liberi hæreditatem donare possint.

11. De Successione descendentium ab intestato, secundum Jus Culmense.

l. 4. c. 34. Revis. l. 3. t. 9. art. 1. Si quis diem functus sit, relictis ex matrimonio tam primo quam secundo liberis & uxore superstite, quam tertiis sibi nuptiis copulaverat, nec ex ea liberos susceperat, hæreditatis suæ tam in mobilibus, quam in immobilibus rebus consistentis semissem ad liberos utriusque matrimonii, utpote suos hæredes in capita dividendum, & alterum semissem ad uxorem superstitem transmittit. Emend. l. 3. c. 25. Revis. l. 3. t. 9. art. 2. Mulier ex hominibus abiit, relicta sorore germana & nepote ex filia procreato: qua quidem filia, nihil interest, utrum ex bonis maternis emancipata fuerit, nec ne; bonorum ejus potior erit hæres nepos, qui matris locum occupat, quam ut soror germana ad hæreditatem aspirare debeat. Emend. l. 3. c. 26. Corr. l. 4. c. 34. Revis. l. 3. t. 9. art. 3. Filius vel filia naturalis partem suam hæreditatis ex bonis maternis æque capit, ut cæteri fratres vel sorores legitimi, sive ante vel post naturalem, constante jam matrimonio inter homines esse ceperint. Emend. l. 3. c. 27. Corr. l. 4. c. 45. Revis. l. 3. t. 9. art. 4. Spurius, qui nullos hæredes post se relinquit, habet primo pro hærede succedente matrem suam naturalem, si vero mater ejus e vita migravit, tunc ejus fratres, sive sint germani, seu non, æqualibus portionibus hæreditatem adeunt. In defectu fratrum seu sororum, cæteri Consanguinei, qui ratione defunctæ matris parile Jus sangvinis habent, in hæreditate succedunt, quatenus suum Jus sanguinis in Jure liquidum fecerint. Em. l. 3. c. 31. Corr. l. 4. c. 46. Rev. l. 3. t. 9. art. 16. Si quis ex concubina liberos sustulerit, deinde justis nuptiis eam sibi conjunxerit, ac itidem ex ea, postquam in manum convenerat, liberos genuerit, priores liberi censentur legitimi propter matrimonium subsecutum. Itaque patre diem functo, tam priores quam posteriores æqualiter succedunt, ex Juris præscripto. Emend. l. 3. c. 28. Corr. l. 4. c. 47. Rev. l. 3. t. 9. art 5. Si quis communis naturæ munere defungatur, nec filiis nec nepotibus, nec ulterioribus descendentium post se relictis, hæreditatem ad ascendentes, puta patrem, matrem, avum, aviam, & ulteriores ab intestato

12. De liberis ex diverso matrimonio procreatis.

13 An frater vel soror, an nepotes potiori loco censeantur.

14. De liberis naturalibus sive spuriis.

15. Hæreditas spuriorum.

16. De liberis legitimandis.

17. De Successione ascendentium.

transmittit. Itaque cum filius rebus humanis exemptus fuerit, & a se liberos non reliquerit, pater & mater, si ambo supersunt, hæreditatem ejus vendicant; Sin alteruter jam antea vita decesserat, sic ut vinculum paternæ maternæve conjunctionis alterutrius morte sit solutum, fratres & sorores ad defuncti fratris successionem Jure nostro vocantur. Intelligendum hoc est de patre & matre, fratre & sororibus ab utroque latere cognationem integram præ se ferentibus: alioquin enim pater vel mater peculiarium liberorum, hæreditatem adeunt, fratribus & sororibus ex uno saltem latere venientibus penitus exclusis. Exemplo res erit manifestior: Cum quis vir vel qua mulier ad quartas vel quintas nuptias ordine legitimo transiisset, & ex quolibet matrimonio filium vel filiam superstitem haberet: Si filius vel filia, ex primo vel secundo matrimonio geniti, in rerum natura versari desierint, pater vel mater ejus hæres erit, non autem frater vel soror, ex tertiis vel quintis nuptiis uno saltem necessitudinis fraternæ vinculo consociati. Emend. l. 3. c. 29. Corr. l. 4. c. 27. Revis. l. 3. t. 9. art. 6.

18. Avus an patruum aut avunculum excludat.

Si defunctus superstites relinquat avum simul & patruum vel avunculum, vel amitam, vel marterteram, is hæreditatem suam ad avum devolvisse certis argumentis intelligitur, itidem etiam ad Proavum & cæteros qui ordine consequuntur, Em. l. 3. c. 30. Corr. l. 4. c. 33 Rev. l. 3. t. 9. art. 7. 8. Ast dissentit Jus Culm. vet. l. 4. c. 77.

19. Quod frater & soror post Patris obitum matri præferantur.

Cum quis fato defunctus res quascunque in bonis suis reliquerit, & itidem liberos legitimis natalibus ortos secundum se superstites habuerit, illorum adhuc matre inter vivos manente, si post ejus obitum unus ex liberis itidem fati sui munus impleat, hæreditatem ejus cæteri fratres vel sorores, quatenus æquis ambulant natalibus, adipiscuntur, matrem autem excludunt. Cum vero fratres & sorores omnes diem suum obierint, neque sobolis spem reliquerint, matrem hæredem postremo nanciscuntur. Emend. l. 3. c. 32. Corr. l. 4. c. 29. Revis. l. 3. t. 9. art. 9.

20. De Successione collaterali fratris & filiorum fratribus.

Si quis vita decedens, superstites habeat fratrem vel sororem, utroque parentum latere consociatos, & præmortui fratris filium: eo casu fra-

ter & soror fratris vel sororis liberos a capiendis bonis excludunt. Nec enim inter collaterales receptum est, ut Jure quod ajunt, repræsentationis, in parentis defuncti locum substituantur. Emend. l. 3. c. 33. Corr. l. 4. c. 35. Rev. l. 3. t. 9. art. 11. Si quid humanitus illi contigerit, qui fratrum alterutrius conjunctionis consanguineum vel uterinum & fratris filium, præmortui, qui cum utriusque parentis vinculo natales æquos & integros habuerat, in vivis post se reliquos habeat, frater ex altero saltem parente natus liberis præmortui fratris, qui duplici utriusque parentis vinculo nitebatur, capiendæ hæreditatis ergo præfertur. Emend. l. 3. c. 34. Corr. l. 4. c. 36. Revis. l. 3. t. 9. art. 12. Si quis decedens, superstites habuerit patruum, vel patris fratrem, consangvineum saltem vel uterinum unius lateris, & patrui filium utrisque natalibus cum defuncto consociati: ratione Juris introductum est, ut æqualibus partitionibus ad hæreditatem defuncti vocentur. Emend. l. 3 c. 35. Rev. l. 3. t. 9. art. 12. Corr. l. 4. c. 35. ubi vero utrique æqualem portionem hæreditariam attribuit. Cum hæreditas sine fratribus & sororibus derelicta in plano ponitur, quicunque post fratres & sorores gradu pari defunctum attingunt, pari Jure viriles portiones hæreditatis capiunt, nullo sexus virilis vel muliebris discrimine constituto. Emend. l. 3. c. 36. Corr. l. 4. c. 26. Revis. l. 3. t. 9. art. 14. 15. Si quis diem functus reliquerit inter vivos avum & fratrem consanguineum saltem, vel uterinum, avus ad defuncti hæreditatem solus admittitur. Emend. l. 3. c. 37. Corr. l. 4. c. 33. Patruus vel avunculus, amita vel martertera & defuncti fratris vel sororis liberi, pari gradu parique Jure in successionibus censentur. Emend. l. 3. c. 38. Revis. l. 3. t. 9. art. 13. Si quis extremis suis defunctus, præ mortui fratris vel sororis unius vel plurium disparis numeri, unum vel plures liberos superstites habuerit, omnes illos pariter ad ejus hæreditatem in capita, non in stirpes vocari constitutum est. Emend. l 3. c. 39. Correct. l. 4. c. 44. Revis. l. 3. t. 9. art. 15. Si cui hæreditas obvenit pro Judicio constituto, semet ipsum sistito, & defunctum, qui hæreditatem

21. De fratribus ex alterutro parente conjunctis, & fratris mere germani filiis

22. An patruus unius lateris, an patrui filius, utroq; Parentum vinculo subnixi, potior habeatur?

23. De hæreditate sine fratribus & sororibus derelicta.

24. Avus an frater ex uno latere præferatur.

25. De patruo vel avunculo & fratris vel sororis filio.

26. Fratrum libori utrum in stirpes an capita succedant.

27. De hæreditatis petitione, & cognationis Jure

probando vel cautione præstanda. ditatem post se reliquam habuit, nuncupato, deinde gradum cognationis suæ profitetor, eamque testibus & Jurisjurandi religione comprobato, atque hic hæreditatis adeundæ ritus esto. Hæreditatis autem ergo, vel fundis & possessionibus vel fidejussoribus probe caveto; si quis potior hæres intra diem annuam adfuerit, ut ei loco cedat. Sin autem is, qui proxime ad hæreditatem accedit, post ampliorem diem veniat, majoris impedimenti causa retentus, is in Judicio constituto, necessitatis, quam prætendit, fidem, ut Juris est, facito, si deinde cognationem potiorem probaverit, hæreditatem præcipito. Emend. l. 3. c. 40. Correct. l. 4. c. 39.

28. De hæreditatis ære alieno dissolvendo. Revis. l. 3. t. 10. art. 1. Si defunctus non alia bona præter fundum in foro suo reliquerit, hæres ejus, qui fundum occupat, omne æs alienum, de quo liquido constat, defuncti dissolvere cogitur, quatenns hæreditatis descriptionem non confecerit. Sin autem, uti par est, inventarium cum scitu & consensu Judicis conscripserit explorandi causa, quantæ sint hæreditatis illius facultates, & quantum ex ea creditoribus debeatur, hoc casu nulla cogitur necessitate, qua cui debitum ultra vires hæreditatis exsolvat, nisi quod sua sponte facere volet. Si per hæredem stet, quo minus creditoribus fundum oppignorare liceat, Jure creditores illum cogent, & fundum illum nexu debiti mancipabunt Jure solenni, eumq; pro æris sui debito sibi adjudicari postulabunt. Si quis deinde fundum liberare vel defendere volet, sciat pro debito sibi respondendum, & creditoribus solutionis ergo satisfaciendum esse. Emend. l. 3. c. 41. Corr. l. 4. c. 42. Revis. l. 3. t. 10. art. 2. De Successione Jurisdictionis hæreditariæ vid.

29. De usu & Judicio familiæ herciscundæ. Jurisdictio. Cum uxor in manum viri convenit, marito deinde mortuo, mulier beneficio Juris Culmensis semissem omnium bonorum capit, liberi vel alii quicunque tandem sint viri hæredes altero semisse potiuntor. Mulier quæ liberos habet superstites, in bonorum possessione manet, quamdiu ad secundas nuptias non convolaverit, quatenus nimirum absq; liberorum fraude ac detrimento bona administrat, & quatenus liberi, qui suæ jam factæ sunt ætatis, portionem patri-

patrimonii sui non exigunt. Alioquin mulier post diem tricesimum, is enim mensis luctui datur, cum liberis & aliis mariti hæredibus divisionem inire cogitur, ut Juris ratio præscribit. Si defunctus liberos ex priori matrimonio superstites reliquit, ii semissem omnium bonorum una cum cæteris æqualiter capiunt. Idem de uxore, quæ ante maritum decessit, deque liberis ejus ex anterioribus nuptiis erit intelligendum. Emend. l. 3. c. 43. Corr. l. 4. 23. Revis. l. 3. t. 10. art. 11. Quilibet viduus vel vidua, priusquam ad secunda vota migraverit, ante diem nuptiarum liberis vel cæteris defuncti mariti vel mulieris hæredibus, secundum religionem hercifcundæ familiæ, nisi Juramenti gratiam liberi vel hæredes ipsis fecerint, hæreditatis divisionem præstanto: Ni faciant juxta cujusque plebiscitum vel consvetudinem puniuntor. Si cum minoribus instituatur divisio, ea in Consulatus & Judiciorum libros publicos, ob rei gestæ testimonium rite refertur. Quod in quibusdam locis Terrarum Prussiæ receptum est, ut Parentes superstites minorennium liberorum portiones in usu possessioneque retineant, quoad illi in tutelam suam pervenerint, si parentes interim vel sua ipsorum culpa, vel ad vim majorem, DEO connivente, facultatibus labi ceperint, id absque liberorum fraude dispendioque esto. Minores in bonis parentum tacitam hypothecam habento, ejusque Jure cæteris creditoribus omnibus præferuntor. Emend. l. 3. c. 44. Rev. l. 3. t. 10. art. 12.

30. De exdivisione ante secundas nuptias instituenda.

Cum hæredes quinque seu plures, seu pauciores domum, granarium vel alium fundum hercifcundæ familiæ, vel alio titulo communem possident, eumque communem amplius habere nolunt, Juris authoritate receptum est, ut ii, qui communionem vel societatem bonorum dissolvere desiderant, fundum communiter possessum æstimato proponere debeant, utq; ii, quibus æstimandus fundus proponitur, optionem habeant, fundum æstimato pretio vel sibi retinere, vel æstimanti eodem pretio relinquere. Emend. l. 3. c. 45. Revis. l. 3. t. 10. art. 13.

31. De communione unius fundi dissolvenda.

Cum quis filias duas inter vivos reliquas haberet, majorem natu in matrimonium collocavit,

32. De fundi divisione inter sorores

controversa. vit, & fundum in dotem dedit, quem illa cum marito triennium & amplius possedit. Patre die functo natu minor postulat, fundum in divisionem vocari, quandoquidem hactenus pro indiviso habitaverint, nec illi fundus eo loco, quo rite fieri debuit, traditus & transscriptus fuerit. Opponit altera, quæ maritata est, se fundum citra contradictionem tamdiu habuisse & possedisse, publice cum sorore semper conversatam, ultra diem annuam altum silentium fuisse, ideoque non teneri se fundum ad divisionem prostituere. Hæc facti species ita Jure definitur: Si fundus in Judicio constituto, testibus, Judice & Scabinis, in dotem majori sorori datus est, eaque illum diem annuam absque legitima contradictione possedit, rata erit donatio & minor soror ab actione repelletur. Sin autem id coram Judicio constituto solenniter actum non est, ut majori sorori & ejus marito fundus in dotem cederet, minor æquali Jure cum majore ad divisionem fundi paterni vocabitur. Et licet major cum marito suo tamdiu fundum habuit ac possedit, nec junior interim actionem movit, Juri tamen ejus hoc pacto non præjudicatur. Nam etsi quivis alias hæreditatem sibi obvenientem, intra diem annuam non petivit, non ideo Jus suum facit deterius, nisi fundi sint, qui solenni Judiciorum more alii donarentur, & donatio nemine, ut Juris est, contradicente per annuam diem constitisset. Emend. l. 3. c. 46. Correct. l. 3. c. 43. Revis. l. 3. t. 11. art. 1.

33. De eo quod Pater liberorum alicui præcipiendum dedit. Cum pater uni ex liberis, quos ex diversis nuptiis sustulit, rem mobilem præ cæteris sigillatim habendam dederit, Judice & Scabinis in Jure auctoribus, patre mortuo rata est donatio, nec cogitur filius, quod datum est, in divisionem conferre. Illud autem quod super est, omnes ex æquo dividunt, si iisdem legitimis natalibus omnes sint procreati. Emend. l. 3. c. 47. Corr. l. 4. c. 11. Revis. l. 3. t. 11. art. 2.

34. De emancipatione liberorum. Si pater vel mater unum ex filiis vel filiabus, data bonorum suorum portione, emancipaverit, sive manu paterna liberatus in parentum convictu remanserit, sive peculiarem alat familiam, quatenus parentibus defunctis hæreditatem petere cum cæteris ad successionem

onem

onem æqualiter admitti volet, neceſſitatem propoſitam habebit, pro Jurisjurandi ſui religione omnia bona, quæ per manumiſſionem e ſacris paternis acceperat, ſiquidem mobilia ſint, in diviſionis communionem redigere, de immobilibus vero, quæ cerni monſtrarique poſſunt, Juramentum non datur, atque hic in commune collatis cum cæteris æqualiter admittitur, quantumvis Juri diviſionis renunciaverit, niſi in conſtituto Judicio renunciaſſet, vel ſolenni Juramento ſe bonis hæreditariis abdicaſſet. Emend. l. 3. c. 48. Corr. l. 4. c. 31. Rev. l. 3. t. 11. art. 2. Cum hæreditas vacat, ſic ut 35. De bonis caducis.
intra diem annuam nemo petat vel adeat, ea ad poteſtatem Regiam devolvitur. Emend. l. 3. c. 49. Corr. l. 4. c. 28. Reviſ. addit. Si exiſtat præſumtio, quod aliqui in exteris 36. Praxis circa bona caduca.
Regionibus hæredes exiſtant, anno præterlapſo edictaliter, in loco jacentis hæreditatis, & in trium adjacentibus dominorum territoriis adcitari debent, nemine comparente hæreditas fiſco adjudicatur altero anno effluxo. Si poſtea hæres adventet, probare tenetur ignorantiam mortis defuncti, quo caſu ejus hæreditas ei reſtitui debet. Reviſ. l. 3. t. 9. art. 18. Quid Juris ſit circa Juramenta hæredum, vid. **Juramentum.** Occiditur quiſpiam, uxore prægnante ſuperſtite, proximus 37. De eo quod ex occiſi vindicta provenit.
agnatus cædem ulciſci Jure cepit, Jus autem vindictæ peragendæ uxor æque ac agnatus habet, interim in vitam ingreditur infans, & mox poſt ortum ab hac luce ſubtrahitur, priusquam cædis paternæ vindicta judiciali decreto determinetur: dubitationis erat, ſi qua pecunia nomine transactionis vel pœnæ, ob cædis perſecutionem proveniſſet, utrum ad matrem ex filii ſucceſſione devoluta ſit, an ad agnatum proximum, qui cædis vindictam peregit, magis pertinere videatur? Et non ignoti Juris eſt, eam pecuniam, quæ poſt infantis mortem in cædis vindictam legitime ceſſit, ad matrem devolui, non ad proximum agnatum pertinere. Æquum autem eſt, ut mater agnato, ſumtus in eam rem factos reſtituere jubeatur. Emend. l. 5. c. 46. Corr. l. 3. c. 37. Qui 38. Bona criminaliter punitorum.
in cauſa maleficii criminali vita punitur, omnia ſua bona ſolis ſuis hæredibus relinquit, nec ullus alius eadem occupare

poteſt

poteſt. Corr. l. 4. c. 48. Reviſum excipit tantum crimen læſæ Majeſtatis, quo caſu omnia relicta bona ad fiſcum devolvuntur. Reviſ. l. 3. t. 9. art. 17. Paterfamilias dat ſuo filio, qui in ſuis ſacris eſt, decem fruſtra ceræ, ut cum iisdem mercaturæ cauſa Norimbergam diſcedat, filius cum commiſſa cera fit redux, fratresque & ſorores cum eo ſecundum portiones hæreditarias iſtam ceram dividere volunt; ille dicit: Parentem ſibi iſta decem fruſtra ceræ præcipiendo dediſſe, quod tamen non coram Judicio bannito factum eſt. Quæritur, an filius libellatam ceram, quando aſſertionem ſuam Jurisjurandi religione confirmet, retineat, vel quid Juris ſit? Jus diſponit: Si defuncti viri liberi nondum e laribus parentis ſeparati ſui Juris facti ſint, tunc filius omnia relicta bona ſui parentis cum cæteris liberis exdividere tenetur. Neutiquam procedit in Jure aſſertio, quatenus parens ceram præcipiendo filio dediſſet, qui tamen cum ea manſit in patria poteſtate, neq; iſta donatio coram Judicio facta eſt Corr. l. 4. c. 37. vid. pl. **Iventarium. Teſtamentum. Donatio.** An expenſæ educationis a maſſa hæreditaria deducantur? vid. **Educatio.** De Interventione hæredum, vid. **Interventio. Retractus.** De hæredibus ſociorum in contractu, vid. **Societas.** Quatenus injuriæ tendunt ad hæredes, vid. **Injuria.**

39. De in præceptionem hæreditatis datione.

HOMICIDIUM.

Vulnerum & homicidii cognitio in Terreſtribus, vi Conſtitutionum, tantum ad Palatinum ſpectat, vid. Jus Terreſt. t. 5. §. 28. Si in captura proſcripti proſcriptus occidatur, vid. **Bannitus.** Ratione homicidii tam civiliter quam criminaliter poteſt agi, vid. **Mulcta.** Si quis alium inſimulet teſtibus adhibitis, quaſi agnatum vel hoſpitem ſuum interfecerit, cujus cadaver in re præſenti Scabini non inſpexerant, teſtibus actionem reus Juris ordine declinabit;

1. Palatinus cognoſcit de homicidio in terreſtribus.

2. De homicidii inſimulatione.

Sin

Sin absque testibus conveniatur, ut se crimine liberet, religioni ejus committitur, nisi cædem actor clamore fuisset contestatus. Emend. l. 5. c. 41. Correct. l. 3. c. 28. Si quis occisum in Judicium deferat, & in ejus corpore Scabini neq; vulnera, neque plagas, nec alia cædis signa deprehendere possint, ex quibus indicium sit, eum cæde consumptum fuisse, atque post Scabinorum testimonium proximus agnatus virum integræ famæ, in ipso facinore non deprehensum, ejus cædis reum facere velit, & nuda quidem accusatione; probabilius dicitur, reum Jurejurando suo accusationem elidere. Sin autem testibus actori adstipulantibus accusatur, & cædes clamore violentiæ in testatum venit, itidem testibus innocentiam ejus defendendi Jure constitutum est. Emend. l. 5. c. 42. Corr. l. 3. c. 27. Si mulier in recenti facinore cædis aut vulnerationis deprehendatur, majoris est rationis, ut actor eam testimonio fide dignorum hominum convincere possit, quam innocentiam illa prætendere, quo minus Judicium patiatur. Si mulier accusetur ob cædem vel vulnerationem, cujus Judicium eodem die factum sit, quatenus illa de parendo Juri vadimonium constituit, potior erit ad probandam testibus fide dignis innocentiam suam, quam ut in accusationis periculum conjici debeat. Si mulier conveniatur ob maleficium comperendinatum, ejus Jusjurandum ad elidendam actionem illi subserviet, ne quod amplius periculum sit expectandum. Emend. l. 5. c. 44. Correct. l. 3. c. 10. Inter pubertatis annos, minores nihil intelliguntur delinquere, quo vitam vel caput committant. Si minor quempiam occiderit, vel corporis noxam intulerit, tutor æstimationem damni præstabit, uti pro cæsi vel vulnerati conditione sancitum est, si modo minor facinoris rite convincatur. Quodcunq; etiam damnum minor injuria dederit, ex ejus bonis æstimationem tutor exsolvet. Si quis adultus casu, non ex animi sui proposito, minorem interfecerit, noxam æstimatam juxta conditionem occisi integre præstabit. Si quis minorem percusserit vel capillo traxerit, vel virgis ceciderit, ob id, quod male fecerat, non erit culpæ adscribendum,

3. Si in corpore occisi signa non appareant.

4. Si mulier ob cædem aut vulnerationem accusetur.

5. De minori cædente vel cæso & de minorum coercitione.

bendum, quatenus Jurejurando probaverit, se non injuriæ causa, sed emendandi animo malitiam coërcuisse. Em. l. 5. c. 47. Corr. l. 3. c. 34. De ope auxilioque cædis, vid. Auxilium.

6. De proprii corporis tutela.

Cum quis alterum aliquem noctu vel interdiu invadit, nemine præsente, qui rem geri videat, alter retrocedit quantum potest, ac lubens ab eo se missum fieri cuperet; ille plagas ingerere pergit, alter ubi videt, sibi defensionis necessitatem impositam, pari vi resistit, & ob tutelam sui corporis hominem interficit, quæritur, quomodo fidem justæ ac necessariæ defensionis facere debeat? Nostri Juris autoritate responsum est, ut is, quamprimum ejus copiam habuerit, Judicem adeat, & Judicis potestati se committat, eidem etiam gladium suum in notionem legitimam tradat, atque Judex eum in fidem recipiat, quod innocentiam, quam præ se fert, ostenderit. Si quis illum cædis accuset, Judex illum in Jure sistat, & ille a defuncti cognatis actionem suscipiat. Deinde Jure decernetur, ut reus, quatenus ob tutelam sui corporis se cædem facere coactum prætendit, Jurejurando suo probet, tribus vel pluribus se passibus retrocessisse, nec amplius evadere potuisse, coactum demum defensionem parasse, & quicquid ejus fecerit, ob necessariam saltem corporis sui tutelam perpetrasse. Si testibus præsentibus reus accusetur, ipse quoque testibus actionem declinandi prærogativam habebit. Si nemo sit ex propinquis occisi, qui cum percussore criminaliter experiri velit, omnis in illum interfecti nomine actio evanescit, & defensionem necessario factam satis abundeque probasse Jure censebitur. Emend. l. 5. c. 51. Correct. l. 5. c. 59. Revis. l. 5. p. 2. t. 7. art. 13. 14. Quid debeatur Judici propter homicidium improvisum, & in genere de casu fortuito, quo homo occiditur, vid.

7. Si viro occiditur qui habet liberos.

Mulcta. Damnum. Quando homo occiditur, qui tres vel quatuor liberos habet, si maleficus per unum eorum in Jure convenitur, & suam peragit causam, tunc reliquis liberis respondere de suo facto ulterius non tenetur. Corr. l. 3. c. 20.

8. Pœna homicidii.

Quandoquidem Deus altissimus expresse in suo deca-

decalogo mandaverit, ut, qui sanguinem hominis fuderit, hujus sanguinis reus esse debeat; ideo omnia rationabilia Jura hoc secuta, & omnes hi, qui ex proposito aliquem occiderint, de vita ad mortem gladio ultore puniri debent, Revis. l. 5. p. 2. t. 7. art. 1. Qui vero dolose ex proposito in proximo malitiosum homicidium commiserit, & quidem in via publica, vel alias in sua possessione, is rota ad mortem tundi, & justificari debet, l. c. art. 2. Omnes etiam hi pro homicidis habendi sunt, qui per sortilegium & veneficia homines scienter interficiunt vitamque adimunt: ideo etiam capite plectendi sunt. l. c. art. 3. vid. **Infanticidium. Coërcitio.** De Assassineis vid. supra. vid. plura **Defensio.** Homicida & cædes, quæ adversum homines miseros perpetrantur, Judex per se, qui potest ac debet inquirere, nimirum quod publice interest, ne cædes maneant impunitæ. Si quis miseræ personæ cædem exequi ceperit, deinde ab hac luce migraverit, ad Judicem actionis persecutio devolvitur. Si postea supervenerit agnatus, & actionem ordine Juris ad se revocaverit, ejus desiderio Judex subscribito, & actionem illi credito. Emend. l. 5. c. 9. Corr. l. 2. c. 61.

9. Homicidium ex insidiis

10. Veneficium.

11. Quis miserorum hominum cædes postulare debeat?

HONOS.

Qui aliquid promittit sub honore suo, pro conservanda sanitate vita & corpore, si non potest fidem servare, ejus honori per hoc non derogatur. Rev. l. 4. t. 10. art. 2. vid. plura **Injuria. Convicium.**

1. An promissio lædat honorem non servata.

HORA.

Hora Judicialis, vid. **Judicium.**

HORTUS.

1. Furtum in hortis.

QUi plantatas vel fructiferas arbores furto abstulerit, deterioraverit, vel absciderit, qui etiam alias furtive attractaverit, pro qualitate relegatione, vel fustigatione puniri debet. Revis. l. 5. p. 2. t. 16. art. 8.

HORTULANUS.

Vid. Merces, Servus, Subditus.

HOSPES. HOSPITATIO. HOSPITIUM.

1. De Jure hospitum.

SI quis Civis hospitem, vel si quis hospes civem in Jus vocet ob debitum, quod testibus præsentibus probari possit, causa hæc statim & in continenti potest decidi. Hospiti vero necessitas imponitur, Jusjurandum dare, nisi quis ejus gratiam facere velit, se peregrinum esse, & tam procul ab eo foro larem habere, ut intra diem unum ad Judicium legitime constitutum adventare nequeat. Qui vero in civitate in dies publice conversatur, & negotia sua gerunt, ii Jure hospitum non censentur. Emend. l. 2. c. 39. Corr. l. 2. c. 22. Revis. l. 2. t. 14. art. 3. Si hospes quem conveniat, Jus illi dicendum est post noctis interstitium, quatenus Jure hospitum uti velit. Si quis autem itineri faciundo jam accinctus hospitem vel civem convenire velit, eum Judex per ministerialem publicum ad Judicium vocet, ac Jure hospitum respondere jubeat. Si vocatus edictum neglexerit, sive civis sive hospes, pro actore Jus dicetur & pronunciabitur, causam eam vicisse, nisi conventus legitimo teneatur impedimento. Acsi civis vel hospes conventus in eo foro bona possideat, in ea actor immittatur pro modo debiti sui, ut Juris est. Si bona ibi non habeat, siquidem præsens

2. Quo Jure hospites, & ii, qui ad iter accincti sunt, utuntur.

sens

ſens eſt, in cuſtodiam detur, quoad actori ſatisfecerit. Si vero civis civem convenire velit, qui poſſeſſor ſit, vel non ſit, ſive hoſpitem in Jus vocet, extra diem Judicii legitime conſtituti actorem illum Judex ad ordinem Juris conſtituti remittat. Quod ſi civis actori oppoſuerit, ſe jam ad profectionem accinctum eſſe, vel commerciorum ſuorum, vel piæ peregrinationis ergo, vel etiam alia urgente cauſa, extra Provinciam abeundi, ſic ut ſtatum Judicii diem expectare neqveat, idque mediante Juramento ſuo comprobaverit, eodem die reſponſum ejus audiatur. Quod ſi hoſpes adverſum civem actorem excipiat, ſe non teneri Judicium ordinarium præſtolari, & in eam rem Jusjurandum juret, cauſa ejus præſente die ventiletur. Si inter litigatores convenerit, nullo diſcrimine civis & hoſpitis habito, ut utrinque in Jus eatur, eo caſu debet conventus adverſarium ſtato die in Jure præſtolari, nec exceptionem profectionis ad commercia ſua, vel peregrinationis ad pia loca, vel abitionis extra provinciam, vel quovis modo accinctus ſit, prætendere poteſt. Sin autem hoſpes vel accinctus itineri faciundo fundos & poſſeſſiones petere ſeu vindicare velint, hi neque hoſpitum, neque peregrinantium Jure utuntor, ſed ſtatos Judicii dies ſecundum Juris ordinem obeunto. Em. l. 2. c. 40. Corr. l. 2. c. 41. Rev. l. 2. t. 14. art. 4. De condictione alimentorum hoſpitis vid. **Alimenta.** Hoſpes civem conveniebat rei vendicatione, conventus nihil a ſe deberi probaturum ſe recipiebat. Hoſpes alteram civi actionem intentabat, is itidem ſe religioſo Jure fidei manusque ſuæ purgari poſſe profitebatur. Decreto dies probationibus peragendis conſtituebatur. Ubi dies venit, hoſpes Jure Provinciali probationes teſtium ac Jurisjurandi, uti decretum erat, poſtulabat. Scabini expectandum eſſe de plano interloquebantur, quamdiu Judicium exerceretur. Conventus interveniens ajebat, ſe pecuniæ, quam actor petebat, ſponſionem facere, ſi provocationi ſuæ ad Judicem, ad quem Juri provocari liceat, cedatur, ac decerni rogabat, an provocationem actor ſequi teneretur? Hoſpes excipiebat, ſe Juris cognitionem deſiderare,

3. De ſententia redargutoria cauſa per decretum prolata.

derare, si non conventus Scabinorum decreto, quoad hoc die Judicio exercebitur, satisfecerit, sibi Jus decreti, quod peteret, potius adjudicatum iri, quam ut adversarii provocationem sequi debeat. Utriusque causæ definitionem Scabini ad proximum solennis Judicii diem, proferebant. Quæsitum est, an probabilius admittendum sit, quod hospes causam obtinuerit, quandoquidem civis probationes, quas receperat, non peregit? Et non est incogniti Juris, siquidem Scabini controversiæ definitionem ad proximum stati Judicii diem protulerunt actore sciente, neque legitimis modis contradicente, quod tam actor, quam reus Judicii diem, & Juris sui decisionem, itidem ut antea, operari debeant. Quamdiu enim sententiæ, quæ totam rem definiant, non promulgantur, nec hospes nec civis Jure suo defraudatus intelligitur. Emend. l. 2. c. 67. Corr. l. 5. c. 12.

4. Si hospes hospitem rapinæ reum faciat.

Cum hospes hospitem rapinæ volet insimulare, quæ in extraneis Provinciis commissa sit, primum omnium in eo Judicio actionem proponat, ubi rapina recens facta dicitur. Sin ibi Jus suum consequi nequiverit, vel legitimo impedimento retractus in Judicium illud venire non possit, potestas ipsi erit, etiam in alio Judicio, quocunque venerit, experiundi, ibique Judicis officio juxta ordinem illi Jus administrabitur, quatenus nemo contradicit. Tribus autem constituti Judicii vicibus actor causam peragat, priusquam ad Juris executionem procedatur. Emend. l. 5. c. 73. Corr. l. 3. c. 42. Revis. l. 5. p. 2. t. 17. art. 2. De hospitio proscripti, vid. **Bannitus.**

5. Prussia ab hospitationibus coactivis absolvitur.

Absolvimus cives Terrarum Culmensium ab omnibus collectis injustis & hospitationibus coactivis, aliisque exactionibus indebitis, ad omnia alia bona eis attinentia hanc gratiam extendentes videatur Privil. Culmens. §. 6. Revis. l. 1. t. 4. art. 1. Hospitium furis, vid. **Furtum.** pl. **Alimenta.**

HYPOTHECA. Zastawa

1. Præscriptio hypothecæ.

HYpotheca aut obligata bona, nisi intra quindecim annorum decursum ad acta aliqua avthentica renovata fuerit,

fuerit, præſcribitur, Jus Terreſt. t. 4. §. 1. vid. plura **Præſcriptio.** Quanquam Jure ſcripto communi tutores teneantur cautiones præſtare, pupilli rem ſalvam fore: conſvetudine tamen Juris Culmenſis receptum eſt, ut tutorum facultates & bona pupillis, ob geſtam tutelam, tacite ſint obligata ſic ut in bonis tutorum præ aliis creditoribus pupilli ſint potiores ad detrimenta rerum ſuarum ex iis reſarcianda. Tutor non rebus ſolum, verum etiam perſonæ datur: quapropter ejus muneri vel maxime incumbit, ut pupilli ſecundum generis dignitatem & patrimonii facultates liberalibus diſciplinis erudiantur & bonis moribus imbuantur. Emend. l. 3. c. 59. Rev. l. 4. t. 14. art. 9. vid. pl. **Tutor.** Spondet quis alteri præſentibus arbitris, judice & Scabinis in Judicio conſtituto, pecuniam certo die dandam, ſine quavis impedimenti exceptione, ejusq; ſponſionis ergo bonorum omnium hypothecam proponit, aliquanto deinde tempore poſt eam ſponſionem fundum emit, & ex eo fundo penſionem annuam certo die præſtandam, alii cuipiam in Jure cedit ac transſcribit, prior creditor debitum ſuum ex penſionibus fundi, qui poſt ſponſionem emtus fuerat, petere non poteſt, ſed qui penſiones fundi ſuis deinde nummis acquiſivit, Jus ſuum controverſiâ recte tuebitur. Emend. l. 4. c. 48. Corr. l. 3. c. 100. Res immobiles, fundos & poſſeſſiones debitor, quocunque tandem crediti nomine conveniatur, pignori vel hypothecæ dare non poteſt, niſi in ejus fori Judicio, ubi res immobiles ſitæ ſunt. Emend. l. 4. c. 8. Si quis alteri fundum vendat, & in conſtituto Judicio tradat, ac interim in lege venditionis ſilentio ſupprimat nexum æris alieni, quo fundus in hypothecam obligatus eſt, creditori Jus pignoris in illo fundo relinquitur integrum. Ac licet emtor prætendat, ædes ſe liberas emiſſe, & æris alieni nexum in conventionem non veniſſe: idque teſtimonio publicarum Judicii tabularum probari poſſe, ſeque fundum jam ultra diem annuam ſine cujusvis impedimento poſſediſſe dicat: nihil tamen his omnibus adverſus creditorem proficiet, ſed

2. De tacita pupillorum hypotheca in bonis tutorum.

3. Quatenus bonorum omnium hypotheca ſit accipienda.

4. De bonorum omnium hypotheca.

5. De domo vendita, quæ nexu æris alieni obſtricta fuerat.

ſed magis venditorem ædium, ob debiti nexum clam habilum, Jure conveniat ac compellat, ut ædes ipſi liberas, uti conventum fuerat, & a pignoris nexu vacuas tradat. Em. l. 4. c. 15. Corr. l. 4. c. 18. Reviſ. l. 4. t. 5. art. 19.

6. Hypotheca locatoris. Locator hypothecam in omnibus illatis bonis, durante locatione, præ omnibus creditoribus conductoris habet. Reviſ. l. 4. t. 7. art. 6. vid. plura Locatio, Pignus.

HUMERUS. *ramie*

De vulneribus in humero, vid. Vulnus.

JACULATIO. *rzucanie, strzelanie*

Quando per eam homo occiditur, vid. Damnum.

IGNORANTIA. Vid. Teſtis.

IGNIS.

Vid. Incendium. Quando domus locata combuſta fuerit, vid. Locatio.

ILLATA BONA. Vid. Hæreditas.

IMMOBILIA.

Vid. Fundus. Hæreditas. Feudum. Allodium.
grunt, dziedzictwo, lenne prawo, dobra wolne

IMPEDIMENTUM. *przeszkoda*

1. De legitimis impedimentis. Si quis cauſis impediatur legitimis, quo minus ad Judicium venire poſſit, easque cauſas per nuntium Juris ordine

ordine probaverit, extra noxam est, & Judicii dies tantisper prorogatur, quo ad istoc impedimento solutus fuerit. Qui fidejussores constituit de sistendo, ac postea reus necessitate præveniatur, fidejussores impedimenti causam probanto, vel Jusjurandum præstanto, nec id per nuncium expedire fas esto. Emend. l. 2. c. 41. Corr. l. 3. c. 70. Revis. l. 2. t. 8. art. 1. Legitimum dicitur impedimentum, cum quis Reip. causa abest, vel operas Domino præstat, antequam in Jure conveniretur. Legitimum etiam impedimentum dicitur, si quis, vel si qua morbo laboret, in tantum, ut ob valetudinem in Jure adesse non possit: & si quis extra Provinciam abiit, prius quam in Jus vocaretur: & si quis patri, matri, uxori, liberis, fratri vel sorori defunctis funus facit: & si quis eodem tempore in alio Judicio majori actioni majoribusve negotiis obnoxius est. Quas causas quilibet ex Jure præscripto sufficienter docebit, ac per nuncium suum, qui pro animi illius religione juret, Judici probabit: nisi ejus sit existimationis, cui fides etiam injurato adhiberi debeat. Si nuncium non habeat, ipsemet Jusjurandum in eam rem præstabit, quamprimum ad Judicium venerit. Legitimi impedimenti numero censentur etiam carcer, aquæ periculum, cultus divinus & peregrinationes religionis ergo susceptæ, priusquam lis denunciaretur. Emend. l. 2. c. 42. Corr. l. 3. c. 71. Revis. l. 2. t. 8. art. 1. Si quis sponsionem fecerit, stato die ad Judicium veniendi, agendi vel respondendi, eoque die aquæ inundaverint, ut nec ipse venire, nec nuncium mittere posset, proxime sequenti, qui Judicio dictus erit, die in Jus veniat, excusationem proponat, ac Juramentum det, aquarum inundationem obstetisse sibi, quo minus vel ipsemet venire, vel nuncium mittere potuerit: quo facto prætor illi Jus integrum vel agendi vel respondendi præstabit. Emend. l. 2. c. 43. Correct. l. 3. c. 119. vid. plura **Mercatura, Judicium, Restitutio in integrum,** Quomodo morbus probetur, vid. **Morbus.** Reus conventus trina vice citatus non comparens, quando quarto ad Judicium citatus fuerit, suum legitimum impedimentum inferre debet

2. Quodnam sit legitimum impedimentum.

3. De eo qui aquarum inundatione detinetur.

4 Terminus inferendæ legalitatis.

debet, quare tribus Judicii vicibus non comparuerit, attamen Judici mulctam deponet, ut Juris eſt, & poſtmodum ad reſponſionem in cauſa principali admittitor, eliſa ſua contumacia; Si non legale impedimentum ſuum probaverit in priori cauſæ condemnatione conquieſcat. Reviſ. l. 2. t. 8. art. 3. Si citatus in termino aliquo legali impedimento retentus fuerit, aut etiam citationis ignorantia non comparuerit, poteſt de reſtitutione in integrum agere, legaleque impedimentum aut ignorantiam probare, tandemque reſtitutionem obtinere poterit. Jus Terreſt. t. 7. § 17.

5. Reſtitutio in integrum propter legale impedimentum.

IMPENSÆ LITIS. Vid. Expenſæ.

IMPOSSIBILE.

Omnes ſtipulationes debent fieri de re poſſibili, alioquin de Jure nullæ & invalidæ ſunt, Rev. l. 4. t. 10. art. 2.

INÆDIFICATIO. Vid. Ædificatio.

INCANTATIO. Vid. Veneficium.

INCORPORATIO.

Vid. Privilegium Incorporationis, ſub verbo Caſimirus. it. Leoburgum.

INCARCERATIO.

Vid. Carcer. Arreſtum.

IN-

INCOMMODUM.

Vid. Societas, Emtio. *kupiony.*

INCOMPETENS JUDEX.

Vid. Forum, Judex,

INCENDIUM.

1. Pœna incendiarii.

UBi quis Jure ordinario non conventus, insuper aliquid de facto cum diffidatione, aggressione, viarum latrocinio & incendio tentaverit & ceperit, is tanquam violator pacis publicæ in vita puniri debet; Si etiam incendio damnum ded rit, tunc publice igne concremari debet. Si quis tale factum moliretur, etiamsi tale incendium appositum non ceperit, nec damnum dederit, nihilominus tanquam incendiarius & latro igne puniendus est Similiter etiam sententionandum est de his omnibus, qui pecunia, vel alio modo pro latronibus coëmti vel conducti fuerint, etiamsi nihil fecerint subsecutum, attamen gladio scelus eluere debet. Ubi vero quis ante consum̃atum factum propositi pœnituerit, literas reposuerit, aut alias sese publice denunciaverit, quod suam voluntatem mutaverit, & in facinore proposito pœnitentiam egerit, huic pœna ordinaria remitti, & alioquin pro qualitate, relegatione vel publica castigatione puniri debet. Ubi etiam alioquin super talibus collocutionibus vel diffidationibus talem conditionem annexerint, & mali sui propositi, prætextum prætendere voluerint, nimirum casu, quo non transigeretur, illud sese prosequi velle; Hi non contrastando tali conditioni, tanquam publici violatores pacis publicæ & diffidatores puniri debent. Revis. l. 5. p. 2. t. 15. Si res locata incendio perdita fuerit, vid. Locatio.

INCESTUS.

1. Pœna incestus.

CUm quis ſeſe cum perſona ſibi conſanguinitate juncta commiſcuerit, quam nequidem in uxorem ducere poſſet, is commiſit inceſtum, & quando illud ſcienter factum eſt, ambo capite plectuntur. Reviſ. l. 5. p. 2. t. 9.

INDIGENATUS.

1. Dignitates tantum Indigenis ſunt conferendæ.

D. Caſimirus Rex ſancit: Omnes Prælatos, Militares, Nobiles, Cives & incolas Terrarum Pruſſiæ in Jus, conditionem & proprietatem Regni Poloniæ translatos & inviſceratos, hac etiam proſequemur Prærogativa, quod Dignitates & Officia hactenus illic conſiſtentia & inpoſterum conſtituenda; Item Caſtra & Tenutas Civitatum & locorum in Terris prædictis, nulli extraneo aut forenſi, ſed proprio indigenæ juxta obſervantiam aliarum TerrarumRegni noſtri, conferemus, vid. Privilegium incorporationis Terrar. Pruſſ. §. 8. ſub verbo Caſimirus, ſupra.

PRIVILEGIUM

D. Caſimiri Regis, quo non tantum ipſe Rex, ſed præcipui etiam ex Regni Senatoribus ſolenniter cavent, quod juxta Prærogativam Ordinibus Terrarum Pruſſiæ antea conceſſam, Caſtra & Tenutæ Civitatum atque locorum nullis extraneis, ſed veris indigenis conferri debeant.

CAſimirus DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithvaniæ, Ruſſiæ Pruſſiæque Dominus & Hæres &c. Significamus tenore præſentium, quibus expedit, univerſis, quod, dum ex pluribus evidentibus & legitimis reſpectibus, Terras Pruſſiæ, Pomeraniæ &c. communicato Principum, Prælatorum, Baronum, cæterorumque fidelium noviſſime Cracoviæ Nobiſcum exiſtentium Regni, Ducatuum & Dominiorum Noſtrorum conſilio, voluntate & conſenſu, in regimen, tutelam

telam, gubernationem, ſubjectionem & obedientiam accepimus & aſſumpſimus, hanc ipſis Prærogativam conceſſimus, quod Caſtra, Civitates & quæcunque Fortalitia, in Terris prædictis exiſtentia, alicui extraneo aut forenſi conferre non debemus. Ad præſens tamen certis reſpectibus moti, certa Caſtra, in præmemoratis Pruſſiæ Terris exiſtentia, nonnullis perſonis contra hujusmodi articulum ſuperius expreſſum, durante præſenti gwerra, & interim quoad Terras Pruſſiæ non pacificabimus, dedimus contulimusque in regimen, tenutam & gubernationem. Ideo præſentibus in verbo noſtro Regio ſpondemus & promittimus, quod pace, Domino ſuffragante, habita, præſcripta Caſtra, taliter per nos in hactenus hujusmodi perſonis in regimen & tenutam collata, juxta tenorem & continentiam literarum Noſtrarum, Cracoviæ Terris Pruſſiæ conceſſarum, illis conferemus, quibus conferri debent, & quod etiam præſcriptis literis in omnibus earum punctis, conditionibus, clauſulis & articulis per hoc non intendimus neque volumus in aliquo derogare, ſed ipſas ſanas, ſalvas, firmas & illæſas per Nos & Succeſſores Noſtros, perpetuis temporibus, tenere & obſervare polliceniur per præſentes, harum, quibus Sigillum Noſtrum præſentibus eſt appenſum, teſtimonio literarum. Et nos Joannes Wladislavienſ. Andreas Poſnanien. DEI Gratia Epiſcopi; nec non Lucas de Gorka Poſnanien. Stanislaus de Oſtrorock Calliſien. Petrus de Opporow Lancicien. Nicolaus de Koſczelecz Wladislavien. Palatini; Petrus Sckora de Gay Calliſien. Joannes de Czarnkow Gneſen. Hincza de Rogow Siradien. Caſtellani & Vice-Theſaurarius, Petrus de Sczekoczini Vice-Cancellarius Regni Poloniæ, Derslaus de Rythwyan Roſperien. & Nicolaus de Labiſchin Wladislavien. Caſtellani &c. præſcriptas Sereniſſimi Domini noſtri Regis promiſſionum literas ratas & gratas habentes, præſentibus promittimus, quod Ipſe Sereniſſimus Dominus Noſter Rex omnia ſuperius expreſſa, firmiter & inconcuſſe inviolabiliterque tenebit & obſervabit, & pro majori firmitate ſigilla noſtra etiam præſentibus ſunt appenſa. Actum

& datum in Thorun, Feria secunda Festi beati Joannis Baptistæ, Anno Domini Millesimo, Quadringentesimo, Quinquagesimo Quarto.

Ad relationem præfati Magnifici Petri Schekoczim R. P. Vice-Cancellarii.

Cautio D. Sigismundi Regis,

In persona Joannis Balinski, quod posthac non nisi Terrarum Prussiæ indigena, & vernaculæ linguæ peritus in ipsarum Terrarum Consilium recipi & admitti debeat.

Sigismundus Dei Gratia, Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæque &c. Dominus & hæres, manifestum facimus tenore præsentium universis & singulis, quibus expedit, quod cum alias Nos volentes generosum & fidelem Nobis dilectum Joannem Balinski, meritorum suorum exigentiam, amplioribus honorum fastigiis evehere, ei Castellanatus Gedanen. Dignitatem in Terris Prussiæ ea vice con tulissemus, mandavimus eum in ipsarum Terrarum Consilio recipi & admitti. Verum cum præmissa Privilegiis earundem Terrarum obsistere dicantur, ex eo, quod idem Joannes indigena illarum Terrarum non existens, ipsarum etiam linguæ imperitus, præsenti Nostro Decreto declaramus, & in verbo Nostro Regio affirmamus, intentionis Nostræ non fuisse nec esse, per prædictam Nostram collationem & mandatum memoratis Privilegiis aliquatenus derogare, aut quomodolibet ea tollere vel abrogare. Decernimus igitur prædictam Nostram collationem & Mandatum, quatenus dictis Privilegiis aliquomodo adversetur, Terris nostræ Prussiæ in aliquo non præjudicare, aut ad similia permittenda, in consequentiam seu exemplum in posterum trahi non posse, neq; debere, per dictosque Terrarum Prussiæ Consiliarios eundem Joannem in Consilium recipiendum Nostroque Mandato parendum, ab hujusmodi Privilegiis recessisse censeri aut judicari a quoquam non debere, neque posse, nolentes eos

aut

aut Terras prædictas, ob Nostra complacentiæ obsequia, hac duntaxat vice Nobis impensa, præjudicium aliquod aut jacturam reportare. In quorum omnium testimonium has Nostras literas fieri jussimus Nostro Sigillo communitas. Datum in Brzesczie Kujavien, Feria quarto, ipso die Beati Andreæ Apostoli, Annorum Domini Millesimo, Quingentesimo, Decimo nono, Regni autem Nostri tredecimo.

Ad relationem Magnifici Christophori de Schidlowicz, Palatini & General. Cracov. ac R. P. Cancellarii &c.

Christophorus de S. Palatinus & C. Cracovien. ac R. P. Cancell. sst.

Diploma

Juris indigenatus Terrarum Prussiæ, confirmatorium a Serenissimo ac Potentissimo Principe D. D. AUGUSTO II. Poloniarum Rege 1699.

AUGUSTUS II. DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Kijoviæ, Volhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Livoniæ, Smolensciæ, Severiæ Czernichoviæque, nec non Hæreditarius Dux Saxoniæ & Princeps Elector. Significamus præsentibus literis Nostris, quorum interest universis & singulis: Si unquam vetera Instituta & primæva Jura firmius tueri & manu tenere Regiæ incumbit curæ & protectioni, profecto vel maxime ea, quæ antiquissimis firmantur Privilegiis, solennissimis Regum nituntur sponsionibus & Diplomatibus, ac legibus ipsis stabiliuntur, & quæ majorum prudentia contra temporum iniquitatem, contagionem ambitus, ac morum corruptelam, tanquam duratura jecit fundamenta. Hinc avitum Jus indigenatus Pruthenici, vetustissimis cum Divis Prædecessoribus Nostris

Noſtris ac Republica ſubnixum & fundatum compactatis, declarationibus & cautionibus Regiis, ac præcipue Privilegio Incorporationis, uti Jus ſpeciale, cardinale, primitivum & primarium, roboratum Conſtitutionibus publicis Anno 1638 & 1647. ab univerſa Republica ſancitis, denique Pactis conventis Noſtris inviolabiliter munitum, tanto pronius in tuitionem Noſtram ſuſcipimus, quanto luculentius Nobis conſtat, veteres Pruthenos gloriæ avidos, ſuccedaneis Poſteris, hanc Prærogativam Indigenatus, retroactis ſeculis, excuſſo immani Crucigerorum jugo, profligata eorundem Tyrannide, cruento profuſi ſangvinis diluvio, funeſto magnarum Proſapiarum excidio, propter ſpontaneam ad corpus Reipl. acceſſionem, ampliſſimorumque bonorum Epiſcopatuum, Palatinatuum, Capitaneatuum, Tenutarum, aliarumque facultatum, ad diſpoſitionem Noſtram Regiam Juſtitiamque diſtributivam devolutionem quæſiviſſe, meruiſſe, ac eviciſſe, & tot vergentibus annis continuo zelo, ac non interrupto ardore firmiter propugnaſſe ac defendiſſe. Quandoquidem vero inſurgente contra hoc idem Jus cardinale indigenatus Pruthenici vaſta & inani ambitu, per tot diſpendia publicæ rei, diffidentiarum incommoda, & abſtruſa quoque molimina, toties repetitis rupturis Conventuum publicorum cuncta diſcordiis civilibus feſſa & ſemota e conſpectu Ordinum publica ſtatus tranquillitate, turbata erant omnia. Proinde accedentibus ad Nos Nunciis Terreſtribus a Statibus & Ordinibus Terrarum Pruſſiæ, ex Conventu Generali Graudentinenſi, pro nuperis Regni Generalibus Comitiis ablegatis, ſolennibus ſupplicationibus, ut Jura Provincialia publica, præſertim Jus avitum indigenatus (cujus vigore omnes vacantiæ tam Spirituales quam Seculares, in Terris Pruſſiæ indigenis tantum Pruthenis ibidem genitis & degentibus, deferri debent) Regia Noſtra Authoritate protegeremus, redintegraremus, vindicaremus, & ſecuturis temporibus in pleno robore & vigore conſervaremus. Nos itaque inſiſtendo antiquiſſimo Privilegio incorporationis, Diplomatibus Sereniſſ. Prædeceſſorum Noſtrorum, tam legibus publicis ac Pactis conventis

ventis, obviando denique omnibus in futurum consequentiis, fatalem confusionem ac malorum seriem post se trahentibus, & periculosum ambitum e diametro Juribus indigenatus repugnantem, restringendo, non tantum hæc eadem Jura, Privilegia & immunitates tanto sudore & sanguine Majorum partas prærogativas, cautiones, Rescripta Terris & Civitatibus Prussiæ, singulariter autem super indigenatum data, collata & concessa, tenore & vigore præsentis diplomatis Nostri conservanda, confirmanda & ratificanda esse duximus: Prout in omnibus punctis, clausulis & articulis, ut in se sonant, conservamus, confirmamus, & ratificamus, sed & insuper fide Regia spondemus, cavemus & promittimus, quod Dignitates tam Spirituales quam seculares, Officia, Beneficia, Castra, Tenutas Civitatum & pagorum, omniaque bona in Terris Prussiæ ubique locorum existentia Justitiæ distributivæ subjecta, vacantia & vacatura, juxta obloquentiam eorum Jurium, nonnisi veris, nativis, propriis & indubitatis Indigenis & Terrigenis earum Terrarum Prussiæ, ibidem genitis & degentibus de Nobis & Republica bene meritis, dabimus & conferemus, idque sub nullitate Privilegiorum Nostrorum & nominationum, ipsaque incapacitate super secus obtinentes. Ad extremum contrarias a D. D. Prædecessoribus Nostris velNobismet Ipsis factas collationes in sequelam, exemplum & allegationem a nemine trahi debere; nec in quopiam Juribus Indigenatus præjudicare posse, vel derogare, firmiter cavemus & declaramus, præsentibus literis Nostris in ævum perennaturis. In cujus rei fidem præsentes manu Nostra subscriptas Sigillo Regni communiri jussimus. Datum Warsaviæ, Anno Domini Millesimo, Sexcentesimo Nonagesimo nono.

Vid. plura Leoburgum.

INFAMIA.

Qui corpus vel manum redimit, quod quæve per sententiam illi abjudicabitur, nullum Jus habere intelligitur, hoc

1. De his qui notantur infamia.

hoc est, infamia notatur, velut qui ob furtum, rapinam vel pœnam corporalem se redemerit vel transegerit. Emend. l 5. c. 91. Corr. l 2. c. 52. Revis. prolixiora facit verba: Qui manum suam vel corpus, quod illi Jure abdicatum est, propter aliquod commissum maleficium redimit, is infamis & honore destitutus est, it. omnes manifesti lenones & mulieres, quæ in ejusmodi domibus inpudicitiæ gratia sese sustentant: etiam hi, qui suas uxores, liberos & reliquos prostituunt: item, omnes hi, qui ratione furti, adulterii ac rapinæ paciscuntur, aut bona furtiva vel rapta restituunt, & eo nomine convincuntur, tandem omnes hi infamia notantur, qui ob sua maleficia sive corpore, sive ipsa vita pœnam subeunt, item, qui publice proscribuntur, banniuntur & perpetuo relegantur. vid. Revis. lib. 5. p. 2. t. 23. art. 1.

2. Illustratio Juris Revisi.

3. Quomodo infamia sit probanda.

Qui aliquem infamiæ nota maculare, vel infamiam modo objicere voluerit, is id per plenaria & sufficientia documenta probare tenetur, nec Jurejurando suo vel testibus, qui tantummodo ex aliis audiverunt, efficere quicquam potest, sed actor aperte probare debet, reum conventum per Justitiam & sententiam condemnatum esse & ejusmodi pœnam sustinuisse, quæ ipsius honorem abolet, & alioquin reum conventum talem personam reddit, quæ de Jure pro infami censetur. l. c. art. 2. Qui ita infamis est, is Judex esse non potest, nec dignus censetur, quemcunque honoris locum obtinere, imo nequidem in ullo Judicio testis esse potest, quoniam defectu honoris laborat, l. c. art. 3.

INFANS.

1. De infantibus expositis.

DE homicidio infantis vid. **Mulcta. Tutor.** Si mulier infantem suum abdicando & projicendo in viam, vel ante domos exposuerit, hæc hujusce convicta, vel in facinore comprehensa, pro qualitate arbitrarie puniri debet, peremto vero puero, ex tali expositione, tunc ista mater, quæ ex proposito periculose exposuerit, etiam in vita puniri debet. Revis. l. 5. p. 2. t. 14. vid. plura **Damnum.**

INFANTICIDIUM.

SI quis adultus casu, non ex animi sui proposito, minorem interfecerit, noxam æstimatam, juxta conditionem occisi integre præstabit. Si quis minorem percusserit vel capillo traxerit, vel virgis ceciderit, ob id, quod male fecerat, non erit culpæ adscribendum, quatenus Jurejurando probaverit, se non injuriæ causa, sed emendandi animo malitiam coërcuisse. Emend. l. 5. c. 47. Corr. l. 3. c 34 Mulieres, quæ per potus & alia media sibi ipsis fructus sui corporis abigunt, si partus fuerit vitalis, pœna gladii, si minus vitalis fuerit, perpetua relegatione puniendæ sunt, Revis. l. 5. p. 2. t. 7. art. 4. Mulieres infantes suos post partum clam interficientes, in eo convictæ & confessæ, tanquam homicidæ dolosi rotæ imponi, & vivæ sepeliri & suffocari debent, l. c. art. 5. Eventu, quo mariti uxores suas prægnantes indebite vel supra modum, quo fructus lethaliter læderetur, vel etiam parentes suos liberos gravius vapularent, ictibus vel virgis castigarent; Si hoc probabile & forti præsumptione niteretur, quod illos per hoc interfecerint, hi corporis afflictivam pati, & vita puniri debent. l. c. art. 6.

1. De interfectione & coercitione liberorum seu infantum.

2. Abactio infantum ex utero.

3. Pœna infanticidii.

INJURIA.

NE cui fiat injuria ob debitum vid. **Creditor.** Si quis Scabino convitium facit, convitium propter sententiam, & ne quis alterum in Judicio impediat, vid. **Judex. Judicium. Sententia.** De injuriis opificum, vid. **Opifex. Famosus libellus** vid supra. Injuriæ committuntur, verbis, scriptis & factis, tum quis ex proposito temerario, & petulanti modo, proximum suum masculini vel fœminini generis in honore diffamaverit, & ad diminuendum eundem prosciderit & male affecerit; si eapropter aliquis conventus fuerit, is parti læsæ, post adinventam innocentiam, publicam revocationem, vel palinodiam canere vel

1. Pœna injuriarum.

facere tenebitur, & præterea mulcta pecuniaria, vel etiam pro modo causarum, carceribus coërcendus est. Si alicui a Magistratu pacis præceptum indictum, vel silentium impositum fuerit, & nihilominus alterum diffamare præsumpserit, ac criminibus prosciderit, tunc pœnam fractæ pacis publicæ incurrit, & tamen læso nihilominus competentem transactionem præstare tenetur. Rev. l. 5. p. 2. t. 20. art. 1. 2.

2. Injuria realis. Alapæ, vellificationes & verbera absque carnalibus vulneribus facta, sunt reales injuriæ; qui tales committit mulctam præstabit, & pœnam subiet, quam Judex pro modo causarum augere vel minuere potest, l. c. art. 4.

3. Morte injuriantis evanescit actio. Mortuo injuriante, cessat & tollitur causa, nec post hæredes eo nomine conveniri possunt, ast si cum prædefuncto processus fuerit inchoatus, & lis contestata, tunc eo casu hæredes processum sequi tenentur, l. c. art. 5.

4. Præscriptio & abolitio injuriarum. Quando læsus vel injuratus in causis injuriarum intra annum & diem non fuerit prosecutus suam actionem, computando a tempore quo injurias resciverit, tunc actio extinguitur & ulterius non potest nec debet cum eadem audiri. Quod ideo de verbalibus injuriis intelligendum est, quia actio in literalibus injuriis consistens non præscribitur ante spatium triginta annorum. Item, quando læsus injurias remiserit, vel per amicabilem cohabitationem, conversationem, vel alia indicia easdem dissimulaverit & postposuerit, tunc postmodum cum actione admittendus non erit, l. c. art. 6.

5. Advocati injuriantes. Advocati & Procuratores in scriptis & verbis debent esse modesti, & abstinere ab incompetentibus injuriis atque cavillationibus; qui contravenit, toties, quoties fit, pro qualitate, & pro bene placito Judicii satisfacere tenetur, & nilominus ratione injuriæ illatæ parti affiixæ satisfaciat. Revis. l. 2. t. 5. art. 5.

6. Reales injuriæ judicantur tantum coram Judicio Terrestri. Coram Judicio Terrestri reales injuriæ ob limites controversos & si aliquis agro, frumentis & id genus similibus, damnum quicquam dederit, tantum judicantur, secundumq; exigentiam rei de eis decernitur, neque Palatino licitum est in ejusmodi causis cognoscere, Jus Terrest. t. 5. §. 29.

7. In citationibus injuriis abstinendum est. Nemo in citatione, existimationem aut honorem alicujus lædere, verbisque aliquibus, quibus ea lædantur, uti debet.

Quod

Quod si quis contumeliosa aliqua verba, sine quibus res ipsa narrari poterat, citatione comprehenderit, producens citationem ejusmodi, tam Actor ipse, quam Procurator ejus, unius septimanæ sessione in turri mox puniri debebit: Reus autem a termino & citatione liber pronunciari debet. Jus Terrest. t. 6. c. 1. §. 7. vid. plura **Damnum. Vulnus. Convicium. Infamia. Calumnia.**

INOBEDIENTIA.

SI quis civis adversus Senatum temere insurgat, ubi Jus Culmense receptum sit, potestas esto Senatui, civem illum ad se accersendi, ac eidem sub mulcta pecuniaria, vel sub relegatione unius, duorum vel plurium annorum denunciandi, ut animum ab istac temeritate revocet, & Magistratui æque cum cæteris civibus obtemperet. Si dicto audiens esse noluerit, mulctam vel pœnam, sive ea sit relegationis, sive qua alia ex condicto sustineat. Si Consules Civitatis nomine quempiam relegaverint, ipsorum arbitrium est, an cum eo depacisci & relegatum in Civitatem recipere velint, vel nolint. Em. l. 1. c. 11. Corr. l. 1. c. 12. Rev. l. 1. t. 2. art. 12. Quod Regni nemo incolarum Prussiæ parere debeat, nisi prius ipsis omnia Jura & Privilegia, tam publica quam privata, & quasvis literas, libertates & immunitates a majoribus suis donatas literis suis confirmaverit, & juxta continentiam & tenores earundem in debita executione posuerit, vid. **Rex.**

1. Coercitio inobedientis Civis.

2. Nemo prius obedire tenetur Regi, nisi prius omnia Privilegia confirmaverit.

INOFFICIOSUM TESTAMENTUM. Vid. Testamentum.

IMPOSSESSIONATUS.
Vid. Possessio.

INQUISITIO.

1. Judex ex Officio debet inquirere.

QUoniam sæpe numero maleficia committantur, ubi nulli accusatores reperiuntur, attamen multum interſit, ut delicta non maneant impunita, ſed in terrorem aliorum perſequantur; ideo Judici de Jure commiſſum & conceſſum eſt, prout etiam id facere tenetur, accuſatore non exiſtente, ex officio inquirere, & meritam pœnam exequi debet. Rev. l. 5. t. 7. art. 1. Miſerabilium hominum homicidia debet & poteſt poſtulare Judex, ne homicidium impunitum & injudicatum permaneat: Si quis etiam homicidium illud proſecutus eſt, & poſtmodum aliquis ex conſanguineis venerit, & Jure ad hoc ſeſe obtulerit, hunc Judex admittere, & poſtulationem decernere debet, Jure mediante. l. c. art. 2. vid. plura. Miſerabiles perſonæ. Judex ex officio in criminalibus cauſis nihil proponere & incipere poteſt, niſi ipſi prius commiſſum ſcelus bene notum & conſcium ſit; & tum poſt ſufficiens teſtimonium in certam perſonam ſuſpicionem ſuſcipere & inquirere ſi voluerit, tunc ad minus talis perſona ratione hujusce maleficii ſuſpecta eſſe, & alia indicia ſubeſſe debent, quare ſuſcepturus & apprehenſurus ſit media inquiſitionis: alioquin Judex ſeſe aggravat, & litem facit ſuam propriam. Reviſ. l. c. art. 3. vid. plura De Præſumptionibus, Fortuna, Criminalia.

2. Inquiſitio ex Officio homicidii in miſerabili perſona perpetrati.

3. In inquiſitione requiritur, ut ſit corpus delicti & perſona ſuſpecta.

INSTRUMENTUM.

1. De Inſtrumentis judicialibus.

OMnes ſcripturæ a Judicio & ſubſelliis ſuperioribus emanatæ, pro validis cenſeri debent, ſive a Jurisdictione ſuperiori fuerint exhibitæ, ſi modo ſub Civitatis vel Judicii Sigillo ſint corroboratæ. Reviſ. l. 2. t. 19. art. 1. Omnes literæ a Regibus, Principibus, Dominis & Civitatibus ſub illorum Sigillo emanatæ, plenum robur habere debent, ſive in nova aliqua cauſa, vel ad innovationem, vel tranſumptionem veteris alicujus fuerint formatæ. l. c. art. 2. Publica inſtru-

2. Reſcripta Principum.

3 Inſtrumenta Notariorum.

instrumenta Notariorum, si modo illa, cum assistentia testium & comprehensione annotationeque totius causæ cum omnibus suis circumstantiis, & quicquid alias deJure ad talia instrumenta necessarium sit, provisum fuerit, seu pro validis suscipienda & usurpanda sunt, eatenus tamen, quatenus isti Notarii non solum ratione illorum creationis ab his potestatibus, quibus de Jure competit, verum etiam ab ordinario Magistratu loci, in quo ista instrumenta concepta & confecta sunt, suæ legitimationis & juridicæ legalitatis sufficientem in forma probante legitimationem habeant, l. c. art. 3. Chirographi, Apochæ & his similes Scripturæ, a privatis hominibus scriptæ, & illorum Sigillo confirmatæ, hæ testantur plenarie contra Scribentes: Si vero conventus testibus probare poterit, tam Scripturam non suam manum, nec Sigillum sua voluntate aut scientia, sed falso subimpressum esse, tunc eo ipso ab obligatione harum literarum, & in ea contenti debiti, liber pronuncietur: Ubi vero in Chirographo penes eum, qui illud scripsit, etiam alii duo testes nominati fuerint, tunc instrumentum istud omnis suspicionis expers, & econtrario validissimum judicari & censeri debet. Libri mercatoriales proborum mercatorum more debent esse compacti, & qualificati, & omni suspicione egentes, propterea semiplene probant, & is, qui in suum librum seu Regestrum provocat, Juramentum suppletorium juret, si alias per adversariam partem non sufficientia documenta fuerint producta. Nuda copialia aut scripta absque sigillo & non auctorisata probationes plane non inferunt, l. c. art. 4. Si aliqua scriptura, sit qualiscunq; sit, coram Judicio producitur, eaque avthentica pronunciatur, tunc illa, universusq; ejus tenor, plenariam vim probandi habet: nisi aliquid incongruum fuerit, & nemo per protestationem suam intentionem in tantum salvare poterit, ut producta scriptura in certis punctis tantum pro se, & in reliquis contentis non contra se militet, l. c. art. 5. Omnes scripturæ, quæ a parte judicialiter sunt productæ, etiam alteri parti communicandæ sunt; de non productis, neque ad acta insinuatis, actor a Convento neque inspectionem neque communica-tionem

4. Instrumenta privatorum.

5. Libri mercatorum.

6. An Scriptura publice aut privatim producta ex parte modo & ex altera parte non valeat?

7 An pars parti instrumenta communicare teneatur;

tionem pro fundamento intentionis sui libelli & actionis requirere potest. Econtrario actorem oportet convento omnia documenta, quæ contingenter ad causam faciunt, in quibus conventus fundamentum suæ defensionis & exceptionis fundet, communicare, & omnes scripturæ non particulariter, sed integræ sunt extradendæ, ut Judex pro causæ meritis justis & injustis sufficienter possit cognoscere, l. c. art. 6. vid. pl. Sigillum, Falsum, Testimonium, Documentum.

INSIDIÆ.

1 Pœna insidiarum in stratis publicis.

STatuimus, ut nullus Capitaneus, Nobilis, Civis aut quivis alius, cujuscunque conditionis existat, personis, Castris, domibus aut possessionibus alicujus ullam violentiam inferre, incursiones facere, in publicis stratis insidias ponere, præsumat: Super his convictus, juxta antiquum plebiscitum Terræ Culmensis capitali pœna puniatur. vid. Constitutiones Sigismundi Regis ab Anno 1538. §. 14. vid. pl. Vis, Rapina.

INSTANTIA.

1. Instantiæ Civitatum majorum & minorum.

APpellationes vigore Regiæ Constitutionis ordinario modo a Judicio Terrestri ad conventus Terrarum & Civitatum Prussiæ, in conventibus generalibus annalibus, & inde ad Sacram Reg. Majestatem. In majoribus Civitatibus prima instantia est apud Judicium, hinc appellatio ad Magistratum Consularem, a Magistratu Consulari ad S. R. Majestatem devolvitur. In minoribus Civitatibus itidem prima instantia apud Judicium Civile, hinc inde appellatur ad Capitaneum istius loci, quatenus causa non concernat quinquaginta marcarum summam, si vero causa major, quæ quinquaginta marcas excedat Pruthenicales, fuerit, tunc a Judicio Civili ad conventum Terrarum & Civitatum Prussiæ appellari debet, inde, prout etiam a Capitaneo procedit ad S. R. Majestatem. Revis. lib. 2. t. 22. art. 6. vid plura Appellatio,

Privi-

Privilegium D. SIGISMUNDI Regis,

De Instantiis (quas vocant) in Judiciis Terrarum Prussiæ observandis.

SIGISMUNDUS DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ &c. Dominus & Hæres, universis & singulis, in quorum manus hæ Nostræ literæ pervenerint, planum testatumque facimus, quod cum & a Consiliariis, & a reliquis Ordinibus Terrarum Nostrarum Prussiæ, una omnium voce fuisset Nobis supplicatum, ut tres tantum, non quatuor, esse vellemus Judiciorum Instantias, ita, ut a secunda instantia recta ad nos, non autem ad Consiliarios Terrarum Nostrarum Prussiæ fieret Appellatio. Nos tantum esse in re omnium Ordinum consensum videntes, atque illud una considerantes, quod & Juris Ordini magis congruit, & cum ipsis litigantibus, tum Consiliariis Terrarum Nostrarum Prussiæ minus est onerosum futurum, quorum illi sumptu inutili, hi vero supervacaneo labore & molestia liberabuntur, si tres tantum Judiciorum instantiæ observentur: Judicia Civitatum & Oppidorum Nostrorum Prussiæ in hunc ordinem redigenda putavimus, ita ut præsentibus redigimus. Majoribus in Civitatibus Terrarum Nostrarum Prussiæ apud Judicium Scabinorum primam esse volumus instantiam, a quo ad Senatum, a Senatu recta ad Tribunal Nostrum Regium Appellationem fieri. In minoribus vero Civitatibus prima ut sit instantia apud Judicium Civile, a quo, si litis æstimatio non excedat pretium aut valorem quinquaginta marcarum Pruthenicalium levis monetæ, possit fieri Appellatio ad Capitaneos & Præfectos locorum, & ibi fiat secunda instantia; a quibus, cui visum erit, liceat appellare ad Tribunal Nostrum Regium. Ubi vero valorem quinquaginta marcarum excesserit, fiat Appellatio a Judicio Civili ad Consiliarios Terrarum Nostrarum Prussiæ, ut apud eos tunc secunda sit instantia, a quibus recta ad Regium Tribunal Nostrum appelletur. Quod autem attinet ad Judicia Terrestria, maneat & servetur per

omnia, ut est in Constitutionibus expressum. Hunc Nos Appellationum ordinem inviolate ab omnibus in majoribus & minoribus Civitatibus Terrarum Nostrarum Prussiæ volumus observari, & mandamus, tertiam instantiam apud Nos & non alibi esse debere, præsentibus decernentes. Harum, quibus Sigillum nostrum est appensum, testimonio literarum. Datum Cracoviæ feria quarta, in vigilia S. Matthei, Apostoli & Evangelistæ; Anno Domini, Millesimo, quingentesimo, quadragesimo secundo, Regni vero Nostri Anno trigesiimo sexto. Sigismundus Rex, ssp.

INTERVENTIO.

De interventione patris vid. **Filius.** ingenere vid. **Retractus.**

INTERESSE PECUNIARIUM.

Vid. **Usura.**

INTERLOCUTORIA SENTENTIA.

1. An ab interlocutoriis sit appellandum?

NOn modo autem ab ultimis sententiis definitivis permitti Appellatio debebit, verum ab aliis etiam, quæcunque gravius aliquod præjudicium Parti adferre possent: ab Accessoriis vero & Interlocutoriis vim definitivæ sententiæ non habentibus, ut quæ terminum saltem aut citationem, sine ipsius causæ amissione, proferant, aut alias grave aliquod præjudicium parti non offerentibus, tum omnibus, a quibus directe in Jure hoc Appellatio remota est, nulla Appellatio admittenda est. Jus Terrest, t. 6, c. 3. §. 47. A sententia interlocutoria, in qua fundamentum principalis causæ non est situm, & tamen sententiæ definitivæ speciem habente

bente, & partibus in suo Jure periculum non inferente, Appellatio concedi non debet. Revis. l. 2. t. 22. art. 3.

INTERROGATORIA TESTIUM.

OBservari in omni testimonio debet, primum ut pars, cum qualis intercedit, ad inducendum testimonium in Judicium illud, in qua testaturi testes sint, ad minimum duabus septimanis ante citetur, facultasque eidem fiat interrogationes suas, de quibus testis interrogetur Judicio offerendi, contra testes testimoniave eorum, quæ ei videantur, dicendi; quod si fecerit, Judex una cum testimonio utriusq; partis interrogationes & oppositiones scripto comprehendet, atque utrique parti, si id petierit, sub Sigillo edere tenebitur. Jus Terrest. t. 6. c. 1. §. 39. Si quis testes sit inducturus, prius illos coram Judicio denominare debet cum insinuatione articulorum suorum Positionalium, super quibus ratione illorum scientiæ testes interrogari debent; horum articulorum etiam adversæ parti, contra quam testes isti inducuntur, copia extradenda est, ut in futuro termino, quando testes sistuntur, sua contrainterrogatoria desuper, si fuerit opus, formare & ad acta porrigere possit, quæ tum etiam Judici soli & non parti produci, testes vero ad illa, ut Juris est, quando ad hoc ordinarie fuerint adcitati, examinari debent. Revis. l. 2. t. 18. art. 4. vid. plura Testis.

1. Alteri parti facultas interrogatoria porrigendi non est adimenda.

INTROMISSIO.

IN quacunque causa, quæ Judicio vel superioris instantiæ, vel etiam inferioris definita fuerit, si ab ea appellatum non fuerit, aut Appellationem interpositam desertam fuisse, decreto judicatum fuerit, victus decreto Judicis satisfaciet in spatio duarum septimanarum, a tempore latæ sententiæ, sub

1. Processus intromissionis secundum Jus Terrestre.

Pœna quinquaginta aureorum Ungaricorum, parti præstanda, nisi forte talis res sit, quam secundum Jus & obligationem suam a Judicio non recedendo præstare debet: tum enim in instanti satisfacere decreto debebit. In aliis autem, si intra duas septimanas decreto non satisfacerit, per duos Nobiles & Præconem, qui in ipsa ultima sententia definitiva semper addi Parti a Judicio debent, tam ejus nomine, quod ex Judicato præstare debet, quam pœnæ quinquaginta aureorum Intromissio in bona ejus victori detur, liberaque possessio ei tradatur, quam non prius victor dimittere tenebitur, quam & pro judicato & pœna satisfactum illi fuerit. Si intromissionem in bona non admiserit; Executio rei adjudicatæ ad officium Palatini intra terminum duarum septimanarum citabitur; in termino eo nullas dilationes, exceptiones, legalia impedimenta, Appellationes, aut quascunq; alias exceptiones admittet, nisi post latum decretum, quod executioni demandatum erat, transactionem, liberationem seu quietationem, vel ipsius victoris, vel ex actis aliquibus Avthenticis, ex quibus Parti satisfactum esse constare possit, opposuerit, vel in termino ipso judicatum solvat; tum enim omnino executio cessabit, aut si contra ea nihilominus executionem Palatinus extenderit, Appellatio ad Tribunal Regni libera erit. Jus Terrest. t. 6. c. 3. §. 4. 5. vid. plura. **Creditor. Arrestum. Executio.**

INVASIO.

1. Judex cognitivus violentæ invasionis.

INterpretantes Constitutionem, quæ in violentos olim lata fuit, statuimus, ut si quis in domum vel possessionem alterius invaserit, in publicis viis insidias posuerit, vim armata manu alicui intulerit, vulneraverit, vel occiderit, ad Palatini cognitionem vis ea pertineat. Jus Terrest. t. 5. §. 28. vid. plura **Vulnus. Vis publica.**

IN-

INVENTOR.

SI quis intra parietes suos vel in solo suo preciosi quippiam invenerit, hoc ipsius proprium esto. Sin alius invenerit, cui quærendi negotium datum non erat, inventionis pretium, hoc est, thesauri quadrantem illi solvito, dodrantem sibi retineto. Sin autem quærendi negotium alicui commiseris, mercedem solvito, quam pepigeris: Si nihil certi pepigeris, tantum, quantum voles dato, nec amplius illi petito. Si quis thesaurum invenerit in alieno solo, ad soli dominum thesaurus pertinebit, inventor quadrantem accipiet, hoc enim inventionis est pretium, Jure nostro constitutum. Em. l. 3. c. 1. Cor. l. 5. c. 44. Rev. l. 3. t. 1. art. 1. Si quis in via publica rem vel pecuniam invenerit humi defossam, ad territorii Magistratum ea pertinebit, inventori quadrantem adscribemus. Si quis in via publica supra terram invenerit, eam Presbytero vel Judici, qui in proximis est, exhibeto, & hisce verbis in sequestrum deponito: Commendo vobis rem istam in fide atq; religioni animi vestri. Quo facto Presbyter singulis diebus quibus concionem habet, publice denunciabit, rem talem in publica via fuisse inventam. Ubi deinde quis venerit, qui rem ad se pertinere dicat, idque probet, illi restituatur. Judex autem, cui res commendata fuit, eam toties, quoties pro Tribunali sedet, proclamabit. Si quis postea testibus idoneis suam esse probaverit, vel certa rei signa dixerit, illi restituatur. Oportet autem, ut rem nominatim exprimat, & suam esse juret. Si peregrinus est homo & ignotus, qui rem amisit, Juris ordine probet, vel uti dictum est, juret, rem ejus esse propriam. Si quis rem alienam perdiderit, eodem modo recuperabit. Sin intra triennium rem amissam nemo repetat, res in duas portiones æqualiter dividitor, quarum altera Judicio Civili, altera Ecclesiæ accrescat. Inventori quoque & Presbytero, qui publice denunciavit, aliquid dari æquum quidem est, verum Judicis & Ecclesiæ consistit arbitrio. Emend. l. 3. c. 2. Corr. l. 5. c. 45. Revis.

1. Inventor thesauri.

2. De inventis in via publica.

3. Inventor æris in fodinis. l. 3. t. 1. art. 2. Inventor auri, sive is, in cujus agris inventum fuerit, idem Jus habeat, quod in Terra Ducis Silesiæ in hujusmodi talibus est concessum. Inventor autem argenti, sive is, in cujus agris inventum fuerit, Jus Fribergense perpetualiter in hujusmodi inventione obtinebit. Jus Culm. §. 6.

INVENTARIUM.

1. Inventarium quomodo secundum Jus Terrestre conficiatur. Quicunque hæreditatem, aut etiam usum fructum possederit, post mortem defuncti intra mensem quatuor testibus de fide dignis suæ conditionis, adhibitis, hæredibusq; aut aliquot ex illis vocatis, inventarium facere tenebitur, quod nisi fecerit, aut fides Inventario adhibita non fuerit, in Jus Terrestre eo nomine vocatus peremptorium terminum habebit, atque ad primam citationem respondere tenebitur, corporaleque Juramentum præstabit, omnia bona fide in Inventarium a se relata, nihilque ex bonis defuncti a se celatum vel celari. Jus Terrest. t. 1. in fin. 2. Beneficium Inventarii. Moritur aliquis, & relinquit post se bona immobilia, & alioquin nulla alia bona, hæres suus, qui hæreditatem ejus petiit, omnia debita liquida persolvere tenetur, quod obtinet quando hæreditatem non sub beneficio acceptaverit: Ubi vero competens inventarium cum scitu & voluntate Judicii conscribere curaverit, ad acquirendas tam hæreditatis facultates, quam etiam ut sciat, in quantum sese debita creditorum extenderint, tunc ultra contenta & vires Inventarii nemini solvere tenetur, nisi ex benigna voluntate id facere velit: Si vero hæres ex bonis hæreditariis creditoribus solvere noluerit, tunc Jure illum cogant & Arrestis obstringant Judicialibus, & secundum ductum Juris contra eum agant. Si aliquis hæreditatem liberare & evincere voluerit, pro debito respondeat & actori per solutionem satisfaciat. Revis. l. 3. t. 10. art. 2. 3. Quomodo secundum Jus Culmense conficiatur Inventarium. Qui aliquam hæreditatem sub beneficio Inventarii adeundam existimaverit, is primo hos omnes, qui in illa aliquod Jus habent, legatarios, creditores & reliquos ad ejusmodi confe-

ctionem

ctionem Inventarii & conſcriptionem bonorum citari curabit, præſentes & bene notos cum ſuis nominibus & cognominibus, ignotos cum generali clauſula, & omnes illos qui aliquod Jus habent, vel in hiſce bonis habere prætendant, per Edictum publicum vocari debent, cum præfixo ſufficienti termino currente, quo locum iſtum attingere, & tempus & locum ipſum, quo ſe ſiſtant, ſcire poſſint, ſimulque hæres quod proponere intendat, denunciare debet, l. c. art. 3. Hæres tale Inventarium ſpacio unius menſis, a tempore vel acceptatæ hæreditatis inchoare, & in ſequentibus duobus menſibus continuare debet, adeo, ut univerſum tempus trium menſium excurrat, niſi hæreditas in diverſis locis ſitu-ata fuerit, & plus temporis requiratur, in quem eventum ad cognitionem Judicii tempus illud prolongari, & ad ſummum in ſpacium unius anni extendi poteſt. l. c. art. 4. Creditoribus legatariis & reliquis penes Inventarium ſimul comparentibus, hæres nihilominus duos vel tres fide dignos & nemini ſuſpectos viros cum Notario Judiciali deſuper habere debet, alias illud Inventarium invalidum eſt nec hæredi prodeſſe poterit, l. c. art. 5. Omnia in hæreditate reperta in propriis vel reliquis oppignoratis, mutuatis, vel concreditis rebus, vel bonis immobilibus & mobilibus, in inventarium inferri debent, & hæres ſibi reſervare poteſt ea, quæ forte ex errore vel ignorantia omiſit, in futurum collaturus, ut & ſi quid in illud illatum inventarium non pertinens ſibi damnum allaturum non eſſe, l. c. art. 6. Quando creditores, legatarii & alii forte exiſtimant, hæredem cum conſcriptione bonorum debite non proceſſiſſe vel aliquid omiſiſſe, tunc liberum eſt, prout Juris, illud comprobare, & ſi eis plenaria probatio deficeret, hæredi Jusjurandum deferre poſſunt, qui etiam Juramenti religione comprobare debet, ſe omnia plenarie connotaſſe, l. c. art. 7. Si hæres, vel qui alioquin Inventarium conficere tenetur, aliquid doloſe in Inventario reticuerit, vel occultaverit, & dehinc convictus fuerit, is beneficio inventarii non ſit fruiturus, ſed omnia debita & condicta perſolvat, quaſi hæreditatem ſimpliciter absque

4. In quo tempore inventarium edendum ſit?

5. De rebus in Inventario conſignandis.

6. De corroboratione Inventarii.

7. De falſo Inventario.

8 De exclusione Inventarii. absque Inventario adiisset, l. c. art. 8. Hærede omnia cum præmissis Ceremoniis in Inventarium inferente, tunc cum assistentibus personis, utpote Notario Judiciali, nec non testibus ipsismet subscribere & subsigillare, ut & coram publico Judicio deponere, ubi tunc creditoribus & reliquis interessentibus bonorum copia communicari debet. l. c. art. 9. Inventarium, prout Juris est, debite conscribens, non amplius inprimis obligatur, etiam non ulterius conveniri potest, quam sese hæreditas extenderit: secundo etiam creditoribus primo venientibus & legatariis persolvere potest tantum, quantum in hæreditate fuerit, vel inter se invicem conventum est, & nulla actio contra hæredem conceditur, sed creditores invicem contra se agant, ubi semper creditores legatariis sunt præferendi: tertio, hæres postulare & conferre tenetur omnes impensas funebres, ad sepeliendum factas, prout & omne id, quod ad conscriptionem bonorum & Inventarium conficiendum impenditur, & si qua in hæreditate habet nomina debiti, parile Jus cum creditoribus habet, nec præ eo ulla prærogativa ratione temporis aut Privilegii fruuntur, l. c. art. 10.

9. De usu & effectu Inventarii.

IRA. Vid. Ebrietas.

ITER.

1. Si itineri accinctus detineatur.

QUi mercimoniorum, vel negotii sui causa, peregre profecturus est, impediri non debet a quopiam, cujusvis debiti prætextu, si satisdare paratus sit, vel procuratorem idoneum relinquat cum mandato rei judicatæ parendi. Si quis itineri jam accinctus est, eo ipso monumento, si in Jure conveniatur, audiendus est. Item, si ad operas domino præstandas proficiscitur, in continenti causam dicere, jubendus est. Si quis interim, antequam Judicii dies veniat, captus sit, vel morbo laborare ceperit, necessitatem impedimenti legitimi ad Judicium denunciet, more Juris usitato.

Emend.

Emend. l. 4. c. 70. Corr. l. 3. c. 78. Revis. l. 2. t. 6. art. 10. Si reus Jurejurando fidem fecerit, sibi pro mercimoniis exercendis, vel aliis negotiis expediendis, extra Provinciam peregre proficiscendi necessitatem incumbere, sicut ad diem Judicio constitutum adesse nequeat: hoc ipso Juris obeundi necessitas remittitur, Juramentum autem in continenti reus interponito, & actor uti juratum est acceptato. Sin vero Provinciam non exiverit, sed impedimenti colore fucum fecerit, Judici mulctam, actori pœnam fraudis & mendacii luit, nec non Judicii vices, si ita volet actor, præstolari compellitur, nec Jus amplius habet necessitatem prætendendi, nisi Judicis & actoris consensu proficiscatur. Emend. l. 2. c. 30. Corr. l. 3. c. 120. Si hospes quem conveniat, Jus illi dicendum est post noctis interstitium, quatenus Jure hospitum uti velit. Si quis autem itineri faciundo jam accinctus hospitem vel civem convenire velit, eum Judex per ministerialem publicum ad Judicium vocet, ac Jure hospitum respondere jubeat. Si vocatus edictum neglexerit, sive civis, sive hospes, pro actore Jus dicetur & pronunciabitur, causam eam vicisse, nisi conventus legitimo teneatur impedimento. At si civis vel hospes conventus in eo foro bona possideat, in ea actor immittatur, pro modo debiti sui, ut Juris est. Si bona ibi non habeat, siquidem præsens est, in custodiam detur, quoad actori satisfecerit. Si vero civis civem convenire velit, qui possessor sit, vel non sit, sive hospitem in Jus vocet, extra diem Judicii legitime constituti, actorem illum Judex ad ordinem Juris constituti remittat. Quod si civis actori opposuerit, se jam ad profectionem accinctum esse, vel commerciorum suorum, vel piæ peregrinationis ergo, vel etiam alia urgente causa extra Provinciam abeundi, sic, ut statum Judicii diem expectare nequeat, idque mediante juramento suo comprobaverit, eodem die responsum ejus audiatur. Quod si hospes adversus civem actorem excipiat, se non teneri Judicium ordinarium præstolari, & in eam rem Jusjurandum juret, causa ejus præsente die ventiletur. Si inter litigatores convenerit, nullo discrimine civis & hospitis

2. Si reo proficiscendi necessitas incumbere dicatur

3. Quo Jure itineri accincti utantur.

ſpitis habito', ut utrinque in Jus eatur, eo caſu debet conventus adverſarium ſtato die in Jure præſtolari, nec exceptionem profectionis ad commercia ſua, vel peregrinationis ad pia loca, vel abitionis extra Provinciam, vel quovis modo accinctus ſit, prætendere poteſt. Si vero hoſpes vel accinctus itineri faciundo, fundos & poſſeſſiones petere, ſeu vindicare velint, hi neque hoſpitum, neque peregrinantium Jure utuntor, ſed ſtatos Judicii dies, ſecundum Juris ordinem obeunto. Emend. l. 2. c. 40. Correct. l. 2. c. 41. Reviſ. l. 2. t. 14. art. 4. vid. plura **Indigenatus.**

JUDÆUS.

1. De actionibus inter Judæum & Christianum.

SI Judæus Chriſtianum de pecuniario debito conveniat, actionem Chriſtianus Juramento ſuo poteſt elidere. Nullius enim Judæi Juramentum Chriſtiano prævalet, nec cuiquam Judæo adverſus Chriſtianum jurare fas eſt in cauſis pecuniariis. Sin autem Judæus Chriſtianum accuſet ob maleficium, puta vulnerationem, membri mutilationem, vel homicidium: eo caſu Judæus Chriſtianum, qui pacem publicam violaſſe dicetur, in facto recenti æque convincendi poteſtatem habet, atque Chriſtianus, ut Chriſtianorum teſtimonio convinceret. Emend. l. 2. c. 31. Corr. l. 3. c 62.

2 Quod Judæus Christiani idoneus evictor non ſit.

Si quis rem ſuam furto vel rapina amiſſam penes quempiam deprehenderit, ejus rei Judæus evictionem actori, qui furtum vel rapinam paſſus eſt, in Judicio præſtare non poteſt, ſed actor rem ſuam vendicandi Jus habebit. Emend. l. 2. c. 75. Reviſ. l. 4. t. 12. art. 2. Judæus non ſequitur ad capiendum proſcriptum. Corr. l. 5. c. 41.

3. De Judæorum mercatura.

Judæi vigore antiquæ ordinationis nullibi in territorio tolerari, multo minus ad coemptionem & evectionem illarum mercium admitti debent, ſub amiſſione bonorum & pœna quinquaginta florenorum Polonicalium, toties, quoties deſuper deprehenſi fuerint, Rev. l. 4. t. 5. art. 2.

Judæ-

Judæorum Privilegium.

De adeundis Civitatibus Pruſſiæ, & in iisdem libere exercendis negociationibus.

STEPHANUS DEI Gratia Rex Poloniæ &c. Princeps Tranſylvaniæ &c. Significamus præſentibus literis Noſtris, quorum intereſt univerſis & ſingulis, exhibitas Nobis eſſe literas Pargamenicas infra ſcriptas, Sigillo Regni communitas, & manu olim Seren. Sigismundi Auguſti Regis Poloniæ, Anteceſſoris Noſtri ſubſcriptas, cum ſupplicatione a Nobis, ut easdem literas Auctoritate Noſtra Regia approbare & confirmare dignaremur. Quarum literarum tenor de verbo ad verbum, ut ſequitur:

SIGISMUNDUS DEI Gratia Rex Poloniæ &c. univerſis & ſingulis Prælatis, Spiritualibus & Secularibus, Archi-Epiſcopis, Epiſcopis, Palatinis, Caſtellanis, Capitaneis, Tenutariis,& eorum vices gerentibus,Nobilibus,Pro-Conſulibus, Conſulibus Civitatum & Oppidorum, in Regno Noſtro Poloniæ, Ducatibus & Terris Noſtris Pruſſiæ, ac Maſoviæ nominatim autem Civitatum Thorunenſis, Elbingenſis & Gedanenſis,aliarumq;Civitatum &Oppidorum Terrarum noſtrarum Pruſſiæ Civibus & incolis Nobis fidelibus dilectis, Gratiam Noſtram Regiam. Sincere & fideliter dilecti! Accepimus querelam univerſitatis Judæorum tam Noſtrorum quam ſubditorum Regni Noſtri, quod tametſi a D. olim Parente Noſtro libera facultas illis ubique in Regno ac Dominiis Noſtris, more aliorum ſubditorum, mercandi fuerit conceſſa, ſuper quod literas Majeſtatis olim paternæ, ad ſupplicationem omnium pro illis Ordinum Regni in Conventione generali Cracovienſi, conceſſas Nobis exhibuerunt: nihilominus tamen prohiberentur ingredi in primas Civitates in Pruſſia, pro exercenda exercitatione in venditionibus & emptionibus, quaſi illi hoſtes Patriæ, & non ſubditi Noſtri eſſent, ſupplicando humiliter Nobis, ut ſine cauſa ipſos a Civitatibus Noſtris, præſertim a Thorunio, Elbinga, Gedano,

& aliis oppidis in Pruſſia exiſtentibus, exerceri non promitteremus; quoniam itaque, quæ ad interceſſionem omnium Ordinum in generali Conventione ſunt impetrata, labefactare Nobis minime conveniat, ad res omnes, ad quorum notitiam, hoc Noſtrum Privilegium pervenerit, literis ſcribendum, duximus: Mandantes, & ſic omnino habere volentes, ut deinceps prædictos Judæos Noſtros & ſubditorum Noſtrorum ſubditos, libere ad Civitatem ingredi, ibidemq; rem mercatorialem, juſte & legitime exercere permittatis & permittere faciatis, non obſtantibus quibusvis exceptionionibus & excuſationibus univerſis, Auctoritati Majeſtatis Noſtræ contrariis. In hoc enim fora, ac alia tempora, in Civitatibus Noſtris a Nobis & Prædeceſſoribus Noſtris præpoſita & inſtituta ſunt, ut liceat omnibus ſubditis Noſtris, cujuscunque ſtatus & conditionis ſint, ſub debita ſecuritate ad eas ipſas Civitates mercaturæ exercendæ cauſa venire, ibidemque ſtare & morari, libereque & ſecure inde recedere, nulla conditione obſtante: aliter igitur facere non auſuri ſub graviſſima indignatione Noſtra. Harum, quibus Sigillum Noſtrum præſens eſt appenſum, teſtimonio literarum. Datum Vilnæ Feria quinta ante Feſtum B. V. Mariæ die proxima Anno 1551. Regni noſtri 22.

Sigismundus Auguſtus Rex.

Nos itaque Stephanus Rex, ſupra memoratus, ſupplicationi præfatæ benigne annuendo præinſertas literas confirmamus, approbamus & ratificamus, ac in villis hujusmodi negociationes etiam exercere poſſint ipſis concedimus, decernentes has ipſas literas, quatenus de Jure robur debitæ & legitimæ firmitatis obtinere debere, in cujusque rei fidem, & evidentiæ teſtimonium manu Noſtra ſubſcripſimus, & Sigillo Regni ſub appenſo communiri mandavimus. Datum in Niepolomicz d. 29. Januarii Anno 1583.

Stephanus Rex.

JUDEX. JUDICIUM.

Ratione Judicis & Judicii Terreſtris vid. ſupra Forum. Condeſcenſio,

Conſtitutiones

Terrarum Pruſſiæ, in publicis comitiis Thorunii conciliatæ, & D. SIGISMUNDI Regis authoritate pro commodo publico confirmatæ,

1. Ratio ſubſequentium Conſtitutionum.

SIGISMUNDUS DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſſiæ totiusque Pruſſiæ, Maſoviæ &c. Dominus & hæres: Significamus tenore præſentium, quibus expedit, univerſis præſentibus & futuris harum notitiam habituris, quia conſulere volentes multiplicibus erroribus & abuſibus, qui cum in divinis ac etiam in humanis rebus inoleverant in Terris & Civitatibus Noſtris Pruſſiæ, ac bonæ Reformationi defectuum & diſſidiorum, quæ in ipſis Terris oborta fuerant, utiliter intendentes de conſilio & conſenſu omnium Conſiliariorum & Nunciorum communitatis, tam Militaris, quam etiam Civilis Ordinis, infra ſcriptas Conſtitutiones edidimus, promulgavimus & confirmavimus. Inprimis, quisque Palatinus habeat apud ſe exemplum ſeu copiam Privilegii Terrarum Pruſſiæ, & illud unicuique petenti oſtendet, & coram eo legi faciet, quod Nos manu tenere, & ſecundum ipſius tenorem tam Spiritualium quam Secularium Dignitates, Officia & Capitaneatus ſolis & propriis Terrarum Pruſſiæ Indigenis conferemus.

2. Inſtitutio Judicii Terreſtris.

Judicia Terreſtria in ſingulis Palatinatibus quotannis bis ſerventur, ita ut in Palatinatu Culmenſi primum Judicium feria tertia poſt Dominicam Quaſimodogeniti, ſecundum autem feria tertia poſt Lamperti celebretur. In aliis autem Palatinatibus, juxta veterem conſvetudinem obſervetur. Ex quibus quidem Judiciis Terreſtribus Appellationes ordinariæ fiant ad

Conventus generales Terrarum Pruſſiæ; A Conventibus autem generalibus ad Regium Tribunal Noſtrum donec alterutra partium tres conformes ſententias obtinuerit. Ut autem frivolæ & temerariæ Appellationes non nihil cohibeantur, quisquis in Judicio Terreſtri ad Conventum generalem appellaverit tres marcas in Judicium reponat; Si vero a Conventu generali ad Nos appellatum fuerit, ſex floreni per triginta groſſos deponantur. Et ſi appellans coram Judice appellato ſuccubuerit, in uſum publicum Judicii, in quo erant repoſiti, cedant; alioquin parti reſtituantur. Nec Palatini cauſas ad Jus Terreſtre ſpectantes, niſi de conſenſu partium, judicent, & provocantes ad Judicium Terreſtre remittant: Exceptis cauſis levioribus, quæ videlicet valorem decem marcarum non excedant. Hæ quidem ſine ſtrepitu Judicii de ſimplici & plano ab eis componi poſſunt. In cauſis autem ſangvinis & facto recenti deprehenſis, indilatam Juſtitiam miniſtrent, nec partes condeſcentes ad componendam amicè inter ſe controverſiam cogant, nec ullas pœnas exigant, niſi per Judicium decretas, quarum pœnarum tertia pars Judicio Terreſtri, reliquæ duæ partes Palatino loci cedant. Palatini & Capitanei citati tam in Judicio Terreſtri, quam Conventuum publicorum reſpondere ſint obligati: Exceptis actionibus ſuper bonis Noſtris Regalibus emergentibus, Capitanei autem juxta continentiam Privilegii Terrarum Pruſſiæ ſint indigenæ poſſeſſionati, ratione quarum poſſeſſionum, ſi bona Terreſtria fuerint, Judicio Terreſtri ſint ſubjecti. Ut autem temerariæ lites amputentur, Commiſſarios ſive Judices delegatos non deputabimus in cauſis ad Judicium Terreſtre ſpectantibus, & minus in eo jam pendentibus, niſi per appellationem ordinariam, de qua ſuperius dictum eſt, a ſententia definitiva, ſeu interlocutoria jam lata, ad Tribunal noſtrum devolutæ fuerint; exceptis cauſis limitum bonorum Noſtrorum Regalium, & diviſione fratrum & proximorum. Nec Judices delegatos ſeu Commiſſarios, a quibus ſemel appellatum eſt, in eadem cauſa denuo

3. Palatini non debent judicare cauſas, quæ pertinent ad Judicium Terreſt. niſi leviores & violentias.

4. Palatinorum & Capitaneorum forum.

5. Rex in cauſa ad Judicium Terreſtre ſpectante non delegabit Commiſſarios.

6 Judex, a quo ſemel eſt appellatum in

denuo deputabimus, aut causam ad ipsos remittemus. Non enim verisimile aut honestum videtur, quod Judex pristinam suam sententiam retractet, aut aliter postea judicet, quam antea judicaverat.

Altera instantia haud iterum judicet.

Conventus autem publici seu generales, juxta proximam Ordinationem Nostram, in Prussia quotannis bis celebrentur, Verno videlicet tempore Mariemburgi, ad diem St. Stanislai; tempore autem Autumni in Graudentz ad diem S. Michaelis. In Nostro tamen arbitrio erit, cum res ita postulaverit, alium locum & tempus hujusmodi Conventibus præscribere.

7. Celebratio, institutio & cadentia Conventuum generaliorum.

Peculiares autem conventus per Nos instituendi locum & diem ex Nostro arbitrio sortientur.

8. Conventus peculiares.

Ad prædictos generales Conventus omnes causæ tam ex Civitatibus quam ex Judiciis Terrestribus per appellationem devolvantur, & etiam sine speciali Commissione Nostra judicentur. Deinde vero, & non antea, ad supremum Tribunal Nostrum remittantur, parte provocante, cui ad prosequendam Appellationem a Judicibus legitimus terminus præfigatur, quam Appellationem si intra unius anni spacium non prosequeretur, prior sententia juxta Juris communis dispositionem, ut prædictum est, in rem transeat judicatam & executioni demandetur.

9 De quibus causis Conventus generales cognoscant.

Ante Conventum vero publicum per Nos & Successores Nostros singulariter instituendum, in singulis Palatinatibus, Culmensi videlicet, Marienburgensi & Pomeraniæ, fiat Nobilitatis Conventio particularis, quam secundum morem antiquum Palatini, in singulis districtibus Palatinatus sui, ad aliquem locum convenientem literis suis convocent, ut nuncii ad hujusmodi Conventum mittendi eligantur.

10. De institutione & indictione Conventuum peculiarium.

Qui autem vocatus non comparuerit, pœnam duarum Marcarum pendet, cujus medietas Palatino ejus loci, altera vero ærario publico proveniat; exceptis dictarum Terrarum Prussiæ Consiliariis nostris, sive Equestris sive Civilis sint ordinis.

11. Pœna in Conventu non comparentium.

At cum frustra sententiæ ferantur, nisi legitimæ executioni demandentur, volumus & irrefragabili Constitutione sancimus, ut deinceps unusquisque, cujusvis conditionis aut eminentiæ fuerit, rei judicatæ sine omni contradictione, cum effectu pareat & obsequatur; alioqui loco-

12. Executio sententiæ coram Conventu aut Judicio Terrestri latæ

locorum Palatini, nullo alio mandato expectato, legitimam executionem faciant adjuncto sibi, ubi causæ conditio id postulaverit, Capitaneo & Nobilibus illius districtus, aut etiam, si necessitas exegerit, omnibus & singulis Vasallis Nostris, seu Nobilibus illius Palatinatus, quos ad assistendum illi sub Jurisjurandi debito & amissione Feudorum obligatos esse decernimus. Si vero majori potentia sit opus, negocium ad nos referri volumus, ut opportunis rationibus rebus provideamus. Palatinos similiter ad ejusmodi executiones faciendas, Justitiamque oppressis ministrandam, Jurisjurandum Nobis præstitum adigat, quos etiam, si remissiores fuerint quinquaginta florenorum Ungaricalium pœna plecti volumus, cujus mulctæ medietas parti, cui Justitia denegata est, altera vero medietas ærario publico Terrarum Prussiæ cedat. vid. Constitutiones D. Sigismundi Regis ab Anno 1538. §. 1. usq; 12. Qui in Scabinorum ordinem elegitur, Scabinus est, quamdiu vixerit, nisi vel in Senatum adoptetur, vel ob aliquod maleficium, puta furtum, perjurium, adulterium, & ejus generis similia, loco moveatur, sic ut de maleficio coram Judice & Scabinis in Judicio constituto, Juris ordine fuerit convictus. Emend. l. 2. c. 1. Correct. l. 2. c. 1. Revis. l. 2. t. 2. art. 2. Judex & Scabini, pro cujuscunque loci Jure & Privilegio, a Senatu eliguntur. Judex & Scabini honesti Viri, & in eo loco quo eliguntur possessionati esse debent. Revis. l. c. art. 1. Si quis Scabinum in Judicio constituto, intra Cancellos tribunalis, verbis indignis conviciatus fuerit, & Scabinus injuriam sibi factam testimonio cæterorum consortium, vel alioquin duorum aut vel trium fide dignorum hominum, qui præsentes fuissent, & convicium audivissent, comprobaverit, conviciator æstimationem injuriæ Scabino, Judici vero mulctam luito. Emend. l. 2 c. 2. Corr. l. 2. c. 2. Si quis Scabinum in Jure sedentem maligne reprehenderit ob dictam sententiam, quam cæteri Collegæ calculo suo comprobassent, singuli Scabinorum injuriæ æstimationem ab eo, qui convicium fecit, exigant: Judex autem mulctam toties petat, quoties ille Scabinis injuriam passis æstima-

13. De Scabinorum Electione.

14. Conditio eligendorum Scabinorum.

15. Si quis Scabino convicium faciat.

16. De convicio propter sententiam dicto.

æstimationem præstiterit. Emend. l. 2. c. 3. Corr. l. 2. c. 3. Prætori Scabinus sententiam dicere non cogitur extra Judicium, præterquam in non recentis criminis maleficio. Emend. l. 2. c. 4. Correct. l. 2. c. 10. vid. plura **Sententia.** Nec Scabinus, nec Judex nec alius quisquam in Jure respondere cogitur, nisi legitime per Judicii ministerialem publicum in Jus vocati fuerint. Judex si in Jure conveniatur, loco suo surgat & Scabinum sibi substituat, eoque modo actori respondeat. Emend. l. 2. c. 6. Correct. l. 2. c. 13, Revis. l. 2. t. 6. art. 2. Si Prætor vel Scabini morte præventi vel alioquin impedimento legitimo detenti fuerint, in eorum locum alii interim substitui possunt, si necessitas hoc exigat, ad donationem puta rite insinuandam, sic ut adminus duo vel tres Scabini in Jure sedeant; sic enim donatio rata habebitur. Emend. l. 2. c. 5. Corr, l. 2. c. 11. Prætor in singulos annos tribus vicibus statisque temporibus Civile Judicium solenniter auspicatur, primum quidem die duodecima post diem Christi Natalitium: secundum, sexta die cum hebdoma feriarum Paschalium exiverit: tertium, cum septimana feriarum Pentecostalium finem sortita fuerit. Ab his tribus temporibus semper post dies quatuordecim consequenter exercitium Judicii Civilis indicitur. Si Judicii tempus feriæ vel dies nefastus eximant, Judicis arbitrio permittitur diem diffindere vel prorogare, quoad ipsi pro rerum temporumque ratione visum fuerit. Emend. l. 2. c. 7. Correct. l. 2. c. 19. Revis. l. 2. t. 1. art. 3. De loco Jurisdictionis vid. **Jurisdictio.** Judex & Scabini matutino tempore judicandi faciunt initium, & tamdiu cognitionem causarum exercent, quamdiu litigantes præsto sunt, qui cognitionem desiderant. Evenit autem, ut cæteris expeditis unus superfit qui petat Sessionis continuationem, forte quia causatur vel Procuratoris vel testium absentiam, adversarius autem neget continuari Judicium oportere, quandoquidem nihil amplius præ manu sit quod cognitione indigeat. Hoc casu prudentium auctoritate constitutum est, ut postquam Judex exercitium

17. Quando Scabinus sententiam dicere debeat?

18. Judex & Scabini haud citati, in Jure non respondent, & Judex conventus cedit suo loco.

19. Si Prætor aut Scabinus moritur vel legitimo impedimento detinetur.

20. De statis temporibus Judicii Civilis solenniter celebrandis.

21. Quamdiu Juris dicendi exercitium duret?

Jurisdictionis auspicatus est, jubeantur Scabini locum capere & sententias dicere, quamdiu quisquam præsto est, qui Jure disceptare cum adversario cupiat. Neque vero convenit Judicem & Scabinos præstolari cæteros, qui Juri suo non ipsimet invigilant. Sic enim moribus receptum est, ut præsentium non & absentium ratio habeatur. Emend. l. 2. c. 10. Correct. l. 2 c. 15. Revis. l. 2, t. 1, art. 4.

22. De memoria causarum & actionum tenenda

Scabinis nulla est necessitas imposita cujusvis causæ & actionis memoriam retinere, nisi cum quispiam quid illorum, quæ in Judicio aguntur, ad acta publice referri petat: eamque ob rem Scabinis, quod par est, præstet. Quæcunque autem ad acta referuntur, eorum memoriam conservare, deque iis in Judicio testimonium dicere tenentur Scabini, quoties hoc ab eis petitur ac postulatur. Emend. l. 2. c. 11. Corr. l. 2. c. 16. Revis. l. 2. t. 1. art. 7. De arrha Judiciali vid. **Arrha.**

23. De Pace tenenda pro causis Jure finitis.

Si quis causam ad finem Jure perduxerit, & petiverit adversarium pacem vel silentium a Judice imponi, Judex pacis tenendæ legem præscribito, sic ut ex auctoritate Judiciali pacem litigantibus edicat ac mandet, ne ob eam causam alter alteri molestiam exhibeat: qui secus fecerit, pœnam in contemptores pacis constitutam committit: alter vero, si recte sibi consultum voluerit, cautio est, ut Scabinis contestandi gratia sportulas præstet, ac petat, rem actis publicis adnotari. Hoc pacto Scabini testimonium rei gestæ conservabunt, ex quo hanc imposterum utilitatem ille consequetur, ut si deinceps adversarius negotium eam ob causam fecerit, alter testificatione Scabinorum evincat, pacem vel silentium actionis dictam impositumque: ex quo consequenter adversarius parti læsæ æstimationem injuriæ, Prætori vero mulctam illi rei dictam exsolvere cogetur, & imposterum ab molestia alteri temere inferenda merito temperabit. Emend. l. 2. c. 13. Corr. l. 2. c. 40. Revis. l. 2. t. 2. art. 5. De testimonio Judiciali vid. **Testimonium.**

24. Si Judex quempiam in Jure impediat vel Jus non dicat.

Si Prætor quempiam in actione prosequenda impedierit, vel Jus non administraverit, siquidem hoc per injuriam admittat, ac eam ob

ob rem coram eo, qui vices Principis gerit, teſtibus præſentibus conveniatur, oportet, ut conventus itidem teſtium adminiculo Judicium, quo minus illi fraudi ſit, evadat. Sin autem in Jus Civile vocetur, fortius dicemus, ut Judicii teſtimonio convinci, quam aliis teſtibus ſuis renunciet, & religioni Prætoris, quatenus ſibi conſcius ſit, cauſam committat, Prætoris religioni ſtandum erit, ut per Jusjurandum ejus transactum videatur. Cum Prætor hac de cauſa coram Burggrabio in Jus vocatur, in continenti reſpondeto, ſic, ut ibi Jus rite conſtitutum ſit: præſentem enim ipſummet oportet eſſe, niſi legitimum cauſetur impedimentum, quod e veſtigio probandum erit. Si non probet, ſed per injuriam recuſet, neque Juri parere velit ei, qui Principis vicem ſuſtinet, ob injuriam in eum commiſſam, Prætor in mulctam decem librarum æris, quæ tredecim marcas & viginti ſolidos monetæ Pruthenicæ adæquant, damnas eſto, & in ſolutionem debiti, cujus cauſa Jus denegaverat actori condemnator. Quamdiu debitum non exegerit, nec ipſemet ſolverit, nec proximo Judicii die actionem eam a ſe Jure propulerit, interim illi Jurisdictionem in quempiam exercere fas non erit, priusquam ea ſe cauſa liberaverit, uti præmiſſum eſt. Sin autem agatur de maleficio, cujus vindicandi cauſa Prætor Jus dicere noluerit, utputa de homicidio, furto, ſacrilegio, latrocinio, incendio, rapina, vel aliis ejus generis facinoribus, quæ capitalia ſunt, eandem pœnam Judex ſuſtinebit, quam accuſator perferre debuiſſet: neque hoc caſu damni æſtimatione vel mulcta defungi poterit, quatenus in ejusmodi cauſa neglecti officii, Juris ordine convincatur. Si quis poteſtati Judicis traditus fuerit, in cuſtodiam, ad Juris exercitionem aſſervandus, isque carcerem fregerit, absque Judicis culpa, negligentia vel ſcientia, ſiquidem cauſa maleficium concernat, quod capitale ſit, Judex integram damni æſtimationem (vulgo Wergeldum totum vocant) luito, ſi manus mutilationem concernat, dimidium præſtato, ac inſuper Jusjurandum jurato, niſi id remitti placuerit, ſine culpa ſua captivum evaſiſſe. Emend. l. 2. c. 16. Corr. l. 2. c. 43.

Revisum longe aliter disponit: Si Judex aut Judicium aliquem in suo Jure & actione impediat, & per injuriam parti nullam operam ferens Justitiæ administrationem recusaret, & læso Juris cognitione sua subvenire nolit; tunc parti omnia damna & expensas, una cum interesse moræ resarcire tenetur. Revis. l. 2. t. 2. art. 6. Nemo alium impediat, aut obtundat in loco Judicii clamando, cursitando, conviciando, vel aliud quippiam illiberaliter aut impudenter agendo, quod cum actionis ejus damno vel præjudicio sit conjunctum. Si quis secus maligno studio fecerit, ob eamque rem Judicis & Scabinorum duorum testimonio convictus sit, injuriam læso, mulctam Judici luat: Si præsente Burggrabio deliquerit, trium librarum, sin præsente Prætore, octo solidorum mulcta esto. Ex quacunque causa actor damni vel injuriæ æstimationem adjudicatam obtinuerit, ex eadem etiam Prætor mulctam suam recte vendicabit. Emend. l. 2. c. 17. Correct. l. 2. c. 44. Revis. l. 2. t. 1. art. 6. Si in Judiciorum loco aliquem quis vel vulneraverit, vel occiderit, a quocunque comprehensus per officium Palatinale capitis pœna puniatur; si etiam evaserit, ad idem Officium Palatinale citetur, itidemque capitali supplicio afficiatur. Jus Terrest. t. 5. §. 34. Ne cui vis fiat ob debitum vid. **Creditor.**

25. Ne in loco Judicii alter alteri sit impedimento.

26. Si aliquis in Judicio vulneretur.

27. Qua lingva in Jure sit agendum?

De mulctis & pœnis pecuniariis vid. **Mulcta.** In omnibus Judiciis, quæ Juri Culmensi censentur, causæ lingua Germanica aguntor & judicantor. Omnes enim Judiciorum illorum actiones idiomate Teutonico jam pridem expediri consveverunt, nisi quibus in locis usus linguæ latinæ frequentior agendis causis adhibeatur. Emend. l. 2. c. 22. Correct. l. 3. c. 4. Revis. l. t. art. vid. plura **Minor Mutus.**

28. An quævis actio cedi vel omitti possit?

Nemo potest actionem cedere vel omittere, quæ in Judicio constituto cæpit, cæptave pendet; sed actionem oportet ad finem perduci, uti Jure constitutum est, nisi permissu Judiciali cedatur vel omittatur, vel nisi litigantes inter se transigant vel ad Arbitros remittantur, eorumque arbitratu causa determinetur, si cui silentium imponatur a Judice vel ab arbi-

arbitris, res abſoluta definitaque intelligitur. Emend. l. 2.
c. 25. Correct. l. 2. c. 32. Reviſ. l. 2. t. 10. art. 6. Nemo 19. De actionis ceſſione.
actionem in Jure cæptam alteri donare vel cedere poteſt,
niſi ad finem fuerit perducta & determinata, vel quod parti-
um utrinque conſenſus conveniat. Emend. l. 2. c. 26. Rev.
l. c. art. 7. Si quis ſponſionem Judici fecerit, in actionem, 30. De actionibus & Juris ſponſionibus proſequendis
puta rapinæ, vulnerationis vel homicidii, Jure proſequatur,
& neglecta ſponſione citra Judicis conſenſum cum adverſario
tranſegerit, tam ei qui vices Principis gerit, quam Judici
mulctam committit, ea de cauſa, quod nec ſponſioni ſatis-
fecit, nec actionem ad exitum perduxit. Si cauſam actor
ad finem proſecutus fuerit, & deinde cum adverſario ſine
Judicis permiſſu transegerit, uterque tam actor quam reus
Judicis mulctam incurrit. Emend. l. 2. c. 27. Corr. l. 2. c. 35.
An vulneratus ad agendum cogi poſſit. vid. **Vulnus.** De
dilationibus tam Actori quam reo dandis, vid. **Dilatio.**
Vid. plura **Forum.** Ubi duo Cives eodem civitatis Jure 31 De competente Judice adeundo.
cenſentur, ſi alter alterum debiti cauſa volet in Jus vocare,
nequaquam alibi quam pro competenti ſuove Judice conve-
nito. Emend. l. 2. c. 36. Correct. l. 3. c. 56. Reviſ. l. 2. t. 7.
art. 3. Judex eum qui coram ipſo Jure convenitur, ad aliud 32 De remiſſione ad aliud Judicium.
Judicium remittere non debet, niſi res, de qua agitur, in alio
foro ſita eſt: hoc enim caſu apud eum de re controvertitur,
cujus Jurisdictioni ſubjacet, vel niſi Conventus ſponte ſua
cognitionem de re controverſa in alieno Judicio ſit paſſurus.
Neque Judicio Jus eſt, quempiam ab actione ſua proſequen-
da excludere, niſi cum ejus conſenſu, qui convenitur. Emend.
l. 2. c. 38. Correct. l. 2. c. 34. Reviſ. l. 2. t. 7. art. 8. Vid.
**Hoſpes. Iter. Impedimentum legale. Advocatus.
Teſtis. Fœmina. Juramentum. Perjurium. Sen-
tentia. Expenſæ.** Si Scabini in eandem ſententiam pe- 33. Si Scabini in ferenda ſententia diſſenſerint.
dibus ſimul ire nequeant, cum in Judicio conſtituto quid
Juris ſit rogantur, licentiam habento in alterum vel tertium
diem, qui Judicio dictus eſt, animi ſenſum prorogandi.

Tertio ſane die vel ipſi ſententiam ferunto, vel ſi Jus neſciant, aliunde, unde fas eſt, petunto, nec in ulteriorem diem cognitiones ſuſtinentor. Emend. l. 2. c. 63. Correct. l. 2.
34. Si quis ſententiam rogatus, quid Juris ſit, neſciat. c. 8. Qui ſententiam rogatus, quid in ea cauſa Juris ſit neſciat, illi tempus proferendi Jus eſto. Multi ſunt enim qui non ſtatim rationes expedire poſſint, quid quaque in re Juris ſit conſtituti. Nemo proinde ſententiam ferat ex ſuo ſaltem arbitrio vel ingenio, ſed ex Jure ſcripto, ſic ut conſcius ſibi ſit, juſtum hoc eſſe, quod promulgat. Sin dubitet, pœnæ Divinæ ſemet obſtringit, quatenus ſententiam ex nuda ſaltem opinione tulerit. Si quis prætendat ſententiam male vel inique adverſus ſe dictam, eamque refutare volet, refutandi modus hic ſolennis eſt: Ego ſententiam iſtam redarguo, & injuſtam eſſe ajo, atque hanc in rem ad eum provoco, ad quem provocandi Jus eſt, hoc eſt ad Judicem ſuperiorem, deinde cauſam peragat, uti Jure conſtitutum eſt. Stando ſententia refutatur, ſedendo fertur. Stando Actori præſtatur æſtimatio damni, quod in Judicio committitur, & ſtando itidem Judicii mulcta luitur. Si quis ſecus fecerit, modica mulcta, juxta morem, a Judice coercetur. Ne quis ſententiæ ferendæ Jus uſurpato niſi qui in Judicium ordine lectus eſt, & niſi cui Magiſtratus ſpecialiter id commiſit. Scabini vero prudenter leguntor, & ipſimet prudentes & non inepti ſunto ad ſententias dicendas & promulgandas. In quacunque cauſa judicaverint, ſeptem ad minimum numero ſubſelliis aſſidento: ſi plures fuerint, melius æquius eſto. Emend. l. 2. c. 64. Vid. **Sententia.** De arbitris & com-
35. De Prætoris abſentis ſuccedaneo. promiſſariis. Vid. **Arbiter.** Si Prætor abſit, cum maleficium committitur, Judex Vicarius in ejus locum ſubſtituitur, qui de quovis maleficio recenti cognoſcendi poteſtatem habeat: prætorem utique convenit, legitima poteſtatis judicialis autoritate initiatum eſſe. Emend. l. 5. c. 8. Corr. l. 2.
36. Qui miſerorum hominum cauſas criminales c. 20. Homicidia & cædes, quæ adverſum homines miſeros perpetrantur, Judex per ſe, qui poteſt ac debet, ulciſci: nimirum quod publice intereſt, ne cædes maneant impunitæ.

Si

Si quis miſeræ perſonæ cædem exequi ceperit, deinde ab hac poſtulare de-
luce migraverit, ad Judicem actionis perſecutio devolvitur. beat?
Si poſtea ſupervenerit agnatus, & actionem ordine Juris ad
ſe revocaverit, ejus deſiderio Judex ſubſcribito, & actionem
illi credito. Emend. l. 5. c. 9. Correct. l. 2. c. 61. Quanto 37. Libera
plura quantoque majora Culmenſis Terræ, ac præcipuè Civi- electio Judi-
tatum Noſtrarum Incolæ, Culmenſis ſcilicet & Thorunenſis, cum a Cruci-
tum pro Chriſtianitatis defenſione, tum pro Domus Noſtræ geris Terris
promotione, diſcrimina ſuſtinebant, tanto ardentius atque Pruſſ. con-
efficacius in omnibus, quibus cum Juſtitia poſſumus, eis adeſſe ceſſa.
volumus & debemus. Hinc eſt, quod eisdem Civitatibus
hanc indulſimus perpetualiter libertatem, ut earum Cives eli-
gant ſibi in iisdem Civitatibus ſingulos Judices annuatim,
qui Domui Noſtræ & Communitati Civitatum competant
earundem, eisdemque Judicibus ceſſimus perpetualiter de
parte tertia mulctarum Judicialium, pro culpis majoribus
penſatarum, pœnam minorum exceſſuum, quæ quotidiana
dicitur, videlicet 12. nummos, & infra eis totaliter conce-
dendo: Ita ut quicquid de talibus Judex infra tribunal indul-
ſerit, de quatuor ſolidis videlicet & infra, id etiam ex parte
Domus Noſtræ ſit indultum. Verumtamen de majoribus
culpis, ut ſint homicidia, ſangvinis effuſio & his ſimilia,
Judex absque Fratrum noſtrorum aſſenſu nihil remittat, Nos
etiam partes illas, quæ Nos contigerint, in eisdem Judiciis
vendere vel infeodare cuiquam non debemus. Privil. Culm.
§. 1. Prætor judicare & cognoſcere poteſt quolibet die in 38. Notio de-
debitis liquidis quæ propria confeſſione probantur. Emend. biti liquidi.
l. 2. c. 15. Correct. l. 2. c. 21. In omnibus civitatibus Juris 39. Jurisdi-
eſt, ut Judex judicet per ſententias. Emend. l. 2. c. 9. Corr. ctio Judicis.
l. 2. c. 25. Qui ad Judicium ordinarium bannitum non 40. Pœna ſim-
venit, ſonante campana, is ſolvit unum ſolidum bonæ mone- plicis contu-
tæ. Si vero aliquis ad Judicium bannitum non venit, & maciæ.
eum legale impedimentum non retinet, is duos ſolidos bonæ
monetæ ſolvit vel quodcunque aliud in plebiſcito ſancitum
eſt. Correct. l. 1. c. 8. Die Judicii adveniente & exiſtente 41. Formalia
Judex cum Scabinis reſidere debent in ſcamno, & unum inter banniendi

Sca-

Scabinos interrogare, an ſit Judicii tempus. Scabinus reſpondendo illud invenire debet per ſententiam, quod ſit tempus Judicii. Tunc Judex interrogat eundem vel alium Scabinum, an poſſit Judicium bannire? Scabinus regerendo invenit, ſe poſſe id facere. Judex ulterius interrogat, quid nam prohibere debeat? Scabinus iterum adinvenit: Judicis permiſſionem & Judicii faſtidium. Tandem Judex pronunciat: qualiter mihi de Jure adinventum eſt, ſic Judicium cingo & bannio, prohibeoque quæ de Jure prohibere teneor, & permitto, ut quilibet Jus ſuum proſequatur cum modeſtia & diſcretione prout Juris eſt. Hoc itaque modo Judicium cinctum & bannitum eſt: Hoc facto Judicium pro populo præſente denunciare debet, Judicem cum Scabinis Judicium cinxiſſe, ut quilibet Jus ſuum proſequi modeſte cum diſcretione poſſit, Jure mediante. Reviſ. l. 2. t. 1. art. 5. Donationes omnes coram Judicio fieri debent. vid. **Donatio.** Item: Omnes oppignorationes eveniunt, ſi concernant immobilia, coram Judicio. vid. **Pignus.** De Judicialibus expenſis ſeu ſportulis. vid. **Expenſæ.** Solennitates coram Judice circa Teſtamentum. vid. **Teſtamentum.** De Judis Officio in criminalibus. vid. **Criminalia.**

42. Remedium Juris contra inordinatam & iniquam executionem Judicis.

Quando Judex vel ejus Executor deſignatam executionem altius vel longius quam in ſententia contentum fuerit, protrahere & extendere voluerit, & ita modum exceſſerit, vel etiam reus conventus juſtas cauſas adverſus ſententiam, ob quam Executio fieri debet, habuerit, cauſa in ulteriori judiciali cognitione pependerit, fatalia appellationis non præterfluxerint, ſententia falſis teſtibus & probationibus fundata fuetit, aliqua nullitas in ſententia commiſſa ſit, cauſa illa antea per transactionem ſit compoſita & ſopita, debitori remiſſa, vel conventus prætenſionem perſolutionem jam deleverit, tunc executio tamdiu remoranda erit, donec ſummarie & confeſtim Judex cognoverit, an exceptiones partis relevantes fuerint, nec ne. Reviſ. l. 2. t. 23. art. 8. De verborum obligationibus &

& stipulationibus coram Judicio factis vid. **Obligatio.** Si quis citatus ad locum Judicii Jurisdictioni suæ non subjectum fuerit, tunc ad hoc comparere tenetur, causas, quare ibi judicari non possit propositurus & allegaturus. *43. Judex incompetens.* Quando vero Judex ultra productam relevantem exceptionem injustè in judicio attentare voluerit, tunc illud pro invalido, & nullius momenti censendum est. Revis. l. 2. t. 6. art. 3. Qui infamis est, is Judex esse non potest, nec quemcunque honoris locum possidet, nec in ullo Judicio pro deponendo testimonio admittitur, quoniam in honore suo plenus non est. *44. Judex debet esse integræ famæ.* Revis. l. 5. p. 2. t. 23. art. 3. Quod diebus feriatis non celebranda sint Judicia, vid. **Feriæ.** Quod fundus tantum coram Judicio debeat vendi & tradi, vid. **Fundus.**

JURAMENTUM.

Qui suam causam alio modo sufficienter probat & liquidam facit, desuper nullum Jusjurandum præstare tenetur; *1. Quæ Pars litigantium jurare debeat?* Quando vero causæ & probationes ambiguæ exstiterint, tunc ab arbitrio Judicis dependet, an huic vel alteri parti Jusjurandum sit deferendum, & præcipue huic parti, quæ melioribus & potioribus probationibus nititur Juramentum suppletorium adjudicari debet, quatenus eædem tales exstiterint, quæ de Jure semiplenæ pro causæ meritis faciant, tamen hoc Juramentum suppletorium non subintelligitur locum habere, quando probationes ab utraque parte æque imperfectæ fuerint, nam eo casu potius reo convento quam actori Jusjurandum adjudicari debet. Quando vero pars alteri in ambiguis causis Juramentum ipsamet detulerit, illud altera pars suscipere, vel priori parti referre tenetur; Quo facto is, cui Jusjurandum delatum est, absque excusatione jurare debet, aut causa cadat. Revis. l. 2. t. 20. art. 1. Nulli Jus fasque esto, qui ob homicidium, vulnerationem vel quodvis debitum testium asseveratione munitum, in Jus vocatur, Juramento singulari actionem elidendi. Emend. l. 2. c. 55. *2. An Juramentum testibus prævaleat?*

3. An Juramentum remitti possit sine venia Judicis?

Revis. l. 2. t. 20. art. 2. Actor si cui sanctissima affectione ductus, vel bonorum virorum intercessionis ergo Juramenti gratiam facere volet, non alienum erit a religione Judicantis, ut in eam rem consentiat. Emend. l. 2. c. 56. Correct. addit: Si Judex non velit consentire, tunc actor delatum Juramentum debet acceptare, aut Judici mulctam quatuor solidorum bonæ monetæ solvere tenetur. vid. Correct. l. 2. c. 29. Revis. Remissionem Juramenti tantum in facultate partis absque Judicis assensu sitam esse statuit. Revis. l. 2. t. 20. art. 7. Si convento sacramentum debiti decreto sit adjudicatum, certo die præstandum, atque is interim e vivis abeat, priusquam dies cesserit, actor hæredes defuncti in Jus vocato, & dicam illis scribito, ipsi vero litem suscipere coguntor. Emend. l. 2. c. 57. Revis. materiam luculentiorem reddit, quando dicit: Hæredes Juramentum credulitatis præstare & jurare tenebuntur, adeo, quod pro certo credant, defunctum illud Juramentum bona cum conscientia præstare potuisse, vid. Revis. l. 2. t. 20. art. 3. Si convento Jusjurandum decreto sit adjudicatum certo die præstandum, atque interim actor inter homines esse desierit, priusquam dies veniat, conventus defuncti hæredibus in eundem diem conscientiæ religionem præstabit, si non pietatis intuitu Juramenti gratiam illi facere malint. Emend. l. 2. c. 58. Revis. l. 2. t. 20. art. 4.

4. Si moriatur is, qui Juramentum certo die præstare debet.

5. Si moriatur is cui jurari debuit.

6. Terminus præstandi Juramenti.

Quando Jusjurandum a Judice adjudicatum vel a parte delatum fuerit, illud intra spatium sex septimanarum præstari debet, quo non præstito, de facto convictus erit, ideo quatenus jurare debuisset, nisi legali impedimento fuerit præpeditus, quod probare tenetur, & mediante Juramento evadit. Sin vero illud suum Jusjurandum præstare paratus fuerit, quod ipsi adjudicatum vel delatum erat, sub præfixo termino, nec ille recipere voluerit, vel etiam absens fuerit eo tempore, quo actus Juramenti præstandi celebrandus erat, tunc a Jurejurando liberatur, & a debito pro quo Juramentum præstari debuerat, absolvitur, nisi hujusce testes habuerit se illud præstare & continuare voluisse. Revis. l. 2. t. 20. art. 5. Quando tuto-

tutores jurare debeant in litem, vid. Tutor, Facta juridica litis contestatione, & judiciali cognitione ad contestatam litem acceptata, Juramentum calumniæ, ubi ab una vel altera parte petitum fuerit, de Jure adjudicari & in eodem, vel proxime sequenti Judicii die infra subsequentis capitis jurare debet: Ego N. N. juro, me credere, nec aliter scire vel intelligere, veram, bonam, justam & æquam causam habere, nullam etiam temeram & malitiosam dilationem aut propositionem desiderare, vel frustraneam remissionem & probationem attentare vel quærere velle; & quoties in Jure interrogatus fuero, veritatem non celare, nec falsam probationem usurpare volo; quod etiam ob hanc causam nemini, nisi Jus admiserit, quicquam dederim, donaverim vel repromiserim, vel in futurum dare, donare, singulariaque pacta lucri similia inire, aut ratione hujus causæ obtinere velim, omnia fideliter & minus periculose, ut me Deus adjuvet & Sanctum ipsius Verbum. Quando Principales Personæ in loco præsentes sunt, tunc ipsimet in Persona hoc Juramentum præstent; Si vero illorum unus vel plures absentes fuerint, tunc illorum Mandatarii virtute commissi sibi mandati Jusjurandum illud, in eorum propriam & Principalium suorum animam ad jurandum admitti debet. Actor a quo illud Juramentum calumniæ exigitur, jurare tenetur; Sin minus fecerit, tunc in amissione suæ causæ & actionis condemnari debet; si vero illud reus conventus renuerit, censendum est acsi quicquid erat libellatum, confessus & eo convictus fuerit. Quod si etiam evenerit, ut Advocatus ex proposito & parti adversæ in præjudicium & fastidium malam & injustam causam defendendo, alicui inservire præsumpserit, tunc in cognitione Judicii ad instantiam partis; nec non pro qualitate productæ suspicionis, persistere debet, illi Juramentum Calumniæ imponere, hoc modo: Ut in conscientia sua, causam, in qua patrocinatur pro sua intelligentia tanquam genuinam & justam æstimaverit. Quod Jusjurandum etiam in propria persona in Judicio jurare, vel a causa ista desistere

7. Juramentum calumniæ.

tenebitur. Revis. l. 2. t. 12. art. 1. usque 5. An Juramentum die feriata sit præstandum, vid. **Feriæ.** Juramentum Regis, vid. **Rex.** Si ab utraque parte instrumenta & testes fuerint inducti, erit in potestate Judicis ei parti, quæ fide digniora documenta produxerit, ut in supplementum ea confirmet, Juramentum injungere. Jus Terrest. t. 6. c. 1. §. 43. in fin. Vid. plura de **Probationibus.** De Juramentis testium, vid. **Testis.** De Juramento æstimatorio in causa actionis expensarum, vid. **Expensæ.** Vid. plura **Creditor. Judæus.**

8. Juramentum suppletorium.

JURISPERITI, Vid. Consiliarius.

JURISDICTIO.

1. De Successione Jurisdictionis hæreditariæ.

DE captura Nobilium in Jurisdictione civitatensi, & captura Civium per Nobiles facta, vid. **Nobilis.** Si quis in vivorum desvetudinem abierit, ac Jurisdictionem hæreditati consociatam secundum se habuerit, ex qua trientem proventuum perceperat. Vivis adhuc fratre & sororis filio ex utroque cognationis & agnationis latere sibi conjunctis, quærebatur utri potius jurisdictionis ususfructus deberetur? Legibus nostris ita constitutum habemus. Jus hæreditariæ jurisdictionis, vel triens fructuum ex ea provenientium, & si quid aliud Jurisdictionis ejus proprium est, ex præscripto Juris Culmensis ad utriusque sexus hæredes, qui proxime locum obtinent, devolvitur, idque moribus etiam receptum est. Si in eandem Jurisdictionem fundi, possessiones sive census, vel alia bona Feudi beneficio collata sint, eorum Jus & proprietas Jurisdictionem ipsam sequuntur. Reditus autem pecuniarii, vel mulctæ, vel pœnæ honorariæ, qui quævc ex ea Jurisdictione provenissent, vel excepti exceptæve fuis-

fuissent, quidquid horum fructuum Judex, dum in vivis non percipit, post mortem ejus ad hæredes utriusque sexus proficiscitur. Jus itidem Jurisdictionis prætoriæ (Scultetiam vulgus vocat) quam quis emtionis perpetuo titulo comparavit, ad utriusque sexus hæredes devolvitur; ea tamen conditione, ut semper masculi, quatenus ad officium jurisdicendi sint idonei, fœminis præferantur. Emend. l. 3. c. 42. Correct. l. 2. c. 31. Revis. l. 3. t. 9. art. 19. De loco Jurisdictionis & Jurisdictione Judicis, vid. **Judex. Judicium.** De actione Principis adversus subditos suos, vid. **Dominus. Forum.** Secundum id, ut ad suum quemque Judicem in Jus vocet, quem convenire velit, quisque attendere debebit. Si enim Pars partem in aliud forum, aut Jurisdictionem, quam ad quam reus pertinere docebitur, evocaverit, nulla & irrita erit. Quod si vero Reus ultro Judicem aut Jurisdictionem alicujus agnoverit, vel in Judicem aliquem consenserit, vel etiam obligatione, vel inscriptione sua illius Judicio se submiserit, Jurique suo renunciaverit, Jus dicenti parere debebit. Si præter hæc a non suo Judice nihilominus parere jussus fuerit, quemadmodum supra constitutum est, sententia Judicis nullius momenti erit. Jus Terrest. t. 6. §. 3. 4.

2. Evocatio extra jurisdictionem ad incompetentem Judicem.

JUSTITIA.

Si Judex in causa sua quempiam impediat vel Jus non dicat, vid. **Judex.** Ubi Judex vel actor vel Ferendarius expiationem vel explicationem permittere noluerit, tunc proscriptus, si Judex id fecerit, illud Judici superiori quærimonialiter indicare debet: quo adinvento Judicem injuste denegasse, tunc pœna dignus erit, refundendo actori suas expensas, parte verò adversaria id denegante, causa in cognitione judiciali persistit, an illa expiatio vel explicatio fieri debeat nec ne? Revis. l. 5. p. 1. t. 18. art. 8. Si Palatinus ejusve

1. Justitia denegata Proscripto se ex proscriptione excmpturo.

2. Palatinus Justitiam

non administrans.

Vice Palatinus Causas Officii sui statis temporibus non judicarint: Decreta tam a se lata, quam ab aliis quibusvis Judiciis ad se remissa non executus fuerit; aut quo alio modo contra Officium suum peccarit, metasve ejus excesserit, eo nomine ad Tribunal Regni citatus, prima vice pœnam tentum Aureorum committet, altera vice in damnis condemnabitur. Jus Terrest. t. 5. §. 13.

3. Palatinus de administranda Justitia Regi jurare, ea vero denegata mulctatur.

Palatinos ad executiones faciendas, Justitiamq; oppressis ministrandam, Juris jurandum nobis præstitum adigat, quos etiam, si remissiores fuerint, quinquaginta florenorum Hungaricalium pœna plecti volumus, cujus mulctæ medietas parti, cui Justitia denegata est, altera vero medietas ærario publico Terrarum Prussiæ cedat. Vid. Constitutio. D. Sigismundi Regis ab Anno 1538. §. 12. vid. plura Executio. Judex Judicium.

KYNSBERGA. Vid. Regiomontum.

LACUS.

1. Permutatio agri cum lacu & libera piscatura in lacu.

SI locus aliquis ad tres tractus sufficiens agris alicujus prædictorum Civium adjunctus fuerit, si is, cujus agri sunt, eundem lacum loco agrorum acceptare voluerit, in sua ponimus optione. Si vero major fuerit, quocunque instrumento in eo piscari voluerit, ad commodum duntaxat mensæ suæ præter rete, quod Newod dicitur, habeat liberam facultatem. vid. Privil. Culmen. §. 6.

2. Jura lacuum.

Volumus, quod nullus Dignitariorum aut Terrigenarum in lacubus habeat, præter quod antiquitus habuit, tempore Magistri & Ordinis, neque etiam de illis lacubus se intromittat, quorum piscatura ad Magistrum & Ordinem pertinebat, esto quod lacus prædicti hæreditates aliquorum contingant vel eis contineantur. vid. Privileg. D. Casimiri ab Anno 1476. Datum ex Castro Marienburgensi. vid. plura Piscatura.

LATRO.

LATRO, Vid. Rapina, Incendium.

LEGALE IMPEDIMENTUM.

Vid. Impedimentum,

LEGATUM,

Legatus censſus uxori. vid. Cenſus. Liberis teſtamento ſuorum Parentum contradicentibus, vel penitus evertentibus, nihilominus Legata per hæredes præſtari & perfici debent, niſi Legata etiam legitimam exceſſerint, tunc deducta legitima ex reſiduis legata, in quantum ſeſe extenderint, pro rata portione perſolvuntur, & illud non ſolum de inofficioſis teſtamentis, ſed etiam de Donationibus & traditionibus intelligendum eſt, nimirum quod liberi usque ad illorum plenariam legitimam petere & eandem conſequi poſſint. Reviſ. lib. 3. t. 8. art. 14. Creditores ſemper præferuntur legatariis. Reviſ. lib. 3. t. 10. art. 10.

1. Evicto inofficioſo teſtamento, nihilominus legata ſunt exſolvenda.

LEGITIMA,

Pater vel Mater quando mortis cauſa per teſtamenta inter hæredes diſponere volunt, tunc debent & tenentur liberis, ſi cauſas illos ex haredandi non habuerint, ad minus illorum legitimam in proprietatibus & uſibus fructibus absque onere relinquere, & illud etiam de nepotibus intelligendum eſt, adeo tamen ubi illorum plures fuerint, ſi unam, tantum partem avi illorum vel ſuorum Parentum percipientes, pro perſona una computari debent. Quando Pater vel Mater, unum, duos, tres vel quatuor liberos habuerit, tunc legitima vel neceſſaria hæreditas, deducto & perſoluto ære alieno eſt tertia pars omnium derelictorum bonorum, ſi vero liberi quinque vel plures fuerint, tunc legitima eſt, dimidietas omnium bonorum poſt ſolutionem omnium debitorum exiſtentium.

1. De Jure legitimæ.

ſtentium. Si Pater & Mater in ſua ultima voluntate uni vel pluribus liberorum Legitimam illorum debitam non ordinaverit, ſed tacite ſilentio prorſus præterierit, vel expreſſe exhæredaverit & propterea nullas legitimas & relevantes cauſas exhæredationis allegaverit, tunc præteriti & exhæredati teſtamentum illud impugnare & retro trahere poſſunt. Reviſ. l. 3. t. 8. art. 11. 12. 13. vid. ſupra **Legatum.** Sicuti Parentes ſuis liberis legitimam relinquere tenentur, ita quoque exigit naturalis æquitas ut liberi non habentes naturales & legitimos hæredes, teſtari vero volentes, Parentibus etiam legitimam relinquere debent, & eſt legitima illa, tertia pars bonorum tam in Parentibus, quam majoribus avis. Quisquis teſtamentum ordinare voluerit, nullos hæredes in deſcendenti vel aſcendenti linea habens, is hæredes quamvis fratres fuerint, inſtituere non tenetur, ſed dodrantem vel quartam partem bonorum illis relinquere tenetur, & ſi quid ultra factum fuerit, tunc illud in tantum invalidum cenſendum eſt, in quantum ultra debitam quartam ſeſe extenderit. Reviſ. l. c. art. 15. & 16. Corr. lib. 4. c. 2.

2. Quæ legitima aſcendentibus relinquenda.

LENOCINIUM.

SI quis honoris & honeſtatis adeo immemor & neſcius ſit, ut lucri levisſimi cauſa, conjugem ſuam vel legitimos & naturales liberos ad impudicitiam irritare, vel ipſemet proſtituere voluerit, is gladio ultore puniri debet. Si hoc vero factum ſit, in perſonis inhoneſtis vel ſolutis, arbitrarie pro qualitate coërceri debent. Reviſ. lib. 5. p. 2. tt. Omnes manifeſti lenones & mulieres, quæ in ejusmodi domibus impudicitiæ gratia ſeſe ſuſtentant, etiam hi, qui ſuas uxores, liberos, & reliquos proſtituunt, infames cenſentur. Reviſ. lib. 5. p. 2. art. 1. Vid. plura **Stuprum.**

1. Pœna lenocinii.

2. Lenones ſunt infames.

LEO-

LEOBURGUM.

Diploma Ratificationis Fœderis Perpetui.

Welaviæ initi, & Feudi in Diſtrictus Leoburgenſem ſimul & Bythovienſem Sereniſſimo FRIDERICO WILHELMO, Marchioni & Electori Brandenburgico, datum Bidgoſtiæ die ſexta Menſis Novembris, Anno Domini. 1657.

NOs itaque Joannes Caſimirus, Rex Poloniæ Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Smolenſciæ, Czernichoviæque, nec non Svecorum Gothorum, Vandalorumque; Rex Hæreditarius, teſtamur præſentibus pro nobis, Succeſſoribusque noſtris Regibus & Regno Poloniæ ac Magno Ducatu Lithuaniæ, Nos univerſa & ſingula capita pactis ſupra ſcriptis comprehenſa, bona fide ex Senatus Conſulto approbamus, confirmamus & rati habemus. Promittentes verbo Regio & ſubfide præſtiti tam a Nobis quam Conſiliariis Noſtris Officialibusque lateri Noſtro aſſidentibus juramenti nos prædictis pactis poſt hæc conſtanter inhæſuros curaturosque, ut omnia & ſingula Pactorum capita, quæ a noſtra parte ac Reipublicæ Poloniæ nomine promiſſa ſunt, ſancte & religioſe obſerventur, imo impedituros ne a quopiam violentur. Et quoniam nonnulla ad Nos in negotio conjunctionis armorum & aliis remiſſa ſunt, atque ſuper iis ſequenti ratione inter nos & Sereniſſimum Principem Electorem ſupra memoratum conventum eſt modo infra ſcripto, ea ſecundum conventionem initam adimus, illaque eandem vim atque vigorem cum ſuperioribus articulis ex Senatus Conſulto habere volumus, atque hiſce tribuimus, pollicemurque eadem fide jurata in proximis comitiis, omnia quæ ſuperioribus articulis continentur, & quæ hic ſequuntur, omnium Ordinum conſenſu confirmatum & ratihabitum iri, igitur probe perpendentes, tum pericula, quæ Suæ Serenit. Electorali, Terrisque ipſius per ipſam ſeparationem a partibus Suedicis immineant, tum quanti interſit Noſtri atque Reipublicæ, Vicinum Nobis Principem juſtis devincire modis, tum inprimis, quanta

quamque utilia Nobis Regnoque Poloniæ, per effectivam & actualem armorum Nobiscum conjunctionem, præstare sua Serenitas Electoralis deinceps possit officia, tam belli quam pacis tempore; Ad demonstrandam præterea singularem propensionem Nostram, Regnique Nostri erga suam Serenitatem Electoralem, Ejusque Domum inclytam, Suæ Serenitati Electorali, ejusdemque Posteris masculis ex legitimo thoro descendentibus pariter ex Senatus Consilio & consensu D. D. Consiliariorum, tam Spiritualium quam Secularium Regni Nostri, duas præfecturas Leoburgensem & Bythoviensem, cum omnibus & singulis eorum Vasallis, fructibus, Libertatibus, Eminentiis, Censibus, Proventionibus, Juribus & pertinentiis universis tenendas, habendas, fruendas, utendas & possidendas in perpetuum Jure Feudi, pro Nobis & Successoribus Nostris Regibus Poloniæ dedimus, concessimus ac illum de iis ipsis arcibus & oppidis Bythow & Lauenburg investimus & tenore præsentium damus & concedimus & investimus, Officiarios Nostros, & Incolas quoscunque ibidem juramentis & subjectionibus, quibus hactenus Nobis & Reipublicæ obstricti fuerant, hoc ipso exsolventes. Præterea de ampliori Gratia & Benevolentia Nostra, Serenitatem Ejus ac Illius Hæredes ab omni Juramento nec non tributis & exactionibus, quibuscunque Nobis & Posteris Nostris, ratione dictarum Arcium & Oppidorum præstandis dimittimus, & liberos facimus, prout olim a Ducibus Pomeraniæ eædem Præfecturæ a Bythow & Lauenburg, tenebantur; Pollicemur præterea pro Nobis & Successoribus Nostris, dictum Serenissimum Principem & Ejus Hæredes in prædictis Arcibus & earum pertinentiis, quantum in Nobis est, defendere ac tueri. Tenebitur autem & obligatus esse debebit præfatus Serenissimus Elector Ejusque Successores ad singulas Successorum Nostrorum Regum Poloniæ Coronationes, Consiliarios aut Officiales suos mittere, qui hoc ipsum Jus Feudale ex præfatis Arcibus & Oppidis, ad Regnum pertinens recognoscent, & literas ejus recognitionis & renovationis Feudi, quæ gratis illis debent dari, a novis Regibus accipient. Quod si aliqua legi-

legitima causa impediet,ut hoc officium & debitum in coronationibus Successorum Nostrorum non fecerint, nihil ea negligentia illis detrimenti afferri debebit, dummodo alio brevi tempore post coronationem id præstare curaverint. Ubi vero Serenissimus Princeps D. Fridericus Wilhelmus, Marchio & Elector Brandenburgicus in Prussia Dux &c. sine legitimis masculis Feudi hæredibus, vel eorum legitimi masculi Feudi hæredes non relicta prole virili decederent, stirpsque & progenies eorum Mascula & legitima deficeret, ex tunc prædictæ arces & oppida Bythow & Lauenburg cum omnibus suis bonis, subditis, Vasallis, fructibus, Libertatibus, Juribus, Eminentiis & pertinentiis universis, ac cum pleno Jure & possessione, citra omnem difficultatem ad Nos & Posteros Nostros Reges Poloniæ redibunt. Et siquidem ad præsens Præfecturæ istæ a Donatariis Nostris possidentur, ideo usum fructum ante hanc cessionem debitum, atquequicquid Juris in illis habuerunt unquam, alia ratione, dignisque modis compensabimus, ita ut vacua omnino possessio & plena fructuum perceptio suam Seren. Electoralem, ex hoc ipso tempore manere ne quisquam ipsi ratione satisfactionis suæ negotium facescere debeat. Jurisdictio Episcopi Vladislaviensis in templa Catholica Sacerdotesque, integra maneat, proventus videlicet, decimæ, census, & si qui sint alii, Parochis & Ecclesiis suis extradentur, & renuentes ad extradendum a Præfectis ejusdem Serenitatis cogentur. Causæ tam Nobilium quam & Plebejorum matrimoniales ad forum Ecclesiasticum pertinebunt, Nobilitas Juribus, Privilegiis, Bonisque suis eodem modo ac sub immediato Dominio nostro utebatur, utetur, frueturque sub sua Serenitate Electorali. Decreta rerum judicatarum, prout sub immediato Dominio Nostro lata sunt, inviolata maneant : gubernationis & appellationum ratio eadem erit, quæ fuit sub Ducibus Pomeraniæ, salvis Privilegiis. Jura Patronatus Regia reservantur ejus Serenitati Electorali & Nobilibus : si quæ habent, juxta Privilegium & usum eorundem, ita tamen, quod juxta declarationem circa hanc conventionem ab ejus Serenitate factam

ad Ecclesias Catholicas Parochiales præsentabit, Ejus Serenitas Electoralis Sacerdotes catholicos, ad commendationem Episcoporum Vladislaviensium, ab iisdem Episcopis Vladislaviensibus instituendos, ita, ne Ecclesia duorum Mensium spatio vacare possit &c. reliqua negotium Elbingense spectant. Præmissum Pactum Feudi in Comitiis Generalibus Anno Domini 1658. die 10. Julii Warsaviæ celebratis Ordines Regni approbarunt. Vid. Constit. ejusdem Anni.

De Juribus Districtuum Leoburgensis & Bythoviensis, a Terris Prussiæ avulsorum, a D. *JOANNE CASIMIRO*, Rege Poloniæ & Republica in Comitiis Warsaviensibus die 17. Mensis Martii, Anno 1659. celebratis.

CUm propter integritatem Reipublicæ, Districtus Leoburgensis & Bythoviensis Sereniss. Electori Brandenburgico per Pacta Conventa in præcedentibus Comitiis approbata, in Feudum concesserimus: Id circo ne per hanc alienationem Incolæ eorundem Districtuum Status Equestris in præeminentiis suis mutationem aliquam patiantur. Annuendo desideriis Nunciorum Palatinatus Pomeraniæ, prout dictorum Incolarum Immunitatibus, in Pactis Conventis sufficienter jam cavimus, ita & nunc Rescriptum Nostrum Posnaniæ, die 19. Mensis Decembr. Anno 1657. ex minori Cancellaria Nostra extraditum, aliasque omnes, nominatis districtibus, hoc nomine datas assecurationes & declarationes nostras, authoritate præsentis Conventus in toto approbamus, illos circa antiquas libertates, honores, prærogativas, consuetudines, & bonorum Terrestrium uti hæreditariorum Allodialium liberam dispositionem, prout in Regno, ab immediata incorporatione utebantur, conservando hinc Inscriptiones authenticæ & manuales,

nuales, Contractus intercissæ, & quævis publicæ & privatæ transactionis, Processus, Decreta quævis, ac Tribunalia suum robur & valorem habebunt, & in Causa amissorum vel quovis modo amittendorum bonorum terrestrium liberum illis, illorumque posteris, ad Nos & Rempubl. recursum præcavemus, salvo Jure bonorum & personarum Ecclesiæ Catholicæ, quorum usus ut & exercitium Religionis cum plena, prout ante, Jurisdictione Episcopali, Jure patronatus cui de Jure competit, absque ullo impedimento in toto conservari debet. Vid. Constitut. ab Anno 1659. sub Tit. Securitas Jurium. &c.

Jura Districtuum
Leoburgensis & Bythoviensis
Etiam a Serenissimo
MICHAELE,
Poloniarum Rege simul cum Juribus Regni & Magni Ducatus Lithuaniæ ac Provinciarum Annexarum, confirmantur his verbis.

Quamobrem motu proprio, animoque deliberato, pro more & consvetudine Divorum Antecessorum Nostrorum Poloniæ Regum & Magnorum Ducum Lithuaniæ omnia Privilegia, Inscriptiones, Donationes, ad Vitalitates, liberalitates, prærogativas & immunitates Regni Poloniæ & Magni Ducatus Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Kyoviæ, Volhiniæ, Podlachiæ, Livoniæque ut & inspecie Ducatus Prussiæ Lauenburgi & Bythoviæ, juxta Jura sua &c. vid. Constitut. ab Anno 1670. tit. Confirmatio.

His ipsis Verbis Serenissimus Joannes III. Jura Regni & Provinciarum annexarum inspecie quoque Leoburgensium & Bythoviensium confirmat. Constit. Anno 1676. tit. Confirmatio.

Qui hodie feliciter imperat Serenissimus AUGUSTUS II. in Confirmatione Generali Jurium, iisdem verbis utitur &

& exemplo D. D. Prædecessorum suorum Joannis Casimiri, Michaëlis, & Joannis III. Juribus Leoburgensibus & Bythoviensibus in specie cavet. In Pactis Conventis idem Serenissimus Rex ut Jura, Privilegia & immunitates Districtuum Leoburgensis & Bythoviensis, tam Spirituales quam Seculares, prout per omnia sub immediato Dominio Regni iisdem utebantur, ut juxta Jura & Constitutiones Regni conserventur, se attenturum, & quatenus illorum Districtuum Incolæ Equestris status ultra consensum Laudi in Conventibus suis contributionibus non aggraventur, Authoritatem suam Regiam ad Serenissimum Electorem Brandenburgicum, Sacra Regia Majestas interposituram spospondit. vid. Constit. 1697. tit. Confirmatio. Et Pacta Conventa ante sancita ejusdem Anni 1697. & Anni 1699. ut & in Proparcie General. Confœderat. Sendomir Anno 1710. impressa.

Juribus
Districtuum Leoburgensis & Bythoviensis
Serenissimus
AUGUSTUS II. Rex
Et Respublica iterum cavet.

QUamvis manutentionem Jurium libertatum & immunitatum Incolis Districtuum Leoburgensis & Bythoviensis Equestris status in Pactis Conventis sufficienter caverimus, nihilominus ad enixam Nunciorum Terrestrium Prussiæ instantiam authoritate præsentis Conventus Constitutionem Anni 1659. reassumimus, idque pro majori securitate eorundem incolarum quo circa antiquas libertates, honores, prærogativas, consvetudines & inviolatam bonorum terrestrium possessionem, liberamque illorum dispositionem, tum quoq; circa Judicia Terrestria, Castrensia & Tribunalitia cum Officialibus loci illius in integro maneant, ac in omnem casum alicujus pressuræ vel periculi liberum illis eorumque posteris juxta

juxta mentem prætactæ Constitutionis ad Nos & Rempublicam recursum reservamus. Vid. Constit. Anno 1699. fol. 35. tit. wierdzenie Securitatis &c.

LIBELLUS.

SI quis aliquem famosis scriptis vel Libellis a se divulgatis & suo baptismali nomine & cognomine non subscripto, injusto & innocenti nomine affecerit, crimina & facinora objecerit, & ista talia si fuerint, ut cum vera reperirentur, læsus in suo corpore vita & honore criminaliter puniendus foret, tunc malitiosus iste obtrectator, hac eadem pœna, in quam innocentem, cum sua minus feraci, famosa scriptura traducere voluerit, coërceri & puniri debet, & præterea isti famosi libelli, quotquot fuerint reperti, publice per carnificem concremari debent, etiamsi diffamatio per se fuerit vera, attamen ratione ejusmodi inordinatæ & iniquæ attentationis propositæ, arbitrarie pro qualitate excessus puniri debet. Revis. l. 5. p. 2. t. 20. art. 3. Quilibet actor ad Judicii diem post emanatam primam citationem coram Judicio comparens, citationem attestari, nec non relationem ad acta inscribere tenetur, reus conventus compareat aut non compareat, eo tum comparente, actor libellum suum, in quo persona vel bona super quibus agitur, etiam causa petitionis, cum petitione concludenti, quod cognoscendum desiderat, expressum & comprehensum in scriptis, unum judici & alterum parti insinuari debet. In levioribus vero causis, ne processus protrahantur, nec homines detineantur, oretenus & summario modo agi & responderi, nec non desuper ulterius judicari debet; omnia vero quæ ita aguntur, per Notarium Judicialem conscribi & ad acta referri debent, Revis. lib. 2. t. 10. art. 1. Quilibet suam actionem & libellum mutare vel meliorare potest, quousque cautio vel Gvaranda non fuerit præstita, Gvaranda vero a reo convento non exacta, prout id bene fieri potest, & libello conventionali insinuato, eoque reo convento acceptato, seu responso dato, tunc Libellus absque rei, con-

1. Pœna libelli famosi.

2. De illatione libelli.

3. Quoad libellum suum mutare est licitum.

conventi consensu amplius mutari & corrigi non potest. Revis. lib. 2. t. 10. art. 5. vid. plura Actio.

LIBER.

De libris Mercatorialibus. vid. Mercator.

LIBERI.

Vid. Filius. Minor. Tutor. Hæreditas. Spurius. Testimonium. Infanticidium. Emancipatio. Exhæredatio. Testamentum. Donatio.

LIBERTAS.

1. De homine in servitem vindicando.

SI quis alterum, tanquam hominem proprium vendicaverit, tunc Dominium suum super illo, prout juris est probare tenebitur, ubi reus conventus ad libertatem suam provocaverit, actore autem probante proprietatem vel reo convento confitente, tunc merito actori extradi & illum sequi oportet. Qui literas Libertatorias a suo Domino sub quo natus est, vel libertatem suam testibus comprobare potuerit, & habuerit, tunc eo ipso merito sit fruiturus; ubi vero quis in aliquo loco per quinquennium commoratus, a suo Domino, cui illud bene notum fuerit, non requisitus sit, is juris præscriptione usurus, & ab ulteriori requisitione liber futurus sit, secundum Constitutionem ab Anno 1529. Si quis alterum conveniat quod suus sit homo proprius, tunc conventus facilius per testimonium bonorum virorum actionem evadit, quam ut actor eum vindicare possit. Si vero habeat instrumentum libertatis & missionis e proprietate, eodem frui debet, nec ulteriori testimonio opus habet. Emend. l. 4. c. 33, Revis. l. 1. tit. 8, art. 3. Corr. l. 3. c. 73. vid. plura Servus subditus.

LIBE-

LIBERUM ARBITRIUM.

Vid. Teſtamentum Donatio.

LIGNUM. Vid. Navis.

LIMES. Vid. Finis, Condeſcenſio,

LINGUA.

IN omnibus Judiciis, quæ Juri Culmenſi cenſentur, cauſæ lingua germanica aguntor & judicantor. Omnes enim judiciorum illorum actiones idiomate Teutonico jam pridem expediri conſueverunt, niſi quibus in locis, uſus linguæ Latinæ frequentior agendis cauſis adhibeatur. Emend. lib. 2. c. 22. Corr. lib. 3. c. 4. Reviſ. l. 2. t. 10. art. 2. Nemo ad linguam quam non intelligit reſpondere tenetur. Reviſ. l. 5. p. 1. t. 10. art. 1. De Muto vid. infra. 1. Qua lingva in foris utenda.

LIS. LITIGIUM.

LIs finita. vid. Judex. Judicium. Litis conteſtatio. vid. Conteſtatio. Si a tutoribus prætermiſſum fuerit, quanti a pupillis, aut hæredibus eorum, moderatione Judicis præcedente, in litem jurabitur, tantum damni nomine præſtare illis tenebuntur. Jus Terreſt. t. 3. §. 7. Quanti a pupillis in litem juratum fuerit contra ſuos tutores, ſine exceptione & appellatione ulla, damni nomine eis præſtare, bonaque nihilominus iis reſtituere & rationes reddere tenentur. l. c. §. 14. De litis expenſis & temero Litigio, vid. Expenſas. 1 Pupillorum juramentum in litem.

LITISPENDENTIA.

1. Pendente lite nihil innovandum.

QUamdiu Juridica vel a Judicio concessa dilatio durat, tamdiu nec Judicium, nec pars, in eadem causa quicquam attentari præsumere debet; ubi vero simile quid acciderit, id de Jure nullum & invalidum censeri debet; si vero alicui dilatio juridica præstituta, vel a parte ipsamet acceptata fuerit, & tamen non satisfecerit, tunc eo Jure, pro quo induciæ illi datæ & acceptatæ fuerint, ulterius non sit fruiturus. Revis. l. 2. t. 14. art. 5. vid. plura **Judex, Judicium.**

LOCUTIO.

1. Jura locatoris & conductoris.

QUi alteri domum suam, habitationem vel alium fundum locaverit, ad aliquod tempus vel annos, id præstare tenetur, & locatum fundum cum necessaria ædificatione & reparatione ad debitam habitationem expensis suis sustentare. Ex adverso Conductor moderate usurpare, & pensionem promissam justo tempore prout promissum & conventum est, solvere tenetur: quicquid etiam cum scientia & voluntate in fundo ædificaverit, id dominus solvere vel a pensione defalcare debet. Si vero absque vel contra domini consensum & jussum ædificaverit, illud dominus ipsi refundere non tenetur. Revis. l. 4. t. 7. art. 1.

2. Qualem diligentiam conductor adhibere debeat.

Domum vel alium fundum in conductione habens, illum tanta diligentia conservare & custodire tenetur, tanquam diligens Paterfamilias in suis propriis rebus adhibere solet. Si damnum aliquod per suam injuriam vel culpam evenerit, per quod fundus deterior redderetur, & prorsus interiret, idque, prout Juris est, super illo probatum fuerit, tunc conductor damnum illud persolvere & refundere tenetur. l. c. art. 2.

3. Quando Conductor ante terminum locationis excedere debet.

Conductor ante præstitutum tempus condescendere tenetur, cum domino magna, improvisa & probabilis necessitas inciderit, ut ipsemet extra domum istam habitare non possit: item cum conductor pensionem non solverit, vel domum enormiter incommodaverit

rit vel damnificaverit, vel negotia inconvenientia tractaverit, ſeu publicas ſcortationes, aut alias res prohibitas exercuerit, ita tamen ut illi juſtæ induciæ, adminus quadrans anni ad Rumationem dentur, nec amplius cenſus nomine, quam de præterito tempore ſolvere teneatur. l. c. art. 3. Quando Dominus vel locator domum locatam aut fundum vendiderit, tunc conductor ſtatim condeſcendere vel cedere non tenetur, verum ordinatum tempus ad Rumationem ſeu Paſchæ vel Michaëlis præſtolari & expectare, prout & illi etiam Rumatio ante ſemeſtre tempus ordinate denunciari debet, niſi in locatione aliter conventum fuerit; Si vero conductori exinde aliquod damnum, quod illi præfixum tempus non fuerit, evidens emerſerit, tunc dominum eo nomine convenire poteſt. l. c. art. 4. Moritur quis qui alteri domum, fundum vel quid aliud ad certos annos locaverit, hæredes illius id ſervare tenentur, nec conductorem ante lapſum vel præterfluxum tempus, ejicere poſſunt. l. c. art. 5. Quamprimum Conductor in domum vel fundum locatum deſcenderit, conſequitur Dominus ratione promiſſæ penſionis, in omnibus bonis illatis & inventis tacitam hypothecam, adeo, ut non ſoluta penſione bona illa in domo arreſtare, & præ cæteris Creditoribus ob ſuum cenſum domeſticum ſibi proſpicere poſſit. l. c art. 6. vid. plura **Rumatio.** Si quis alteri fundum locaverit, ut in eo ædificium exſtruat, penſione in fundum conſtituta, deinde domus in eo ſolo poſita incendio conſumta fuerit vel ita perierit, ut pars ſaltem ædificii remaneat, neque conductor in eam penſionem domum reparare velit, locator, qui fundi dominus eſt, recte fundum & ædificium quod reliquum manſit, cum iis, quæ ad ea pertinent, occupabit, neque conductori quicquam impenſarum nomine reſtituere jubebitur. Emend. l. 4. c. 27. Correct. l. 5. c. 9. Reviſ. l. 4. t. 7. art. 11. Emit quis centum oves, eosque colono locat, domine conſentiente, hac conditione, ut poſtquam pretium in oves expoſitum ex lana receperit, oves cum eo in ſemiſſem partiatur pro curæ, laboris & alimentorum impenſis. Locatore itaque mortuo, quatenus

[Margin notes: 4. Si fundus durante conductione vendatur. — 5. Hæredes contractui locationis ſtare debent. — 6. Quale Jus locator in bonis mobilibꝰ conductoris habeat? — 7. De fundo emphiteutico — 8. De emptione cum locatione commixta.]

dum in vivis erat, pecuniam ex ovium lana integram perceperit, oves uti conventum erat, in æqualem divisionem venient. Sin autem pecuniam integram nondum receperit, quod deest, hæredibus ejus supplebitur, & iisdem semis ex eo grege, facta divisione, restituatur. Emend. l. 4. c. 13. Corr.
9De pensione condicenda. l. 4. c. 25. Revis. l. 3. t. 10. art. 14. Si locator conductori controversiam faciat, ob pensionem anni præteriti non exsolutam, conductor autem debitum inficietur, potior habendus est locator, ad comprobandum Jurejurando suo debitum, quam conductor ad negandum. Emend. l. 4. c. 41.
10. Si res locata vel furto vel incendio perierit. Correct. l. 3. c. 68. Revis. l. 3. t. 6. art. 3. Si quis vestem sartori faciendam locaverit, vel rem aliam cuivis alii vendendam dederit, & ex conventione mercedem constituerit, is qui rem accepit, eandem diligenter custodire, & salvam & illæsam restituere jubetur. Si furto rem amiserit absque culpa sua, nimirum quod eam æque atque res suas, ut diligentissime potuit, custodiverit, idque Jure planum fecerit, nec ad restitutionem nec ad æstimationem obligatur. Si domus vel conclave, in quo vestis vel res locata custodiebatur, incendio perierit casus illi fortuitus fraudi non erit, quatenus ostenderit, incendium non sua culpa ortum fuisse, nec rem ab ignis vi servare potuisse. Emend. l. 4. c. 4. Correct.
11. Si conductor profugerit. l. 5. c. 3. Revis. l. 4. t. 7. art. 9. Si quis vestem sartori faciendam sarciendamque dederit, vel equum vel aliud animal alteri locaverit, atque conductor interim profugerit, re locata domi suæ vel ubi habitaverit, relicta; Dominus vestis vel animalis rem suam recte vendicabit & obtinebit, nec profugi creditores pro debito suo vestem sive animal locatum ullo Juris nexu poterunt detinere. Emend. l. 4. c. 5. Corr.
12. Si animal locatum perierit. l. 5. c. 4. Si equus vel aliud animal, dum adhuc in locati vel pignoris causa commoratur, atque is cui locatum vel pignori datum erat, jure testatum fecerit, animal sine culpa sua periisse, de damno non tenetur. Si quid tamen aliud inter eos pacto constitutum fuit, lex conventionis servabitur. Sin autem probetur animal ejus culpa periisse, nihil est causæ, quo minus damnum sua culpa datum resarciat.

ciat. Emend. l. 4. c. 6. Corr. l. c. 6. Reviſ. l. 4. t. 7. art. 10. Vid. pl. Penſio.

LUDUS. Vid. Alea. Condictio.

LUMEN.

Qui domum ædificat, quam volet altisſime tollendi Jus habet, niſi vicinorum luminibus ita officiat, ut illum altius tollere Jure prohibere poſſit. Si cujus lumina alterius ædificio obſcuriora fiant, Senatum adito, atque is luminis impedimentum ad juris normam reducito. Emend. lib. 3. c. 8. Corr. lib. 5. c. 69. Reviſ. lib. 3. t. 4. art. 3. 1. De luminibus officiundo.

MAGIA. Vid. Veneficium.

MAGDEBURGUM.

POſt cinctam & occupatam primùm Civitatem Culmenſem, datum eſt illius incolis Jus Magdeburgenſe; cujus vigore deficiente, pro ulteriori Juris illuſtratione proprium Jus Plebiſciti ad invenerunt, unde Jus illud denominationem Juris Culmenſis accepit, in quo ſimul comprehenſum eſt Privilegium Culmenſe, & Jus hæreditarium Flammingicale. Illud Jus poſtmodum, per Summum Magiſtratum & terræ Commendatorem Paulum Ruſzdorffium Anno 1435. in totam terram Culmenſem, & per Regem Caſimirum Anno 1476. piæ & laudabilis memoriæ ad Pomeraniæ nec non a Pomeſaniæ ad Marieburgenſem & Stumenſem diſtrictum, relatum & propagatum eſt. Reviſ. l. 1. t. 1. art. 1. Statuimus autem, in eisdem Civitatibus Jura Magdeburgenſia in omnibus ſententiis in perpetuum obſervari, hoc indulto, ut cum reus aliquis Magdeburg in ſexaginta ſolidis puniri debeat, hic in triginta ſolidis Culmenſ. monetæ mulctetur, eodem 1. Jus Magdeburgicum ab initio obtinebat in Pruſſia.

modo in culpis aliis proportionaliter observando. Si vero aliquis dubietatis scrupulus de Jure judiciario, vel de Juris Judiciarii sententiis Civitatibus emerserit, in eisdem idem Articulus à Culmensis Civitatis Consulibus requiratur, quia eandem Civitatem Capitalem esse volumus ac digniorem inter alias jam constructas & si quæ adhuc infra Wissam, Ozzam & Driwanzam construentur. Privil. Culmens. §. 3.

Privilegium D. CASIMIRI REGIS,

Quo omnia Jura per Terras Prussiæ abrogantur, & unum Jus Culmense in omnium reliquorum locum sufficitur, ut juxta ejus tenorem omnes causæ & Controversiæ decidantur, & determinentur.

IN Nomine Domini Amen. Ad perpetuam rei memoriam. Cum inter ea, quæ unitatem Dominii attestantur, Juris Uniformitas præcipuum habeatur indicium: Proinde Nos Casimirus DEI Gratia Rex Poloniæ, nec non Terrarum Cracoviæ, Sandomiriæ, Siradiæ, Lanciciæ, Cujaviæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæque, ac Culmensis, Elbingensis & Pomeran. Dominus & Hæres &c. Significamus tenore præsentium, quibus expedit universis præsentibus & futuris, harum notitiam habituris, quod, dum post bellorum discrimina terras Nostras Prussiæ ad unitatem Dominii nostri, a quo alias exciderant, favore Divino recuperassemus, reperimus Magnificos, Strenuos, Generosos ac Nobiles Terrarum præfatarum Incolas multiplicibus ac diversis gaudere Juribus, quorum quædam & legitimas negligebant successiones, ac Justitias hominum perturbant & involvebant, sæpiusque quod norma debebat esse justitiæ, litigiorum & seditionum erat occasio. Cui malo occurrere volentes, pulsati etiam precibus Magnificorum & Nobilium Palatinorum, Castellanorum, Dignitariorum totiusque communitatis & Baroniæ terrarum Nostrarum Prussiæ, & signanter de districtibus Pomeraniæ, Marienburgensi

burgensi & Stumensi alias Pomezaniensis, omnia Jura Prutenicalia, Magdenburgensia, Pomeraniæ ac feudalia, in quibus alias tempore Magistri & Ordinis consistebant, & ipsis regulabantur, ab ipsis removentes, abrogantes, & perpetuo abolentes loco omnium Jurium prædictorum unum Jus Culmense, quo districtus Culmensis gaudet & fruitur, ipsis & eorum posteris, juxta ejus veram naturam, substantiam, qualitatem & conditionem, de consensu omnium Prælatorum & Baronum nostrorum, conferimus & largimur perpetuo & in ævum. Quo Jure judicari inter se debebunt & expediri, omnesque causas & controversias eorum, juxta tenorem Juris Culmensis prædicti, secundum quod in suis capitulis, punctis & consuetudinibus scriptum & declaratum existit, decident & determinabunt. &c. Actum in Castro nostro Marienburgen, Feria sexta proxima post festum Sancti Jacobi Apostoli, Anno Domini 1476.

MAGISTRATUS.

Vid. Consul. Judicium. Personæ Magistratus exemptæ sunt a tortura. Revis. l. 5. p. 1. t. 17. art. 3. Si Magistratui exequenti repugnatur. Vid. Executio.

MAGISTER.

Vid. Coercitio discipulorum. Opifex.

MAJESTAS.

Qui criminis læsæ Majestatis reus condemnatus est, relinquit omnia sua bona, exclusis omnibus cœteris hæredibus, Magistratui. Revis. l. 3. t. 9. art. 17. 1. Crimen læsæ Majestatis.

MA-

MAJORENNITAS.

1. Quando minor fiat major.

IN tutela ad decimum octavum ætatis annum minorennes sint, quem cum attigerint, Judicio Terrestri annum ætatis probent, administratioque rerum ad illos pertinentium a Judicio eis decernatur. Decreto interposito tutores omnia bona, tam immobilia, quam mobilia, eorum, in usum, possessionem, & administrationem sine dilatione ulla tradere eis tenebuntur, tutelæque suæ administrationis, tam ipsorum bonorum, quam omnium fructuum, redituum & proventuum, præsentibus duobus propinquis pupilli, rationem eis reddent. Et administratio quidem bonorum, tam immobilium, quam mobilium, mox ad eos transferetur: immobilia tamen bona, antequam vigesimum quintum ætatis annum expleverint, nisi ex iis causis, & modo, ex quibus & quo tutores alienare ea posse supra constitutum est, alienare nullo modo poterunt. Jus Terrest. t. 3. §. 13. Præterlapso anno vigesimo primo secundum Jus Culmense adolescens fit major. vid. Revis. l. 4. t. 14. art. 5. Corr. lib. 5. c. 55. §. 1. vid. plura **Tutor.**

MALEFICIUM. Vid. Criminalia.

MALEDICTIO.

1. Pœna maledicentium.

QUi sub Domini nostri & Salvatoris passione execratur vel ejus morte, sacramentis & his similibus idque in vanum usurpaverit, is pœna pecuniaria, vel carceribus & quo minus abinde abstinuerit, & se non emendaverit, tandem relegatione puniri debet. Revis. lib. 5. p. 2. t. 1. art. 2.

MANUS.

Manus Vulnerata. Vid. **Vulnus.** Documentum propriæ manus, vid. **Chirographus.** Vid. plura **Mulcta.**

MANCIPATIO.

Qui ob debitum in Jus vocatur; neque debitum negat, si quidem fundos & possessiones in facultatibus habet, quæ majoris sunt pretii, quam quod ab eo petitur, sat illi cautionis est, qua ad proximum usque Judicii diem satisdare possit. Sin possessiones nullas habeat, fide jussores dare cogitur. Si dare nequeat creditori, qui ejus loci civis est, ibique domicilium constitutum habet, in manum traditur, is mancipatum nec calore nimio, nec frigore torqueat: alimenta, quæ esui potuique sunt subministret operas imponat itidem uti cœteris servis domesticis. Si vero creditor extraneus est, debitorem mancipatum, in eodem foro, in domo vel custodia Judicis, ubi solent homines custodiri, ea cautione relinquat, ne captivus profugiat: quin imo, si volet, nervo vinciri potest; aliter autem corpus minime torqueat, cibaria æque ut famulis domesticis suppeditet: nec enim fur, vel furum socius, vel ejus generis maleficus est censendus. Hac tamen lege cujusvis loci consuetudini non derogabitur. Si mancipatus contra creditoris voluntatem in fugam se conjecerit, priusquam debitum exsolvat, creditori Jus esto, fugitivum ubicunque locorum deprehendi possit, authoritate propria sine Judice comprehendendi & in privatam custodiam, velut pignus debiti non soluti, manu captum pertrahendi. Sin ille prætenderit, se debitum exsolvisse, & volente ac sciente creditore e vinculis discessisse, hoc probet, ut Juris ordo requirit, utque cœterorum debitorum solutio probari consuevit. Emend. l. 4. c. 54. Corr. l. 3. c. 109. Revis. addit. Quando creditores ratione alimentationis & sustentationis mancipati non providerunt, tunc ipsum oportet, de suo victu sollicitum esse. Ut autem incarcerationes non æternentur, & aliquis propter temporale debitum discrimen vitæ patiatur; propterea ejusmodi incarceratio, quæ est infra centum florenos, non diutius quam quinque annos durabit; quo tempore effluxo a debito & actione liber esto: Si vero summa debiti centum florenos excedat tunc incarceratio per decem annos prolongari debet,

1. Si debitor creditori mancipetur.

quo similiter absoluto annorum spatio similiter e carcere dimittitur & æris alieni immunis judicatur. Quia etiam sæpius accidit quod aliquis per factum incendium, naufragium, vel alios casus fortuitos, & absque sua culpe, ære alieno obruatur & ad summam ruinam mergatur; ideo quando hæc probata fuerint, & a Principe moratoria acceperit ad tempus, currente eo tempore carceribus mancipandus non est, sed ei facultas concessa videtur honesto modo perpessa damna resarciendi & amissa recuperandi. Revis. lib. 2. t. 23. art. 6.

MANDATARIUS.

1 Legitimatio Mandatarii.

ACcinctus ad iter non est retinendus, quando Mandatarium post se relinquat. Vid. Iter. Si per Procuratorem, vel Actor, vel reus steterit, primum Procurator mandatum legitimum proferre debebit, aut de rato cavere, quod nisi fecerit, admittendus non est. Jus Terrest. t. 6. c. 1. §. 26. Mandatarius legitimum Mandatum habeat, de rato caveat, & infamia non sit notatus. l. c. art. 29. Omnes possunt esse Mandatarii exceptis Mulieribus, Ecclesiasticis, proscriptis, Minorennibus, nondum adimpletis 17. annis, & aliis, qui propriis negotiis ne quidem præesse possunt. Quando etiam aliqua communitas criminaliter conveniatur, illa etiam per Mandatarium respondere & se defendere potest. Ad ultimum etiam in criminalibus circa causæ primordia Mandatarius admittitur, ut legitimum impedimentum & causas absentiæ conventi proponat, vel alias exceptiones fori declinatorias opponat. Tevis. l. 2. t. 5 art. 7. Mandatarius coram Judicio vel Judice vel per literas aut alio modo constituitur, quando modo, quatenus hoc fuit factum extra judicialiter, competenter coram Judicio attestatio aut probatio constitutionis in Mandatarium factæ eveniat, vel de inferenda legitimatione ad Acta ante litis contestationem sufficiens Cautio præstetur. In Mandato præterea caveri debet, id omne ab ejusmodi Mandatario actum & actitatum ab ipso-

2. Quis Mandatarius esse & Mandatarium habere posset?

3. Quomodo Mandatarius constituatur.

ipsomet Principali ratum, firmum, & inconcussum servatum iri. Ista Cautio a possessionatis fit sub hypotheca omnium bonorum suorum; ab impossessionatis vero per alia Juris remedia fieri potest. Qui itaque hoc modo in Mandatarium est constitutus, & Mandatum suscepit, ille Mandata sibi commissa fideliter observare, nec suas facultates concessas excedere debet. Nam si Mandatarius contraveniat, constituenti seu Principali contra suum Mandatarium libera est conventio & suum damnum ab eo repetere potest. l. c. art. 8. Quando absentes Mandatarios constituunt, ista constitutio coram solenni Judicio fieri & cum Regio, Spiritualium & Secularium, Terrestrium, Prælatorum, Baronum, Dominorum, Officialium, Nobilium, vel alicujus Civitatis sigillo, cum deductione causæ & denominatione partium corroborari debet. Factum vero Mandatum coram Notario nullius valoris est, nisi legitimatio Notarii coram Magistratu loci ordinario, in hoc instrumento contenta & annexa sit. l. c. art. 9. Quando constituens aut constitutus Mandatarius moritur, tunc omnis potestas Mandati evanuit, nec ex ejus fundamento ulterius agi potest, quod vero coram Judicio fuit actum, hoc manet validum, & irrevocabile. Ad hæc omnia Mandata annuatim renovari & reassumi debent, hoc non eveniente, Mandatum annihilatum est. l. c. art. 10. Qui constituitur in Mandatarium, facultatem habet omnia peragendi, quæ pro causæ meritis faciunt; Interim tamen inspecie exprimi debet: Juramenti præstatio, transactio, restitutio in integrum, substitutio alius Mandatarii, a sententia lata per appellationem causam in superiorem instantiam devolvendi facultas, hæc nullus Mandatarius peragere potest, nisi istæ facultates specifice sint concessæ, aut in generalitate clausulæ generalis sint annexa; ut in generalitate omnimodas pro causæ exigentia facultates habeat, agendi, peragendi & disponendi. l. c. art. 11. Quando aliquis mandatum ab aliquo suscepit causam aliquam finiendi, ille etiam prosequi & usque ad appellationem a sententia definitiva incumbere debet: si interim a causa nondum finita recedere velit, hoc non

4. Officium Mandatarii.

5. Forma constitutionis.

6. Quomodo Mandatum finiatur.

7. Facultates Mandatarii præcipuæ.

8. Quando aliquis abdicat mandato, vel removeatur a plenipotentia.

non ſine conſenſu Principalis ſui & absque cauſæ detrimento fieri poteſt. Si vero Principalis ipſemet ſuam cauſam ventilare & eandem alicui alteri demandare velit, hoc quidem ſemper liberum ei eſt, eo tamen modo, ut omnia ad hoc usque tempus, quo talem mutationem ſuæ voluntatis Mandatario notificaſſet, acta & actitata ſunt, rata & grata ſervet. Mandatario utique præterito etiam juſtam recompenſationem & refuſionem præſtet. l. c. art. 12. In cauſa finita per arbitros compromiſſarios, aut transacta, non licet neque Mandatario, neque Procuratori ulterius agere, vid. ſupra **Arbiter.** & infra **Transactio.** Mandatarius etiam in animam ſui Principalis jurare poteſt, vid. **Juramentum.**

MANSUS.

AD quod teneatur ille, qui habet quadraginta Manſos, tempore belli, vid. ſupra **Bellum.** Quantitas manſorum obſervanda eſt juxta modum Flammingicalem. Priv. Culm.

MARCA.

1. Ex quot ſolidis una marca conſtet.

STatuimus ut una moneta, Culmenſis videlicet, ſit per totam terram, & ut de puro & mundo argento denarii fabricentur, ipſi quoque denarii in tanto valore perpetualiter perſeverent, ut eorum LX. ſolidi ponderent unam Marcam, & dicta Moneta non niſi ſemel in ſingulis decenniis renovetur, & quoties renovata fuerit, XII. novi nummi pro XIV. veteribus cambiantur, ut unusquisque libere emat quamcunque rem quæ venalis in foro portari conſvevit. Privil. Culmenſ. §. 6. Reviſ. l. 1. t. 5. art. 1. vid. plura **Mulcta.**

MARIÆBURGUM.

Conventus publici ſeu generales, juxta proximam Ordinationem Noſtram in Pruſſia quotannis bis celebrentur, Verno videlicet Mariæburgi ad diem St. Stanislai; tempore autem autumni in Graudentz ad diem S. Michaelis. In Noſtro tamen arbitrio erit, cum res ita poſtulaverit, alium locum & tempus hujusmodi Conventibus præſcribere. Peculiares autem conventus per Nos inſtituendi locum & diem ex Noſtro arbitrio ſortientur. vid. Conſtitutiones D. Sigiſmundi Regis ab Anno 1535. §. 8. Judicia Palatinalia exercentur ſeptima cujusvis menſis die Mariæburgi Jus Terreſt. t. 5. §. 2. Quod ibi Jus Magdeburgicum ſit abrogatum & per D. Caſimirum Regem Jus Culmenſe introductum. vid. ſupra Magdeburgum.

1. Quando Conventus publici celebrentur.

MARITUS.

Mulier ſi marito malis moribus dedito nupſerit, qui facultates ejus, quas parentes vel cognati luculentas in dotem ſuam dederunt, nequiter prodigat ludo, alea, vel ejus generis alienandi modis illicitis, quibus & ſuas & uxoris fortunas evertere properat, mulier eam profundendi licentiam Juris manifeſti remedio detrectare poteſt, nimirum Judicem ſuum adeat, ſibique tutorem optet, qui cauſam ejus agat. Quod ſi certis Judiciis Judici planum facere poterit, maritum improbato more converſari, ſic ut ex ejus luxuria periculum ſibi fortunarum ſuarum immineat, idque teſtibus, qui rem ita ſe habere certo ſciant, affirmate oſtenderit: Judex tutorem, quem petivit ipſa confirmato: is tutor cum muliere ad poſſeſſiones bonorum ejus pergito eaque adminiſtrato. Si quis eam ob rem mulieri vim vel injuriam fecerit, ruptæ pacis publicæ notam incurrito. Mulier autem bona quæ matrimonii cauſa viro contulit, vel dotis nomine tradidit, occupato & in rem ſuam adminiſtrato. Eodem utimur Jure, ſi eve-

1. Si maritus uxoris bona nequiter prodigat.

eveniat, ut quispiam in transmarinis regionibus, quinimo alibi vel intra vel extra Prussiam, æs alienum clam contraxerit, ac interim filiam honesti viri in matrimonium duxerit, cum patri & cognatis de ejus ære, quo nexus erat, alieno, certum non constitisset, tunc enim debita mariti, quæ ante sponsalia contraxit, ex bonis vel dote mulieris minime exsolvuntur, sed integrum est mulieri, res suas dotemq; suam tueri ac usurpare, quandoquidem mariti fortunarum particeps non fuit, sed iniquis utique modis in fraudem illecta satis aperte videatur. Cæterum omne æs alienum, quod constante matrimonio per virum & mulierem contractum est, sive Mercimoniis exercendis, sive alia quapiam causa suggerente, quandoquidem jure Flammingensi hæreditario Maritus & uxor in communione bonorum omnium pari lucro parique damno constituti sunt; ex utriusque patrimonio integro, sine ulla prærogativa dotis, vel alterius cujusvis beneficii, Jure communi scripto, mulieribus indulti, ut dissolvatur & expendatur, jam pridem moribus est constitutum. Emend. l. 3, c. 62. Corr. l. 5. c. 58. Revis. l. 4. t. 14. art. 14. Quando Maritus consentit, Uxor, tutore adhibito, liberam disponendi facultatem habeat cum rebus suis. Jus Terrest. t. 3. §. 20. Vid. plura Tutor, Matrimonium. Alienatio, Hæreditas, Testamentum, Donatio, Uxor, Mulier.

MASCOPIA. Vid. Societas.

MATER.

Vid. Infanticidium. Gravitas. Donatio. Hæreditas, Testamentum, Emancipatio.

MATRIMONIUM. Vid. supra Maritus.

MAXILLA.

Maxilla vulnerata. Vid. **Vulnus.**

MEDICINA.

Vid. **Doctor.** De Expensis Medicis. Vid. **Hæreditas.** De Expensis Chirurgicis. Vid. **Chirurgus.**

MENDACIUM.

QUando aliquis in sermonibus suis variat, & publice mendax est, is Judici contra se magnam generat suspicionem. Revis. l. 5. p. 1. t. 16. art. 2. in fin.

MENSIS.

Mensis luctus. Vid. **Hæreditas.**

MENSURA.

CUjuscunque generis modii vel statæ mensuræ sint, quæ in molendinis ad civitatis jurisdictionem pertinentibus usurpantur, in eas easve civitatis plebiscitum extenditur, ex cujus præscripto Consules definiunto, si qua fraus vel iniquitas modio vel mensura committatur. Emend. l. 1. c. 8. Correct. l. 1. c. 6. & 10. Revis. l. 1. t. 9. Ubi tantum mensura Culmensis inducitur.

1. Ratione mensurarum Consulatus est Judex cognitivus.

MENTE CAPTUS.

CUm mulier prodiga, vel quæ suæ mentis non sit, quatenus talem eam esse publice constet, absque mariti scitu consensuve mutuam pecuniam accipit, maritus eo debito non tenetur, nec ejus illud damno contrahitur. Si quid autem

1. Mulier mente capta mutuam pecuniam accipiens.

autem ad ipſum pervenit, vel adhuc penes maritum reſidet, creditori non ſine ratione reſtituitur. Si conſumtum ſit, non autem in rem mariti, ſiquidem juratus teſtetur verſum eſſe, nullum ſuſtinebit periculum. Emend. l. 4. c. 40. Corr. lib. Reviſ. l. 4. t. 15. art. 5. Mente capti conveniri & convenire poſſunt, non tamen absque tutoribus. Jus Terreſt. t. 6. c. 1. §. 2. vid. plura **Judicium. Teſtis, Teſtamentum, Furioſus.**

MENTUM.

Mentum vulneratum vid. **Vulnus.**

MERCATURA.

1. Prutheni per univerſam Regnum mercaturam libere exercere poſſunt.

MErcatoribus terrarum prædicturum Pruſſiæ in Regnum, Ducatus & Dominia Noſtra venientibus hanc libertatem & prærogativam de cœtero volumus conſervari, ut quoties illos in quæcunque loca, Civitates & Oppida Regni Dominorum Noſtrorum venire cum mercibus eorum, cujuscunque ſpeciei vel materiei exiſtant, contigerit: licitum erit eis hujusmodi merces in loca, teſtudines & cameras, & tecta quarum illis libera præſtari debet arrendatio, deponere, & pro ſuo arbitrio exponere in venalitatem, ſtratasque omnes verſus Hungariam, Rusſiam, Moraviam, Sileſiam, Auſtriam, Saxoniam, Wallachiam, depoſitis tamen teloneis, & ſtratis antiquis Civitatum Regni & Dominiorum noſtrorum ſemper ſalvis. Privil. Incorporationis. D. Caſimiri Regis ab Anno 1454. §. 8.

2 Merces tantum in Civitatibus venales exponi debent.

Cum etiam Mercatores & præſertim peregrini ſive exotici homines, in nobilitatis ac Civitatum injuriam, pelles, frumenta, humulum, ceram, linum, & alia mercium genera, in villis ac pagis, clam & publice coëmere & negotiationes illicitas exercere ſoleant, authoritate noſtra Regia firmiter prohibemus, ne id de cætero fiat, ſtatuentes, ut deinceps ſubditi Dominorum, merces & res ſuas vendibiles in Civitates,

tes, juxta veterem consvetudinem ducant, & in foro publico venales exhibeant; legitima tamen Dominorum suorum, cum pellibus ferarum & bestiolarum sylvestrium, ratione habita; Alioqui emptoribus equos & currus, Venditoribus autem res venditas a Præfectis Nostris adimi & confiscari volumus. Videantur Constitutiones D. Sigismundi Regis ab Anno 1538. §. 28. vid. plura **Mensura**, Iter. **Hospes.**

Qui annonam venalem exercent, si fraudaverint, vel oneraverint eandem, aut virgis cæduntor, aut a Senatu, pro personarum qualitate, proque delicti modo, mulctantor: utramvis pœnam eligere malit, arbitrium Senatus esto: Fraudem is etiam fecisse dicetur, qui pluris annonam vendit, quam a Consulibus constitutum est. Emend. l. 1. c. 7. Correct. l. 1. c. 9. Revis. l. 1. t. 2. art. 10. 3. Mercatura annonæ.

Cuilibet etiam absque publicæ fidei suspicione una cum rebus suis commeare jus est, nisi specialibus literis uti malit. Sin autem in quopiam territorio fortassis belli causa non satis explorata sit securitas, & mercator aliquis de damno sibi publice caveri petat, territorii domino cavendi potestas est. Verum sive pretio sive gratis hoc impetratum fuerit, mercatori damnum, si quod eo nomine passus est, resarciri oportet: Is qui publicæ pacis cautionem edidit, damnum resarciat, atque hoc Juris esto. Emend. l. 1. c. 15. Correct. l. 5. c. 20. Vid. plura **Emptio.** 4. De securitate pacis publicæ mercatoribus præstanda.

Nemo ex Nobilibus, nec ullus colonus, cum frumento vel aliis mercibus negociari debet, sed illud Civitatibus permissum est, tum etiam tantum Cives in Majoribus & Minoribus naves ducere, & exercere possunt, in quas Nobiles & terrestres sua propria & in suis fundis acquisita frumenta, & quicquid census nomine acceperint, invehere & deportare, in quaslibet civitates possint, tamen & reversi, renavigando navibus nullas alias merces imponant, solummodo quæ ad illorum domus necessitatem spectant: & debent quoque nautæ indigenæ advenis & peregrinis præferri. Nullus etiam Civis in Nobilium vel Rusticorum villis frumenta emere, sed ea omnia ad Civitates portari & devehi debent. 5. Tantum Civibus mercatura & navigatio est concessa.

Proinde Sigismundus statuit & ordinavit, quod ubi aliquæ emtiones mercium extra forum civitatum factæ, contractæve fuerint, tunc merces illæ venditoribus & emptoribus, equi & currus ab Officialibus adimi & confiscari debent, exinde Fisco tertia pars Civitati, quæ talia mercimonia deprehenderit & detinuerit, addici debent: & Capitanei sub pœna quingentorum florenorum Polonicalium Fisco pendendorum & cedendorum id exequi tenebuntur, nec ullæ etiam nundinæ in pagis tolerari, sed in Civitates ad quas spectant remitti debent. Omnes circumforanei nullibi in Regione possessionem habentes utique non tolerari debent, sed cum ademtione mercium puniuntor. Judæi vigore antiquæ Ordinationis nullibi in territorio tolerari, multominus ad coemtionem & evectionem illarum mercium admitti debent, sub amissione bonorum, & pœna quinquaginta florenorum Polonicalium, toties quoties desuper deprehensi fuerint: Similiter in minoribus Civitatibus nulli Institores (vulgo Vendeti dicti) conceduntur sub amissione mercium. Revis. l. 4. t. 5. art. 2. Institura & Fornicaturæ ac Mercaturæ tantum Civitatibus manere, nec potestati in arcibus vel illorum famulis admitti debent, ut in civitatibus haleces, sal, butyrum, & omnes reliquæ merces minutim divendant, aut hoc civibus facere, coacte injungant. l. c. art. 3.

MERCATORUM LIBRI.

1. Libri mercatoriales probant.

Mercatorum libri & Regestra, si debito ordine scribuntur, & alias suspicione carent, etiam in Jure probant, hoc tamen modo, ut producens librum Juramento suppletorio confirmet, nisi adversarius per evidentia documenta seu testimonia falsitatem librorum comprobaverit. Revis. l. 2. t. 19. art. 4.

2 Socii communem inspectionem habent suorum librorum.

In contractu societatis unicuique consortium libera datur facultas inspectionem in libris societatis Mercatorialibus pro lubitu habendi, & in eisdem qualitatem & circumstantias suæ mercaturæ trutinandi. Revis. l. 4. t. 8. art. 6.

MER-

MERCES, Vid. Servus.

MESSIS.

Tempore Meſſis nulla celebrantur Judicia, Vid. Feriæ, Judicium.

METUS.

Vid. Stipulatio. Verborum Obligatio.

MICHALOWIENSIS TERRA.

IN Terra Michalowienſi, in locis, in quibus Judicia celebrari conſveverunt, ab univerſa Nobilitate in conventibus per Palatinos intra ſex ſeptimanas a defuncti exceſſu indicendis, Judices Terreſtres eligi debent; Qui Judices, cum a Rege confirmati fuerint, literis Regiis exhibitis, præſente Nobilitate, quæ ad Judicia convenerit, jurare debent. Jus Terreſt. t. 5. §. 15. In Michalovienſi terra ſemper una ſeptimana poſt Culmenſia Judicia Judices Terreſtres conſident, & alternatim Brodnicii & Neofori. l. c. §. 23. vid. plura de Judiciis Terreſtribus.

1. Electio Judicum Terreſtrium.

2. Incidentia Judicialium terminorum.

MILITIA, Vid. ſupra Bellum.

MINISTERIALIS.

PUblicorum Notariorum, qui contrariis inſtrumentis ſæpe cauſas intricabant, uſu abrogato, in locum illorum Miniſteriales Terreſtres ſubſtituimus, qui duobus Nobilibus adhibitis, quæ Judiciali denunciatione aut atteſtatione opus habebunt, exequentur. Debent autem Miniſteriales in primis Judi-

1. Inſtitutio Miniſterialium.

Judiciis Terreſtribus vel Palatinalibus ſequens Juramentum
2. Juramentum Miniſterialium. præſtare: Ego N. juro quia ex nunc & in poſtea fidelis ero Sereniſſimo Domino meo Regi &c. negotia Judiciorum mihi commiſſa & credita, & Citationes fideliter faciam, ſuperque quibuscunque negotiis, poſtquam requiſitus fuero, fideliter recognoſcam, non amore, odio, pretio, vel favore, ſed pro DEO & Juſtitia, nec ero conſentiens cuiquam malitiæ, quæ poſſet quoquo modo opprimere veritatem, ſed omnia integra fide, tam in Judicio, quam extra, absque dolo peragam, recognoſcam & exequar, nihilque unquam falſi committam:
3. Vis Miniſteriali illata. Ita me DEus adjuvet & omnes ſancti. Si quis Miniſterialem eo tempore, quo officio ſuo fungitur, occiderit, vulneraverit, aut pulſaverit, eadem pœna, qua violator ſecuritatis publicæ
4. Forum Miniſterialis. Judiciorumve puniri debet. Quilibet autem Miniſterialis apud Palatinum ejus Palatinatus reſpondere tenebitur, in quo exceſſus aliquis commiſſus ab eo fuerit. Jus Terreſt. t. 5.
5. Quomodo Miniſterialis citationem inſinuare debeat. §. 38. 39. ſeq. Ad Terreſtre Judicium Citato duarum ſeptimanarum; ad Palatinale autem unius terminus præfigi debet, Citatioque ea tanto tempore ante præfixum terminum per Præconem ſeu Miniſterialem, ut vocant, Terreſtrem, in bonis ejus, qui evocatur, ponetur, ſi abſens fuerit, domeſticis vel colonis inſinuetur, eisque denuncietur, in Jus Dominum vocari. Si citatus poſſeſſiones nullas habet, vel ipſi per Præconem in manu Citatio tradatur, ſi Præco copiam ejus habere potuerit; vel ad valvas templi ejus loci, in quo commorari eum conſtiterit, a Præcone affigatur vel proclametur, vel etiam Parochiæ ejus, in qua bona aliquando poſſedit, ſine
6. Miniſterialis falſarius. præjudicio tamen ullo legitimi poſſeſſoris. Si probari in Jure poterit, Citationem a Miniſteriali vel omnino non inſinuatam, vel non legitime inſinuatam aut publicatam fuiſſe, illeque nihilominus diverſam relationem fecerit, per carnificem virgis publice cædi, auribusque & naſo mutilari, & ab officio removeri debet, de quo coram Officio Palatinali terminum
7. inordinata citatio. habebit. Quæ omnia niſi in ſcribenda & inſinuanda Citatione obſervata fuerint, & Citatus vitium id in termino præfixo Judici demonſtrarit, a termino & Citatione liber erit.

Actori

Actori autem denuo in Jus eum vocare integrum erit, ad quam Citationem si non comparuerit; tum primum contumaciæ condemnabitur, nisi forte vel ex Jure vel ex sententia Judicis peremptorius is terminus fuerit. Quod si iterum docere possit, sibi de Citatione illa nihil constitisse, vel minus legitime insinuatam fuisse, ab eo etiam termino & Citatione, non vero a causa, toties, quoties hujusmodi vitium intervenerit liber erit. Jus Terrest. t. 6. §. 9. usque 13. Quod nemo alium ob debitum turbet & absque pedellorum ope impedire debeat, Vid. **Creditor.** Vid. plura **Citatio.** 8. Nemo ob debitum absque pedellorum ope turbandus.

MINOR.

Minor quando fiat Major. Vid. **Major.** Minor non potest esse Testis. Vid. **Testis.** De rebus minorum administrandis. Vid. **Tutor.** De ludo Minorum. Vid. **Ludus, Alea.** Minor qui decimum quartum annum complevit, alium si volet tutorem petere potest, sive prior res ejus bene sive male gessit, petat autem prudentioribus cognatorum approbantibus. Etenim si suo sibi tutorem constituere volet arbitrio, nec Senatus nec Magistratus Terrestris, nec propinqui temeritatem ejus ferent, sed si prior tutor probe rem gessit, deinceps etiam administrabit. Emend. lib. 3. c. 51. Corr. l. 4. c. 50. 1. Minor tutorem petens

Inter pubertatis annos, minores nihil intelliguntur delinquere, quo vitam vel caput committant. Si minor quempiam occiderit vel corporis noxam intulerit, tutor æstimationem damni præstabit, uti pro cæsi vel vulnerati conditione sancitum est, si modo minor facinoris rite convincatur. Quodcunque etiam damnum minor injuria dederit, ex ejus bonis æstimationem tutor exsolvet. Emend. lib. 5. c. 47. Corr. l. 3. c. 34. Revis. l. 5. p. 2. t. 16. art. 6. De minorum interventionibus. Vid. **Retractus.** De Furto minorum. vid. **Furtum.** 2. De delictis minorum.

Post patris obitum minorennes superstites quamdiu nec in tutelam suam pervenerint, 3. De minoribus conveniendis.

nerint, nec alium tutorem habeant, ob debiti causam in Jus non vocantur, nec vicissim ipsi creditum petendi vel exigendi Jus habent. Si quis autem minorennium nomine creditum petere desiderat, idem versa vice eorundem nomine debiti actiones excipere non refragetur. Emend. lib. 2. c. 24. Corr. lib. 4. c. 52. Revis. lib. 2. t. 10. art. 3. Minores non possunt esse testes. Vid. Testis. Parens vivus potest suis minoribus tutores constituere. Vid. Tutor. Quomodo Minor restituitur in integrum. Vid. Restitutio. Vid. plura Tutor. Coercitio. Infanticidium. Ratione pignorum habent minores præferentiam. Vid. Pignus.

MISERI HOMINES.

1. Qui miserorum hominum cædes postulant.

HOmicidia & cædes, quæ adversus homines miseros eveniunt & perpetrantur, Judex per se potest ac debet inquirere, nimirum quod publice interest, ne cædes maneant impunitæ. Si quis miseræ personæ cædem exequi ceperit, deinde ab hac luce migraverit, ad Judicem actionis prosecutio devolvitur. Si postea supervenerit agnatus, & actionem Juris ordine ad se revocaverit, ejus desiderio Judex subscribito, & actionem illi credito. Emend. l. 5. cap. 9. Correct. addit. Si eveniat ut reo juramentum purgatorium decernatur, quo suam innocentiam probet; Judex hoc Juramentum debet etiam acceptare. Si hoc modo Judex causam promovet, & intra annum & diem nemo agnatorum appareat, qui actionem suscipiat, tunc licitum est Judici debitum Wergeldum exigere & in suum commodum convertere; Si vero postea agnatus adveniat, & ut Juris est, probet, quod impedimento legali detentus fuerit, huic Judex Wergeldum restituito. Corr. l. 3. c. 61. Revis. convenit cum Emend. Vid. Revis. l. 5. part. 1, tit. 7. art. 1, 2,

MODERAMEN INCULPATÆ TUTELÆ.

Moderamen inculpatæ tutelæ dicitur, quando aliquis armis mortiferis invaditur, concutitur, & aggressus absque detrimento suæ vitæ, corporis & honoris facile haud evadere potest, sed ad defensionem sui corporis & vitæ cogitur. Qui itaque justâ istâ tutela pro sua salute utitur, & aggressorem violentum interficit, impune hoc fecisse statuitur. Revis. l. 5. p. 2. tit. 7. art. 13. Cum quis alterum aliquem noctu vel interdiu invadit, nemine præsente, qui rem geri videat, alter retrodecit quantum potest, ac lubens ab eo se missum fieri cuperet, ille plagus ingerere pergit, alter ubi videt, sibi defensionis necessitatem impositam, pari vi resistit, & ob tutelam sui corporis hominem interficit, quæritur, quomodo fidem justæ & necessariæ defensionis facere debeat? Nostri Juris authoritate responsum est, ut is, quam primum ejus copiam habuerit, Judicem adeat, & Judicis potestati se committat, eidem etiam suum gladium in notionem legitimam tradat, atq; Judex eum in fidem recipiat, quoad innocentiam, quam pro se fert, ostenderit. Si quis eum cædis accuset, Judex illum in Jure sistat, & ille a defuncti cognatis actionem suscipiat. Deinde Jure decernetur, ut reus, quatenus ob tutelam sui corporis se cædem facere coactum prætendit, jurejurando suo probet, tribus vel pluribus passibus retrocessisse, nec amplius evadere potuisse, coactum demum defensionem parasse, & quicquid ejus fecerit, ob necessarium saltem corporis sui tutelam perpetrasse. Si testibus præsentibus reus accusetur, ipse quoque testibus actionem declinandi prærogativam habebit. Si nemo sit ex propinquis occisi, qui cum percussore criminaliter experiri velit, omnis in illum interfecti nomine actio evanescit & defensionem necessario factam satis abundeque probasse Jure censebitur. Emend. l. 5. cap. 51. Corr. l. 5. cap. 59. Revisum adhuc addit: Quando nullus Actor existat, reus vero sese in potestatem Judicis de-

1. Quid sit moderamen inculpatæ tutelæ.

2. De proprii corporis tutela.

dederit & acceptatus ſit; Judici nihilominus incumbit omnes circumſtantias perſonarum, loci, armorum, vulnerum, item uniuscujusvis vitæ genus actionesque explorare & trutinare debet, ut hinc inde luculenter appareat an neceſſaria tutela, ejusque moderamen locum habeat nec ne? Si nimium exiſtat dubium, mox ex officio ulterius inquirere tenetur, & in defectu probationis Reo Juramentum purgatorium injungendum eſt, uti ſupra diximus. Reviſ. l. 5. p. 2. t. 7. art. 14.

3. Defenſio contra latronem.

Cum quis aliquem in via publica prædandi animo invadit, atque ille defenſionem parat & latroni vitam adimit, nec amicis occiſi nec Judici damni vel mulctæ nomine fit obnoxius. Si fides illi non habeatur, quod corporis & rerum ſuarum tutelam occupaverit, quatenus facti teſtes inpromptu ſecum ſint, eorum teſtimonio ſtabitur. Si nulli ſint teſtes, religione Sacramenti res expeditur. Emend. l. 5. c. 52. Correct. l. 5. c. 35. Quando in executionibus moderamen inculpatæ tutelæ locum habeat, vid. Executio, Proſcriptus, Bannitus.

MODERATIO EXPENSARUM. Vid. Expenſæ.

MODIUS. Vid. Molendinum. Menſura.

MOLENDINUM.

1. Exſtructio molendini.

SI rivus aliquis agros alicujus Civis attigerit, ei, cujus agri fuerint, ſolummodo molendinum ædificare liceat in eodem: Si vero idem fluvius aptus fuerit pluribus molendinis, Domus Noſtra in conſtruendis eisdem aliis tertiam partem priorem ſumptuum faciat, & percipiat perpetualiter tertiam partem uſuum de conſtructis, vid. Privileg. Culmenſe §. 6.

2. Quid molitori debeatur

In molendinis non amplius niſi ſimplex menſura recipi debet, cum quis ipſemet ſibi molit; nemo etiam ad molen-

molendinum cogi debet, ſed cuilibet liberum eſt, frumentum ſuum ferre quo vult. Menſura vero recipi debet a quolibet modio ſiliginis vel grani, una menſura, hoc eſt decimus ſextus modius. De ptiſano vero a duobus modiis una menſura, hoc eſt trigeſimus ſecundus modius. Reviſ. l. 1. t. 5. art. 2.

MONACHUS. MONASTERIUM.

MOnachus non gaudet Jure retractus, vid. Retractus. Maritus quando fiat Monachus, vid. Uxor. Quando impuber veniat in monaſterium, quomodo Feudum ſuum amittat, vid. Feudum.

MONETA.

STatuimus ut una moneta, Culmenſis videlicet, ſit per totam terram, & ut de puro & mundo argento denarii fabricentur, ipſi quoque denarii in tanto valore perpetualiter perſeverent, ut eorum quinquaginta ſolidi ponderent unam marcam, & dicta moneta non niſi ſemel in ſingulis decenniis renovetur, & quoties renovata fuerit duodecim novi nummi pro quatuordecim veteribus cambiantur, ut unusquisque libere emat quamcunque rem, quæ venalis in foro portari conſvevit. Vid. Privil. Culm. §. 6. Cum monetæ juſtam & fidelem ligam pondusque habentis cuſio terram quamlibet fœcundet & nobilitet: Volumus ut in quatuor locis terrrarum prædictarum, videlicet in Thorun, Gdansk, Elbing & Kynsberg, duntaxat gwerra præſente durante, fidelis & juſta, imaginem noſtram & ſubſcriptionem tituli Noſtri continens, moneta cudatur, tecrarum Pruſſiæ Prælatorum, Spiritualium & Secularium impenſis. Pace autem, Domino ſuffragante, habita, tantum in Thorun & in Gdansk, ſine præjudicio Privilegii Thorunienſis Civitatis, noſtris Regalibus cudatur im-

1. De cudenda moneta ab antiquis temporibus.

2 Privilegium de cudenda moneta in certis Civitatibus.

impensis; Proviso tamen, quod moneta ista in pondere, grano & liga debita nullatenus minuatur. Vid. Privileg. Incorpor. D. Casimiri Regis ab Anno 1454. Penes quem falsa moneta deprehenditur, si eo nomine accusetur, quod illam sciens ad fallendos homines circumtulerit, quatenus neget, ad innocentiam demonstrandam Religioni suæ committetur: quatenus autem Jure convictus fuerit, falsi pœnam sustinebit. Emend. l. 5. c. 57. Correct. l. 3. c. 46. lib. 5. c. 18. Revisum sic sancit: Qui falsam monetam cuderit, permutatione, vel alias in se transtulerit, eamque ex proposito & scienter in damnum & præjudicium proximi exposuerit, is igne concremari debet. Qui vero monetam diminuerit in suo valore vel præsciderit, is pro qualitate admissi teneri debet. Revis. l. 5. p. 2. t. 18. art. 6. Cum moneta publice mutatur; vel interdicitur, deinceps inter diem quartum decimum veteri moneta æs alienum exonerari, & redimi pignora non prohibetur. Qui post eum diem nummos jam reprobatos emptionis vel solutionis nomine velit erogare, meminerit, neque venditorem neque creditorem, ut ejus generis nummos in solutum accipiat, cogi debere. Emend. l. 4. c. 55. Correct. l. 5. c. 19.

3. Falsa moneta.

4. De solutione monetæ improbatæ.

MONUMENTA.

Vid. Documenta. Probatio.

MORATORIUM.

1. De causa forma & effectu moratorii

Cum Rex vel Princeps ex Regia vel principali auctoritate causis animorum serio moventibus, debitori cuipiam literarum moratoriarum copiam faciunt, ne intra præscritum tempus ad creditoribus ad solutionem cogi debeat: Prout Reges ac Principes hanc immunitatem in tempus, Puodpiam, justis ducti rationibus, Jure suo consveverunti qndulgere; tenetur nihilominus debitor creditoribus satisdare

dare, vel fidejussoribus vel pignoribus cavere, quod post elapsum immunitatis spatium creditum sint certo consecuturi. Hoc indultum ideo moratorii nomine in Jure censetur, quod moram saltem interponat, non autem in perpetuum tollat obligationem. Nullius enim Regis vel Principis indulto quisquam debitor, eam Jure consequitur immunitatem, qua debitores suos possit debito defraudare. Finito autem moratorio termino, Judex a Creditore aditus ad executionem legitimam, adversus fidejussorem vel pignus, ut moribus receptum est, prosequatur. Quod si debitor impetrato cujusvis moræ beneficio, adeo rerum suarum egenus & ab omnium ope destitutus fuerit, ut neque pignoribus, neque fidejussoribus satisdare valeat, nec tantum in bonis habuerit, quantum absolvendis creditoribus sufficiat: Judex eum creditoribus vice debiti in manum tradat, quem illi eodem modo alant, vestiant, & operas facere curent, ut cæteros domesticos, donec debitor operis suis, si modo tales sint, sese bonorum virorum arbitrio redimere valeat; Nec quisquam enim Jure nostro per bonorum cessionem omni debito liberari solet. Emend. l. 4. c. 57. Correct. annectit: quod nullum moratorium spacium quinquennii excedere debeat. Vid. Correct. l. 4. c. 56. Revis. mutatis quibusdam dicit: Quando quis a supremo suo Magistratu ad tempus liber redditur, ut ab ipsis durante illo ipso tempore ad solutionem cogi non debeat, tunc illud tali modo auxiliabitur, quatenus eundem Supremum Magistratum per literas inferiorum Magistratuum, hujusque loci, in quo sese detinuerit, sufficienter & veraciter informaverit, se non proterviter pro sua mala voluntate, vel per intensatam negotiationem, verum per aquæ, ignis, vel alterius similis necessitatis, vel fraudis reliquorum hominum damnificatum esse, quod ad solutionem eum impotentem effecerit; quo pacto & in diplomate beneficiati relato, libertate & immunitate illa perfruiturus erit; tamen ut simul caveat, & assecurationem faciat, se medio tempore sua bona, si adhuc aliqua habeat, nemini ulterius oppignoraturum, venditurum, vel alias alienaturum, prout etiam, etiamsi

id absque prmissa facta cautione evenerit, illud omne nullum & invalidum esse debeat, &c. reliqua conveniunt cum Jure Emendato. Vid. Revis. l. 4. t. 15. art. 6.

MORBUS.

1. Morbus impedimentum legale.

QUi morbo laborat necessitatem legitimi impedimenti ad Judicium denunciet, more Juris usitato. Emend. l. 4. c. 70. Correct. l. 3. c. 72. Revis. l. 2. t. 8. art. 2. it. Emend. l. 2. c. 42.

MULCTA.

1. Qualitas mulctæ.

STatuimus ut in Civitatibus terrarum Culmensium Jura Magdeburgica in omnibus sententiis in perpetuum observari debeant, hoc indulto, ut cum reus aliquis Magdeburch in sexaginta solidis puniri debeat, hic in triginta solidis Culmensis monetæ mulctetur, eodem modo in culpis aliis proportiona-

2. Mulcta Palatini.

naliter observando. Privil. Culmens. §. 3. Palatinus vel Vice-Palatinus mulctas nullas, nisi quæ vel Jure expressæ sint, vel in quas nominatim quis se obligavit, decernet. Jus

3 Mulcta Consulum.

Terrestre tit. 5. §. 11. Si quis delinquit contra Consules & contra Jus Civitatis & Plebisscitum, ejus delicti mulctam Consules pro suo placito, suoque arbitrio exigunt, nec eam ob rem alteri cuivis obnoxii sunt, quoniam ex re Civitatis publica delinquentes mulctant. Emend. l. 1. c. 10. Correct. l. 1. c.

4. De modo mulctarum quæ vulnerationibus præscriptæ sunt.

11. Revis. l. 1. t. 2. §. 11. Qui ob noxium corpori illatum, qua membrum quodvis propter impotentiam naturalis actionis usum perdit, vel ob vulnerationes atroces, vel ob vulnus, quod in carne insedit, vel ob cicatricis deformitatem, quæ omnia uno eodemque modo censentur, in Judicio convenitur, siquidem criminaliter agatur, & reus factum non neget, vel alioquin perspicuis documentis facti convincatur, pœna reo sancita est manus præscindendæ, nec insuper alia dicitur mulcta: Liberum tamen erit condemnato, dimidio æstimationis pretio manum redimere. Sin civiliter agatur,

reus

reus in mulctam eam, quæ duodecim marcis æstimari solet, condemnatur. Si quis autem ob simplex vulnus convenitur, quod non atrox sit, quantumvis ex proposito & præmeditate noxa corpori fuerit inflicta, vel ob verborum contumelias, quibus manifesto tenetur, actori solidos triginta, Judici octo luat, atque vulneratus, quamtumvis plagæ livorem contraxerint, vel sangvis super cutem coitus, percussionis vestigia retinuerit, non ideo criminaliter agere potest, sed sufficit mulctam exsolvi. Animadvertendum tamen est mulctam & æstimationem damni crescere minuique debere, prout delictum majoris aut minoris momenti habeatur. Emend. l. 5. c. 23. Burggrabii mulcta & Wergeldum quod decernitur coram Judicio bannito, solvi debet intra sex septimanas. Correct. l. 2. c. 24. Wergeldum vulgari vocabulo nuncupant mulctam vel æstimationem, qua quis actione se liberat, vel exsolvit, quæ alioquin adversus ipsum commissi facinoris causa Jure competebat. Oritur autem hæc mulcta ex delicto civiliter intentato. Quod enim actionem civilem non habet in hujus æstimationis rationem non deducitur. Exempli gratia, si quis alium non præmeditato, vel casu aut imprudentia occiderit, velut cum furiosus vel mente captus vel infans quem interfecerit, vel cum quis hominem fortuito lapidis vel teli jactu percusserit, dum aliquid aliud eo jactu petit, vel cum in exstruenda domo lapis, vel qua alia materia casu deciderit, quo periret homo, vel cum quis ob tutelam corporis sui quempiam ad mortem adegerit: his casibus mulctam solvendo, quæ cæsi dignitas vel natales æstimantur, actione Criminali, quis semet exonerat. Verum ob homicidium, vulnus atrox, deformitatem ex læsione contractam, impotentiam membrorum vel aliud delictum, quod ex proposito & animo deliberato committitur, quodque pœna manus vel capitis sancitum est, civili mulcta nemo exoneret, siquidem actio criminaliter intentetur, & reus sua confessione, vel aliis modis legitime convincatur. Si quis autem ob homicidium factum civiliter accusetur, quodque utique occisi propinquis solet, quatenus plenæ fortassis probationes defi-

5. Burggrabii mulcta.

6. De mulctis, pœnis pecuniariis, Wergeldo & æstimatione in genere.

deficiunt, & nihilominus actores quidam præsumptionum adminiculis utuntur: Hoc casu, cum reus delictum fatetur, vel Jure convincitur, mulctam solvito, secundum æstimationem defuncti personæ, marcas nimirum viginti quatuor (hæc æstimationis integra mulcta est) vicenos grossos, quorum singuli denarios octodecim in usu & foro versantes, constituunt, in marcam Pruthenicalem computando. Judicis autem mulcta hisce facti speciebus secundum Privilegium, & libertatem Culmensem est triginta solidorum, qui monetæ Pruthenicalis quatuor marcas conficiunt, atque hanc maximam Judicis mulctam Legislatores constituerunt. Hinc illud nobis intelligendum erit, quod tres hujus generis mulctæ semissem æstimationis ejus, quam Wergeldi nomine vulgo censeri diximus, hoc est duodecim marcas Pruthenicas, adæquare consveverint. Omnes in universum mulctæ in diem eum luuntor, qui Judiciali decreto dictus est, ejus scilicet speciei nummis, qui usus & pretii functionem recipiunt. Pœna æstimationis & damnorum Actori, mulcta Judici datur, nec enim refert superior sit, an inferior: secundum municipii consvetudinem expenditor. Si dies adjecta non sit, pœna Actori, mulcta Judici intra diem quartum decimum, æstimatio vero cædis, damni & injuriæ intra mensem tertium exsolvuntor, ejusmodi scilicet nummis, qui in ejusdem fori usu pretioque publice versantur. Emend. l. 2. c. 19. Correct. l. 2. c. 28. Ubi subnectitur, quod Judici facultas moderandi sit concessa. Vid. Revis. l. 5. p. 2. t. 26.

7. De mulcta per decretum definienda.

Qui Principis vicem gerit & cæteri Magistratus in causis ex maleficio proficiscentibus nullam mulctam exigunto, priusquam mulctæ modus Judiciali cognitione definiatur. Si quis autem in Judicio constituto sua sponte sibi cujusvis facti mulctam indixerit, eam sufferat, quatenus ejus facultates patiuntur. Emend. l. 2. c. 20. Correct. l. 2. c. 33.

8. Ne Judex ultra mulctam legitimam quid exigito.

Ex causis homicidii & vulnerum eorum, quæ ad mulctarum rationem pertinent, Judex præter mulctam sibi debitam ne quid amplius a quoquam exigito. Emend. l. 2. c. 21. Correct. l. 2. c. 36. An mulctæ tendant ad hæredes, Vid. Jurisdictio.

Quisquis ab adversario ob vulnus atrox vel impotentiam membri vel injuriarum, aut violentiæ causa mulctam seu pœnam facinoris Jure exegerit, non ideo prohibetur, nisi sponte gratiam facere adversario malit, quo minus ob dolores, impensas medicorum, res neglectas, damna, membrorum impotentiam, quibus ad corporis tutelam & rem familiarem sustinendam, non æque nunc uti possit, similiter ob enormem contumeliam adversarium convenire, & ad restitutionem ac compensationem ejus, quod sua interest, compellere possit. Hoc enim casu Judicis est officium, pro qualitatæ causæ & delicti, proque personæ, quæ læsa dicitur, conditione, Jus unicuiq; dicere & administrare. Em. l. 5. c. 40.

9. An ultra mulctam actio de damnis competat.

MORS.

MOrs Regis. Vid. Rex. Si Prætor aut Scabinus moritur, vel alioquin legitimo impedimento detentus fuerit, in ejus locum alius interim substitui potest, si necessitas hoc exigat, ad donationem puta, rite insinuandam sic ut ad minus duo vel tres Scabini in Jure sedeant, sic enim donatio rata habebitur. Emend. l. 2. c. 5. Corr. l. 2. c. 11. Vid. Plura Donatio. Testamentum. Vulnus. Homicidium. Hæreditas.

1. Si Prætor vel Scabinus moritur vel legitimo impedimento detinetur.

MULIER.

AN mulier donare aut alienare possit. Vid. Donatio Legum decrevit authoritas, ut Virgines & mulieres in omnibus actionibus, pro quovis tribunali, tutores in litem habeant, alias ad agendum a Judice ne admittantur. Maritus uxoris tutor est, si præsens sit; sin extra Provinciam agat, uxor authore Judice tutorem eum scilicet optato, qui vel mariti vel uxoris cognatus aut propinquus sit. Hoc ideo constitutum est, quia majoris gratiæ sunt mulieres in Judicio, quam

1. De Virginum & Mulierum tutoribus in litem dandis.

quam viri. Nam illæ, ſi quæ in Jure verba faciant, quæ quoquo modo cauſæ vel Juri illarum detrimento fraudive eſſe videantur, modo poſtea inficias eant, nullius teſtimonio refelluntur. Si mulieribus Jus jurandum deferatur vel adjudicetur, non tutores illarum, ſed ipſæmet in conſcientiam ſuam juranto. Tutores pro mulieribus fidejubento, ipſæ vero judicatum faciunto. Hæc tutelæ ſpecies tam diu conſiſtit, quoad maritus domum reverterit, vel quoad ipſa mulier conſtitutum volet. In ſingulas enim cauſas fœminis Jus eſt novum tutorem optandi & priorem abdicandi. Emend. l. 3. c. 61. Corr. l. 5. c. 57. Reviſ. lib. 4. tit. 14. art. 11. Si maritus uxoris bona nequiter prodigat. Vid. **Uxor.**

2. Si Mulier Virum in Jus vocet.

Si Mulier virum conveniat ob crediti cauſam eamque in rem teſtes producere velit, magis probandum eſt, quod vir bonorum virorum teſtatione mulieris actionem elidere poſſit. Ob maleficium autem, vulnerationem, membrorum mutilationem vel homicidium æque mulieri Jus eſt ac viro, eum qui pacem publicam violavit in recenti facinore teſtibus conveniendi. Emend. lib. 2. c. 53. Corr. lib. 3. cap. 63.

3. De raptu Virginum & Mulierum.

Cum Virgo ſeu mulier vi rapta, ſe nolente & repugnante in alienam domum protracta fuerit, ibique exclamaverit, nec illi quiſpiam hominum auxilio venire poſſit, ſiquidem illi, qui tum in domo fuerant, eorum teſtimonio, qui clamorem audierant, rite coarguantur, quod facinus celaverint, nec prohibuerint, ita Judicium in illos conſtituitur, ut una cum actore ipſius facinoris capite plectantur. Si is qui facinus fecit, deprehendi poteſt, absque Judice capitor, & in Judicium protrahitor. Si telo ſe defenderit, quo minus ſe captivum ſiſtat, impune occiditor. Vis enim pudicitiæ violenter illata, eodem Jure cum proſcriptionis rigore cenſetur. Emend. l. 5. cap. 55. Corr. l. 5. c. 39. Reviſ. l. 5. part. 2. tit. 10. art. 2. Vid. plura **Raptus Virginis.** De tutoribus mulierum in genere. Vid. **Tutor.** Mulieres convenire & conveniri quidem poſſunt, non tamen absque tutoribus Jus Terreſtr. Terrar. Pruſſ. tit.

6. §. 2. Corr. l. 5. c. 57. Revis. l. 4. tit. 14. art 11. ut supr. Si mulier in recenti facinore cædis aut vulnerationis deprehendatur, majoris est rationis, ut Actor eam testimonio fide dignorum hominum convincere possit, quam innocentiam illa prætendere, quo minus Judicium patiatur. Si mulier accusetur ob cædem vel vulnerationem, cujus Judicium eodem die factum sit, quatenus illa de parendo Juri vadimonium constituit, potior erit ad probandam testibus fidedignis innocentiam suam, quam ut in accusationis periculum conjici debeat. Si mulier conveniatur ob maleficium comperendinatum, ejus Jus Jurandum ad elidendam actionem illi subserviet, ne quod amplius periculum sit expectandum. Emend. l. 5. c. 44. Correct. lib. 3. cap. 10. Mulieres prægnantes exemptæ sunt a tortura. Revis. lib. 5. part. 1. tit. 17. art. 3. Vid. plura **Uxor, Testis, Donatio.**

4. Si mulier ob cædem seu vulnerationem accusetur.

MUTILATIO.

De Mutilatione membrorum. Vid. **Vulnus.**

MUTUS.

Cum mutus in Jure convenitur, qui linguæ non potest officio fungi; siquidem nutu gestuve Procuratorem petat, Procurator illi dandus erit. Agetur autem cum eo Judicium, quoad ex signis & nutibus, quid velit, intelligi possit, eoque pacto, quanti auctoris intererit, quantumque sibi deberi palam fecerit, tanti Judex secundum Juris præscriptum litem æstimabit. Emend. l. 2. cap. 23. Corr. l. 5. cap. 43. Revis. l. 2. tit. 10. art. 4. Mutus quidem convenire & conveniri potest, non tamen absque tutore. Jus Terr. terrar. Pruss. tit. 6. §. 2. De mutorum testimonio. Vid. **Testis.**

1. De muto convento.

MUTUUM.

Vid. Creditor. Debitor. Commodatum. Depositum. Usura.

1. Quid sit mutuum? Mutuum, & mutui datio, de qua hic tractatur, consistit in his rebus quæ ponderantur, numerantur & mensurantur, nempe metalla, aromata, pecuniæ, frumenta, vina, panni & similia, quæ mutuata propria fiunt, & eadem pro suo arbitrio usurpari possunt: idcirco & mutuarius non æque eandem rem mutuatam, sed etiam in simili forma, specie, pretio & bonitate, prout etiam pondere, numero & mensura, prout recepit, iterum solvere tenetur. Revis. l. 4. tit. 1. art. 1.

2. Quo tempore mutuum reddi debeat. Si in contractu talium rerum tempus certum, nec non induciæ fuerint præstitutæ, tunc mutuans ante illud tempus id postulare non potest: Mutuarius vero ante dilationis terminum solutionem bene præstare potest. Induciis vero nullis denominatis & expressis, tunc solutio fieri debet quando id mutuans postulaverit. Revis. l. c. art. 2.

3. De mora mutuantis. Quando mutuarius ad præstitutum diem, vel eo non expresso ad amicabilem requisitionem mutuantis cum solutione cessaverit: tunc mutuarius omnia damna, præjudicia, decessus & impendia ob moram perfecta, pro cognitione, persolvere tenebitur. Revis. l. c. art 3.

4. An interesse de mutuo debeatur? Quilibet æquali persolutione rei mutuatæ contentus esse debet, nec supra sortem ullum lucrum vel usuram expectare & recipere potest, nisi quis pecuniam ab altero in usum suum & negotiationem ad certum tempus accepisset, ab hac annuatim octo pro cento pendere promisisset, tunc capitalem summam cum suo censu & pensitatione ad præfixum tempus persolvere tenebitur. Revis. l. c. art. 4.

5. Infantibus non est mutuo dandum. Pueris & hominibus juvenibus & mironennibus, nondum ad ætatem perventis, & sub Parentum & tutorum potestate constitutis, nemo absque præscientia Parentum & tutorum aliquid mutuare debet, id faciens, sua culpa damnum patitur, quia neque Parentes & tutores, neque ipse puer seu juvenis persolvere tenebuntur, nisi quis aliquid ad studia navanda mutua-

mutuaverit, hujus refusio æqualis fieri debet. Si etiam puero vel alicui juveni aliquid fuerit mutuatum, quod in suorum Parentum utilitatem versum sit, vel adhuc exstiterit, illud Parentes refundere & restituere tenebuntur. Rev. l. c. art. 6. Quando etiam ad enorme damnum & interitum progressæ juventutis redundet, quod sæpe numero reperiantur homines, qui ob lucrum suum detestandum, juventuti pecuniam mutuent, & in futuram Parentum hereditatem sibi assecurationem procurent; & proinde ad omne malum & indecentem vitam, & ab inobedientiam ansam præbeant: Ideo in posterum liberi expectationem, nec non hereditatem Parentum suorum, absque præscientia illorum & expresso consensu neque vendendi, neque insinuandi, vel oppignorandi, aut desuper aliquid debitum constituendi, facultatem habeant, & quo insuper facto, id nullum & invalidum esse debet, qui etiam illis suam pecuniam ita mutuaverit, Jure cadere, nec exactioni alicui in hisce subjacere, nec ullo remedio frui debet. Revis. l. c. art. 7.

6. Liberis in spem futuræ hæreditatis paternæ nihil est mutuo dandum.

NARZASZ.

IN terra Pomeraniæ exactionem sive Daciam, quæ Porcus, alias Narzasz, veteri institutione Ducum Poloniæ vocabatur, Regia Munificentia tollimus, abrogamus, deponimus, ac solutionem illarum perpetuis temporibus resolvimus; dimittimus & relaxamus, nullo unquam tempore per nos aut Successores nostros Poloniæ Reges, ex quacunque causa aut occasione instituendam aut imponendam. Vid. Privil. incorpor. D. Casimiri Regis, Anno 1454. §. 7.

1. Narzasz abrogatur.

NASUS. Vid. Vulnus.

NAUFRAGIUM.

LIcet Magister & Ordo tempore occupationis Terrarum Prussiæ omnia bona & merces quarumcunque materiarum,

1. Bona naufraga suis possoribus sunt restituenda.

rum, divina permiſſione naufragium in mari paſſorum, velut propria ex naufragio quaſi Juris ſui facta, occupabant: Nos tamen, qui Rex Catholicus ſumus, ſortem hujusmodi naturali & Divino Jure ſedisque Apoſtolicæ decreto damnatum, velut crudelem & injuſtum execramur, pollicemurque, quod res & bona, cujuscunque ponderis & valoris exiſtant, earum perſonarum, quæ maris naufragio periclitabuntur, nunquam per nos aut Officiales Noſtros, velut noſtras aut Juris Noſtri petemus aut requiremus, ſed illas absque diminutione per eos, quorum ante naufragium fuerunt, aut eorum propinquiores, demonſtratione evidenti propinquitatem probantes, colligendas & in uſus beneplacitos decernimus convertendas: Contrariæ conſuetudini aut Juri, vel potius corruptelæ, pro nobis & Succeſſoribus noſtris renunciando, niſi forte nullus bonorum hujusmodi exſtaret juſtus hæres & Succeſſor; quoniam in caſu eo, bona ex naufragio habita, noſtræ volumus poteſtati ſubjacere. Vid. Privileg. Incorporat. D. Sigismundi, Anno 1454. §. 7.

NAULUM.

1 Privilegium de naulo.

DIcti Cives terrarum Culmenſium ac Feudales earundem Civitatum de communi conſenſu ceſſerunt, de Jure, quod in Wiſſa ſuper navigio hactenus habuerunt, ipſum cum omni utilitate Domui noſtræ libere reſignando, hac tamen conditione præmiſſa, quod nos dictum navigium pro ſumma, quanta volumus & poſſumus, locare ſeu vendere debeamus hominibus, quibus voluerimus, qui in Civitatibus, Culmenſi videlicet & Thorunenſi, reſidentes Juſtitiam exhibeant unicuique & accipiant coram Civitatum Judicibus earundem, & Naulum usque ad præſens conſvetum debeamus absque augmento aliquo deinceps obſervare. Hiemali vero tempore, cum fuerit glacies, Fratres de conſilio Judicum & Conſulum earundem Civitatum Naulum ſtatuant, ut eorum diſcretioni videbitur expedire. Statuimus etiam, ut omnes Clerici & Religioſi viri, de quacunque religione exſtiterint, absque omni

omni naulo perpetualiter cum rebus eorum, quas ſecum habuerint, traducantur. Quod ſi quis ex ductoribus navium ex prædictis aliquem traducere auſu temerario contradixerit, leviori culpæ ſubjaceat, quali ſcilicet quatuor ſolidorum pœna conſvevit asſcribi. Vid. Privil. Culmenſ. a Crucigeris datum §. 3.

NAVIS. NAVIGIUM.

Vid. ſupra **Naulum**.

TAntum Civibus majorum & minorum Civitatum naves ducere & exercere licitum eſt, in quas Nobiles & Terreitres ſua propria creſcentia frumenta, & quicquid cenſus nomine acceperint, invehere & deportare poſſint in quaslibet Civitates, tamen renavigando navibus nullas alias merces imponant, ſolummodo quæ ad illorum domus neceſſitatem ſpectant, & debent quoque nautæ indigenæ advenis & peregrinis præferri. Reviſ. l. 4. t. 5. art. 2. Ne in fluminibus terrarum Noſtrarum Pruſſiæ, ab antiquo navigabilibus, quibuscunque obſtacula fiant, ut tam piſcibus quam navibus & lignis liber tranſitus permittatur; bonis ac Juribus noſtris Regalibus & quorumcunque Privilegiis antiquis, & præſcripta conſvetudine, ſalvis. Vid. Conſtitut. terrar. Pruſſiæ à D. Rege Sigiſmundo Anno 1538. § 17. Si quis ex alienis tabulis navem, vel quid aliud fecerit, corpus ex iis tabulis confectum ejus eſt, cujus erant tabulæ, niſi alter juramento comprobaverit, non ſecus ſibi conſcium fuiſſe, quam quod ſuæ eſſent tabulæ, ideoque ſe per inſcientiam ex aliena materia ſpeciem feciſſe. Si ita juraverit, tabularum pretium domino reſtituet, vel alioquin ſatisfaciet, vel etiam ſaltem tabulas illarum loco reponet. Emend. l. 3. c. 4. Correct. l. 5. c. 71. Reviſ. l. 3. t. 1. art. 4.

1. Navigatio tantum Civitatibus conceſſa.

2. In fluminibus non fiant obſtacula.

3. Si quis ex alienis tabulis navem fabricaverit.

NECESSITAS.

Quando itineris neceſſitas incumbit. Vid. **Iter. Peregrinatio.**

NEGATIVA.

1. Mulieres impune negant.

MAjoris gratiæ ſunt in Judicio mulieres quam viri. Nam illæ, ſi quæ in Jure verba faciunt, quæ quoquo modo cauſæ vel Juri illorum detrimento fraudive eſſe videantur, modo poſtea inficias eant, nullius teſtimonio refelluntur. Emend. l. 3. c. 61. Vid. plura Tutor.

2. Negativa elidit affirmativam.

Actore nudis tantum verbis litem proſequente, nuda ejus affirmatio, nuda partis conventæ negatione elidetur. Jus Terreſtr. Pruſſ. t. 6. §. 43. in fin. Vid. plura Conteſtatio litis.

NEGLIGENTIA.

Vid. Diligentia. Mutuum. Commodatum. Depoſitum.

NEGOTIORUM GESTIO.

1. Per Factores Principales obligantur.

QUandoquidem in negotiis hominis ac omnimodis variisque mercaturis, non ſolum in propria perſona omnia expediri poſſunt, ideo expoſtulat communis negotiatio & mercatura aliorum quoque hominum auxilia & aſſiſtentiam. Qui itaque aliquem adminiſtrandis ſuis rebus præficit, & negotiationi ſuæ per eum providet, utpote cum navi maritimæ nauta præficitur, ad mercaturam certi factores, & negotiorum geſtores, & his ſimiles, ille tanquam dominus & conſtituens ex illorum contractibus obligatur, illud quod geſſerint vel fecerint acceptum & ratum habere, niſi negotiorum geſtores cum geſtores cum certis mandatis & ad certas res & negotia præſtituti fuerint, neque illis licitum eſt hæcce excedere, & ſi transgreſſi fuerint, eorum propria perſona tenebitur, & nemo alius. Reviſ. Jus Culm. l. 4. t. 9. art. 1.

2. Perfidia Factorum & Scribarum mercatorialium.

Factoribus, vel aliis negotiorum geſtoribus, cum negotiis, mercibus, creditis & bonis perfide agentibus, & ex propoſito dolo malo & fraudulento modo reliquos homines damnificantibus

ficantibus, id pro perfidia cenſendum eſt, & infamiam & honorem ipſorum attingit, illorum etiam res & bona absque præcedenti proceſſu eo caſu arreſtari poſſunt, & ſi eorum ſuppellex & bona ad ſolutionem non ſufficiant, in ſuis perſonis ad exemplum aliorum aqua & pane obſtringi, & carceribus detineri debent. Reviſ. l. c. art. 2. Factore vel negotiorum famulo extra ſuum mandatum & famulitium ſingulare negotium habente, dominus, qui eum ſuis rebus ſolum præfecit, propterea non obligatur. Reviſ. l. c. art. 3.

3. De eo quod Factores ſuo nomine negotiantur.

NEGOTIATIO. Vid. Mercatura.

NEOFORUM.

Judicia Palatinalia ipſi Palatini moderni quater in anno, ſingulis nimirum quatuor anni temporibus, habebunt, eademque quatuor ſeptimanis ante publicabunt. Exercebunt autem illa in Palatinatu Culmenſi, Neofori, in Mariæburgenſi, Stumæ: in Pomeraniæ vero, durante vita moderni Palatini, vel Starogardiæ, vel in oppido Swiecie, vel Tucholiæ, vel Skarſſewiæ. Qui vero in poſterum conſtituentur Palatini, ſingulis quibusque octo ſeptimanis Judicia habebunt, & ita quidem, ut in Culmenſi Palatinatu Radzini ſemper habeantur; in Mariæburgenſi, Stumæ, in Pomeraniæ alternis vicibus Starogardiæ, in oppido Swiecie & Tucholiæ. Jus Terreſtr. tit. 5. de Magiſtrat. §. 6. 7. Interra Michalovienſi ſeptimana una ſemper poſt Culmenſia Judicia, & alternatim, Brodnicii & Neofori celebrantur. Jus Terreſtr. l. c. §. 23.

1. Judicia Neofori.

NEWOD. Species rete.

Si lacus aliquis ad tres tractus ſufficiens agris alicujus Civium Culmenſium adjunctus fuerit, quocunque inſtrumento in eo piſcari voluerit, ad commodum duntaxat menſæ ſuæ præter rete, quod Newod dicitur, habeat liberam facultatem. Privil. Culm. §. 6.

1. Newod interdicitur.

NOBILIS.

1. Nobiles possunt emere bona Civilia.

Civibus bona terrestria & Nobilibus civilia bona liberum sit emere, ita tamen, quod ad paria onera utrinque ferenda sint obligati, quod scilicet Cives ratione bonorum Terrestrium omnia Nobilitatis onera, & Nobiles ratione civilium bonorum, omnia civilia onera æquis passibus ferat. Vid. Constitut. Terrar. Pruss. D. Sigismundi Regis Anno 1538. §. 20.

2 Nobilis carcere Civili innodatus.

Cum aliquis Nobilis decreto publici conventus, Judicio Palatinorum aut Terrestri capitur, quod sub certis pœnis in potestatem aut carcerem civilem non tradatur, sed in manus Palatinorum. Si quis autem in Civitate, ubi nulla arx est, capitur, & auctoritate conventus, Palatini aut Judicii in carcerem civilem conjicitur, in potestate eorundem, & non civitatis permaneat; fidejussoria autem cautione a carcere hujusmodi liberetur, nisi causa fuerit criminalis. l. c. §. 15.

3. Nobiles nullos Cives, & Cives nullos Nobiles arrestare debent.

Et sub pœna viginti florenorum Hungaricalium, quorum medietas Palatino, altera parti læsæ cedat, absque ulla remissione persolvenda, Nobiles & eorum subditi, authoritate seu potestate civili non capiantur, detineantur, aut arrestentur. Nec Nobiles auctoritate propria capiant aut detineant cives vel eorum subditos, sed unusquisque coram Judice suo ordinario conveniatur, & Justitiam requirat, nisi in casibus recentibus & actionibus criminalibus prout pax perpetua disponit, statuens, quod delinquens in loco delicti deprehensus & contrahens de contractu recenti in loco contractus poterit conveniri. l. c. §. 16.

4 Domus nobilitaris.

Proscriptus poterit capi, ubicunque inventus fuerit, præterquam in domo Nobilitari, in qua sine permissu Patrisfamilias neque ab Officio ullo capi poterit. Quod si Dominus domus ipse permiserit, sine injuria aut damno ullo illius fieri id debebit; si non consenserit, protestatione interposita, ad Officium Palatinale citari poterit; convictus complicitatis eidem pœnæ subjacebit, cui Proscriptus ipse subjectus fuit. Jus Terrestr. terr. Pruss. tit. 6. d. litis expens. §. 10. Nobiles a tortura sunt exempti, Revis. lib. 5. part. 1. art. 3.

NOMEN.

NOMEN.

1. Pœna inſimulati nominis.

QUi ſibi ipſi nomen alienum vel cognomen dederit, vel alioquin cujuscunq; ſtatus glorietur ad defraudandum alios homines & decipiendos, is falſum committit, & pro qualitate perſonarum & circumſtantiarum arbitrarie punitur. Reviſ. l. 5. p. 2. t. 17. art. 7.

NOTARIUS.

1. Notarius Palatini.

NOtarius Palatini Nobilis, poſſionatus, juratusque ſit. Quod ſi plebejum aut impoſſeſſionatum habuerit, ille itidem juratus ſit: factum autem ejus, ſi qua in re peccaverit, Palatinus præſtabit, de eoque conventus reſpondebit. Jus Terreſtr. terrar. Pruſſ. tit. 5. §. 14.

2. Sportulæ Notarii Terreſtris.

Notarius tam Judicii Terreſtris, quam Palatinalis, a quibuscunque ſcriptis, quæ in libros referentur, aut ex iis edentur, non majus ſalarium accipiat, quam ſequenti æſtimatione præſcribitur. A reſignatione perpetua, triginta groſſos: a dotalitiis & advitalitiis obligationibus, totidem: ab obligatione quacunque, qua ſe ad dandum vel aliud faciendum aliquis ſe obligat, duodecim groſſos: a pœna contumaciæ, a prorogatione termini ſeu limitatione ex conſenſu partium, a renunciatione Miniſterialis, proteſtationibus, arreſtis Judicialibus, aliisque actibus ſimilibus, ſenos groſſos: a ſententia definitiva, groſſos duodenos, cujus quidem ſalarii tertia pars Notario; reliquæ duæ Judicio obvenire debent. Ab extractu autem ex Actis ſoli Notario de ſingulis paginis plene ab utraq; conſcriptis quini groſſi ſolventur. l. c. §. 36.

4 Notariorum publicorum abrogatio.

Publicorum Notariorum, qui contrariis Inſtrumentis ſæpe cauſas intricabant, uſu abrogato, in locum illorum Miniſteriales Terreſtres ſubſtituimus, qui, duobus Nobilibus adhibitis, quæ Judiciali denunciatione aut atteſtatione opus habebunt, exequentur. l. c. §. 38.

4. Regeſtrum Notarii.

Cum Judicium aliquod ordinarium celebrabitur, ſive Terreſtre, ſive Palatinale, eadem die, in quam Judicium incidit, Notarius Judicii copiam ſui facere tenebitur: ad eum partes no-

nomina & caufas deferent, qui Regeftrum omnium litigantium, nulli favendo, ita ut qui prior eum appellaverit, prior in album referatur, confcribet, idque publice ad valvas loci, in quo Judicia celebrantur, proponet. Terreftr. Jus tit. 6. d. Proceff. in Cauf. Civil. §. 18.

5. Auctoritas Notariorum publicorum. Publica inftrumenta Notariorum, fi modo illa cum affiftentia teftium & confcriptione & annotatione totius caufæ, cum omnibus fuis circumftantiis, & quicquid alias de Jure ad talia inftrumenta neceffarium fit, provifum fuerit, fic ut pro validis fufcipienda & ufurpanda fint; tunc eatenus, quatenus ifti Notarii non folum ratione illorum creationis ab his poteftatibus, quibus de Jure competit, verum etiam ab ordinario Magiftratu loci, in quo ifta inftrumenta concepta & confecta funt, fuæ legitimationis & legalitatis fufficientem probationem habeant. Revif. l. 2. t. 19. art. 3. Vid. plura **Expenfæ. Documenta.**

N O X.

1. Nox hofpitis. SI hofpes quem conveniat, Jus illi dicendum eft poft noctis interftitium, quatenus Jure hofpitum uti velit. Emend. l. 2. c. 40. Correct. l. 2. c. 41. Revif. l. 2. t. 14. art. 4. Si quis conveniatur ob alimenta feu cibaria fibi præftita, de quibus hofpiti nondum fatisfecerit, magis eft, ut is qui efculenta poculentave præbuit confcientiæ fuæ religione debitum comprobet, quam ut is, qui alitus eft, poffit inficiari. Si ille Jusjurandum dederit, ea alimentorum caufa eft, ut poft interftitium noctis debitum hofpiti fit exfolvendum. Emend. l. 4. c. 42. Correct. l. 3. c. 69. Revif. l. 3. t. 6. art. 4. Vid. plura **Vefper.**

NUMISMA.

Vid. **Moneta. Marca.**

NUNDINÆ.

NUllus Civis vel in Nobilium vel rusticorum villis frumenta emere debet, sed omnia ad Civitates devehenda & deportanda sunt; proinde Sigismundus Primus statuit & ordinavit, quod ubi aliquæ emptiones mercium extra forum factæ & contractæ sint, illæ merces venditoribus & emptoribus equi & currus ab Officialibus adimi & confiscari debent, exinde Fisco tertia pars, altera pars Capitaneo loci, & una pars Civitati, quæ talia mercimonia deprehenderit & detinuerit, addici debet; Et Capitanei id sub pœna 500. fl. Polonicalium Fisco pendendorum & exsolvendorum id exequi tenebuntur, nec ullæ etiam nundinæ in pagis tolerari, sed in Civitates, ad quas spectant, remitti debent; Omnes circumforanei, nullibi in regione possessiones habentes, utique non tolerari debent, sed cum ademptione mercium sunt puniendi. Revis. l. 4. t. 5. art. 2. Vid. plura Mercatura. 1 In pagis non sint nundinæ.

NUNCIUS.

QUando S. R. Majestas (Constit. 1538.) particulares Conventus Nobilium in uno quolibet Palatinatu, Culmensi, Mariæburgensi & Pomeraniæ celebrantur, quos Palatini pro antiqua consvetudine in quolibet districtu sui Palatinatus in certum quendam locum & diem publicare & inscribere debent, ad hunc finem, ut ibidem Nuncii ad generalem conventum eligantur. Alias etiam Palatinis liberum est pro eligendo Officiali absente vel alioquin ex necessaria & relevante causa Palatinatum convocandi, quod tum in Culmensi districtu Radzini, in Mariæburgensi Stumæ, in Pomeraniensi Stargardi, fieri debet. Quicunque ad ejusmodi Conventum vocatus non venerit, mulctam duarum marcarum pendere debet, quarum una Palatino istius loci, altera communi ærario Terrestri cedere debet. Attamen ab hac excipi debent Consiliarii Terrestres tam de Nobilibus quam de Civitatibus. 1 Electio nunciorum Terrestrium.

Revis. l. 1. t. 3. art. 2. Vid. plura Impedimentum legale.

NUPTIÆ.

1. In hæreditate expensæ nuptiales defalcantur.

Quando Parentes liberos suos elocant & in nuptias expensas faciunt, post eorum obitum, quando ratione earum nulla expressa dispositio invenitur, ut Parentum voluntas hinc inde colligi posset, tunc ejusmodi expensæ secundum normam æquitatis sunt computandæ, & isti, cujus gratia sunt factæ, in exdivisione sunt defalcandæ. Revis. l. 3. t. 11. art. 3. Quilibet viduus & vidua, priusquam ad secunda vota migraverit, ante diem nuptiarum liberis vel cæteris defuncti mariti vel mulieris, secundum religionem herciscundæ familiæ, nisi Juramenti gratiam liberi vel hæredes ipsis fecerint, hæreditatis divisionem præstanto: Ni faciunt, juxta cujusce loci plebiscitum vel consvetudinem puniuntor. Emend. l. 3. c. 44. Revis. l. 3. t. 10. art. 12. In nuptiis luxus & superfluitas est prohibita. Revis. l. 1. t. 10. art. un. Vid. plura Vestitus.

2 Familia herciscunda ante nuptias.

OBITUS. Vid. Mors.

OBLIGATIO.

Vid. Stipulatio, Sponsio, Chirographus.

OBEDIENTIA, Vid. Relegatio.

OCULUS.

Vulnus oculorum, Vid. Vulnus.

OFFICIUM.

Officium Palatini. Vid. **Palatinus.** Officium Capitanei. Vid. **Capitaneus.** Officium Sculteti. Vid. **Scultetus.** Officium suum nemini debet esse damnosum. Jus Terrestr. tit. 3. §. 16. Personæ in Officio constitutæ immunes sunt a tutela. Revis. l. 4. t. 14. §. 12. In Criminalibus, quicunque Officio fungitur, non est torquendus. Revis. l. 5. p. 1. t. 17. art. 3. De electionis voto non repudiando. Vid. **Consulatus.** Si quis Consul, Scabinus, vel quis alius, Civitatis Officiis vel ministerio, corporis vitæ vel bonorum damnum perpessus fuerit, quatenus Consules affirmant, calamitatem illi causa Civitatis accidisse, is qui dedit damnum, tanti luito, quanti plebiscito constitutum est. Si Plebiscito cautum non sit, Consules in expensas pro personæ causæque rationibus, tanti quanti videbitur, auctorem condemnanto. Si damni auctor non appareat, Civitas ipsa, cujus causa damnum datum est, ex æquo & bono compensato. Emend. l. 1. t. 14. Correct. l. 1. c. 7. Attestatio Officii, vid. **Attestatio.**

1. Si quis in Officio damnum patitur.

ONUS.

Vid. Privilegium Culmense sub v. **Culma.** It. Privil. Incorporationis sub v. **Casimirus.**

OPIS. Vid. **Auxilium.**

OPIFEX.

Ut opifices in Civitatibus, ita & Civitates cum illis crescunt. Antiquitus ordinatum est, ut in pagis & suburbiis sub Arcibus sitis, vel alioquin in fundo Castrensi, nullus opifex, alias Benhaza, tolerari debet. Si vero sit aliquis ex Nobili-

1. Opifices tantum ad Civitates pertinent.

bus, qui aliquo Magiſtro Opifice, vel ejus ſodalitio indigeat, licitum illi ſit, talem ex Civitatibus ad ſe poſtulare. Sin vero quis in fundo Caſtrenſi, vel alias in provincia opificium ſuum exercere velit, id a Contuberniis hujusce opificii in Civitate contigua Contubernium ſolito modo poſtulare debet, & virtute hujusce opificii, legibus ſubjacere. Reviſ. lib. 1. tit. 7. art. 1. Nullus contubernalis ſocius aliquem ex quacunque cauſa in peregrinas Civitates expoſtulare aut avocare debet, ſed omnes res in Boruſſia componi debent, ſub pœna decem marcarum, quam pendere tenebitur, qui huic contravenerit, nec non etiam hic ſuo adverſario omnia damna emergentia & expenſas factas vel fiendas refundere debet. Nullus utique famulus ſodalitius ullas novas fictiones aut leges facere debet, quibus ſuo Magiſtro ſuum opificium deponere velit; id proterve & contumaciter faciens, amputatione capitis coercendus eſt. Si quis illud ignoranter fecerit, is pœnam vel mulctam luet. Quando contubernalis alterum injuria verbali affecerit, non injuriatus, ſed alter qui alicui injuriam objecerit & expoſtulaverit, tenebitur literas teſtimoniales afferre, & contra hunc, quem ita infamaverit, objecta crimina deducere. Reviſ. l. c. art. 2. Nullus famulus contubernalis diem lunæ vel reliquos dies operarios feriare debet, ſi non ordinariæ feriatæ dies in haſce dies inciderint, ſub pœna trium marcarum. Reviſ. l. c. art. 3. Vid. plura **Aurifaber, Stannifaber.** Vir bonus qui Civis eſt, & intra Civitatis mœnia larem collocavit, ſive annonam publice venalem habeat, ſive opificium honeſti nominis exerceat, in Senatum legi poteſt, ſi ita videbitur illis, quibus optandi Jus competit, pro juris jurandi ſui religione. Qui vero electus eſt, quantum ad ordinis ſui, vel opificii profeſſionem attinet, eodem Jure cum cæteris ejusdem ordinis Civibus cenſetur. Emend. lib. 1. cap. 4. Correct. lib. 1. cap. 4. Reviſ. lib. 1. tit. 1. art. 8.

2. De evocationibus, injuriis & moribus ſociorum

3. Feriæ Opificum.

4. De Opifice in Senatum legendo.

OPPIGNORATIO. Vid. Pignus.

OS. Os vulneratum. Vid. Vulgus.

OTIUM.

OMnes otiosi impossessionati, nulla honesta negotiatione vel manuum labore victitantes, neque ullo relevante impedimento ab laboribus præpediti, post præmissam præmonitionem, quando de eorum vita delatio fit, primo ad quadrantem anni catenis ferreis illigati, & ad laborem cum aqua & pane a Magistratu loci usurpandi sunt ; quo neglecto, & posito postmodum de novo spatio quadrantis una absque famulitio si sint permansuri & circumvagaturi, tunc ad spatium totius anni peractæ pœnæ subjacere, & tandem hoc quoque spre.o adminiculo, deque novo per quadrantem anni circumvagentur, virgis cæsi ex districtu hujus loci perpetuis temporibus relegari & deportari debent. Revis. lib. 1. tit. 8. art. 6.

1. De Coercitione otiosorum.

OVIS.

Ovium emptio & elocatio. Vid. Locatio.

POENA.

SI Senatus Civem accuset ob delictum adversus Civitatem & Plebiscita commissum, isque se gratiæ ejus dediderit, Senatus si volet gratiam delicti facere, & pœnam leviorem imponere, vel totam condonare, suo poterit arbitrio. Emend. lib. 1. cap. 12. Revis. lib. 1. tit. 2. art. 13.

1. Remissio pœnæ.

PAGUS.

De Mercatura & opificibus in Pagis. Vid. Mercatura. Opifex.

PA-

PALATINUS.

1. Palatini Vice-Palatinus. Cum Palatini ob negotia, tum Reipublicæ quam sua, vacare interdum Judiciis non possint, integrum eis erit habere Vice-Palatinos, qui quidem sint nobiles, indigenæ, & ibidem possessionati. Vid. Jus Terrestr. terr. Pruss. tit. 5. d. Magistrat. & Judiciis §. 1.

2. Palatinalia Judicia. Exercebunt autem Judicia singulis quatuor septimanis; in Palatinatu nimirum Culmensi prima mensis cujusque die, durante quidem vita moderni Palatini, alternatim & Neofori & Radzini: Illo vero decedente, Radzini tantum: in Mariæburgensi, septima ejusdem mensis Stumæ: in Pomeraniæ, decima quarta, idque Starogardiæ, in oppido Swiecie & Tucholiæ alternatim, durante autem vita moderni Palatini Skarssseviæ, post decessum vero ipsius, non nisi in tribus locis illis superioribus, Skarssevia omissa. Quod si in diem Festum aliquis ex diebus istis inciderit, die sequenti Judicia ordiantur. A Festo autem D. Margarethæ ad Festum exaltationis St. Crucis, Jura prorsus omnia sistantur, & sileant, excepta Executione rerum judicatarum, & causis ex inscriptione venientibus, quas sine ulla exceptione temporis ac dilatione judicare semper tenebuntur. l. c. §. 2.

3. Causæ competentes ad Palat. Judicabunt autem causas tantummodo civiles: Recognitiones quoque atque inscriptiones quascunque recipient, & rem judicatam exequentur. l. c. §. 3.

4. Vice-Palatinorum Juramentum. Vice Palatini in primis Judiciis, quæ habebunt, juramentum in hæc, quæ sequuntur, verba, præsente Nobilitate, præstent, juramentumque hoc illorum in Acta publica referatur: Ego N. juro, quia juste secundum DEum, Jus scriptum, æquitatem, & Partium controversias judicabo, recognitionesque suscipiam, divitis & pauperis, amici & inimici, civis & peregrini, discrimine sublato: Et neque favorem, neque odium, neque præmium, neque minas, aut inimicitias aliorum curabo, sed judicando solum DEum, & Jus scriptum, æquitatem, Partium controversias, & recognitiones, in hisque omnibus conscientiæ meæ Judicium sequar & audiam, rem judicatam fideliter exequar, aliaque negotia mihi incumbentia pro posse meo faciam:

Sic

Sic me DEUS adjuvet, & Sancta Christi Crux.

l. c. §. 5. Judicia autem Palatinalia ipsi Palatini, moderni quidem quater in anno, singulis nimirum quatuor anni temporibus, habebunt, eademque quatuor septimanis ante publicabunt. l. c. §. 6. Exercebunt autem illa in Palatinatu Culmensi Neofori: in Mariæburgensi Stumæ, in Pomeraniæ vero, durante vita moderni Palatini, vel Starogardiæ, vel in oppido Swiecie, vel Tucholiæ, vel Skarsseviæ. Qui vero in posterum constituentur Palatini, singulis quibusque octo septimanis Judicia habebunt, & ita quidem, ut in Culmensi Palatinatu Radzini semper habeantur, in Mariæburgensi Stumæ; in Pomeraniæ alternis vicibus Starogardiæ, in oppido Swiecie, & Tucholiæ. l. c. §. 7. Judicare possunt ea omnia, quæ & Vice-Palatini, ac insuper causas bannitionum, invasionis domesticæ, & quæcunque ex præscripto Constitutionum Terrarum Prussiæ ad illorum Judicia spectant. l. c. §. 8. Palatini imprimis Judiciis suis iisdem, quibus Vice-Palatini verbis juramentum corporale, præsente Nobilitate præstabunt, idque juramentum ad Acta publica referetur. l. c. §. 9. Ego N. juro, quia juste secundum DEum, Jus scriptum, æquitatem, & Partium controversias judicabo, recognitionesque suscipiam, divitis & pauperis, amici & inimici, civis & peregrini discrimine sublato: Et neque favorem, neque odium, neque præmium, neque minas aut inimicitias aliorum curabo, sed in judicando solum DEum, & Jus scriptum, æquitatem, Partium controversias & recognitiones, in hisque omnibus conscientiæ meæ Judicium sequar & audiam, rem judicatam fideliter exequar, aliaque negotia mihi incumbentia pro posse meo faciam: Sic me Deus adjuvet & Sancta Christi Crux. l. c. §. 10. Judicium causamve nullam Palatinus vel Vice-Palatinus prorogare, diemque Judiciis præfinitum proferre poterit, nisi forte utriusque Partis consensu & postulatu id fiat: Mulctas etiam nullas, nisi quæ vel Jure expressæ sint, vel in quas nominatim quis sese obligavit, decernet. l. c. §. 11. Si privato cum Palatino in causa ad Judicium Palatinale pertinente

5. Incidentia Judiciorum.

6. Ubi Judicia celebrentur.

7. Causæ ad Palatinum pertinentes.

8. Palatini Juramentum.

9. Prorogatio termini.

10. Mulctæ.

11. Ubi Palatinus conveniatur.

tinente controversia intercesserit, Palatinus apud vicinum Palatinum respondere debet, utrum Actor elegerit, is de controversia cognoscere, & rem judicatam exequi tenebitur.
12 Pœna Palatini Officium negligentis. l. c. §. 12. Si Palatinus ejusque Vice-Palatinus causas officii sui statis temporibus non judicarint: Decreta tam a se lata, quam ab aliis quibusvis Judiciis ad se remissa non executus fuerit, aut quo alio modo contra Officium suum peccarit, metasve ejus excesserit, eo nomine ad Tribunal Regni citatus, prima vice pœnam centum Aureorum committet, altera vice in damnis condemnabitur. l. c. §. 13.
13. Notarius Palatini. Notarius Palatini eodem modo Nobilis, possessionatus, juratusque sit. Quod si plebejum aut impossessionatum habuerit, ille itidem juratus sit: factum autem ejus, si qua in re peccaverit, Palatinus præstabit, de eoque conventus respondebit. l. c. §. 14.
14. Cognitio Juris Palatini. Palatini causas ad Jus Terrestre spectantes, nisi de consensu Partium, judicent, & provocantes ad Judicium Terrestre remittant, exceptis causis levioribus, quæ valorem videlicet decem marcarum non excedant. Hæ quidem sine strepitu Judicii de simplici & plano ab eis componi possunt. in causis autem sanguinis & facto recenti deprehensis, indilatam Justitiam ministrent, nec Partes contendentes ad componendum amice inter se controversiam cogant, nec ullas pœnas exigant, nisi per Judicium decretas, quarum pœnarum tertia pars Judicio Terrestri, reliquæ duæ partes Palatino loci cedunt. Constit. Terrar. Pruss. D. Sigismund. R. Anno 1538. §. 4.
15. Forum Palatini. Palatini & Capitanei citati tam in Judicio Terrestri, quam Conventuum Publicorum, respondere sint obligati, exceptis Actionibus super bonis nostris Regalibus emergentibus. Capitanei autem juxta continentiam Privilegii Terrarum Prussiæ sint indigenæ possessionati, ratione quarum possessionum si bona Terrestria fuerint, Judicio Terrestri sint subjecti. l. c. §. 5.
16. Executio Palatini. Cum frustra sententiæ ferantur, nisi legitimæ executioni demandentur, volumus & irrefragabili Constitutione sancimus, ut deinceps unusquisque, cujusvis conditionis aut eminentiæ fuerit, rei judicatæ sine omni contradictione cum effectu pareat & obsequatur. Alioquin locorum Palatini,

tini, nullo alio mandato expectato, legitimam executionem faciant, adjuncto sibi, ubi causæ conditio id postulaverit, Capitaneo & Nobilibus illius districtus, aut etiam si necessitas exegerit, omnibus & singulis Vasallis nostris, seu Nobilibus illius Palatinatus, quos ad assistendum illi sub jurisjurandi debito & amissione Feudorum obligatos esse decernimus. Si vero majori potentia sit opus, negotium hoc ad nos referri volumus ut opportunis rationibus rebus provideamus. l. c. §. 11. Palatinos similiter ad hujusmodi executiones faciendas, Justitiamque oppressis ministrandam, jusjurandum nobis præstitum adigat, quos etiam, si remissiores fuerint, quinquaginta florenorum Hungaricalium pœna plecti volumus, cujus mulctæ medietas parti, cui Justitia denegata est, altera vero medietas ærario publico Terrarum Prussiæ cedat. l. c. §. 12. Palatini & Capitanei, quisque in suo Palatinatu & Capitaneatu diligenter fines terrarum observent, ne prædones & grassatores ingrediendo & egrediendo impune grassentur. l. c §. 24. Mandamus, & ita omnino habere volumus, ut Palatini debitores decimarum aratralium, & quorumvis Ecclesiasticorum proventuum censuras contumaciter sustinentes ad hujusmodi debitorum solutionem remediis opportunis compellant, ne Ecclesiastici proventibus suis fraudentur. l. c. §. 29. Causas civiles Judicium Terrestre omnes judicabit. Interpretantes igitur Constitutionem, quæ in violentos olim lata fuit, statuimus, ut si quis in domum, vel possessionem alterius invaserit, in publicis vias insideas posuerit, vim armata manu alicui intulerit, vulneraverit, vel occiderit, ad Palatini cognitionem vis ea pertineat. Jus Terrestr. tit. 5. §. 28. Si vero reali aliqua injuria, ob limites controversos, agro, frumentis, & id genus similibus, damni aliquid dederit, ejusmodi causas non Palatinus, sed Judicium Terrestre judicabit, secundumque exigentiam rei de iis decernet. l. c. §. 29. Vid. plura **Executio. Bannitus.** Ad Officium Palatinale pertinent etiam, sicut & ad Judicium Terrestre, causæ Pupillares. Jus Terrestr. t. 3, §. 11. 14. Vid. plura **Judicium.**

17. Pœna non exequentium

18. Observatio finium.

19. Palatini exigant decimas aratrales.

20. Violentias judicat Palatinus.

21. Causæ Judicii Terrestris.

PALINODIA, Vid. Injuria.

PARENS.

1. Filius Patris idoneus testis non est.

CUm Patri vel ob maleficium vel ob debitum in constituto Judicio controversia movetur, ac eidem testium laudandorum facultas proponitur, ejus filii in testimonium in re Patris dicere non possunt, sive sint emancipati, sive nunc etiam in potestate manuve Patria conversentur. Emend. l. 2. c. 49. Correct. l. 3. c. 38. Revis. l. 2. t. 18. art. 2. De

2. Emancipatio liberorum

Emancipatione liberorum vid. supra. Separat Pater & Mater unum liberorum suorum, hoc est filios vel filias a se cum suis bonis, an permanserint in alimentatione Parentum, nec ne? Si voluerint post obitum Patris vel Matris suam portionem hæreditariam postulare, & æqualem divisionem habere, tunc in divisionem conferre tenetur, mediante suo juramento, omnia bona cum quibus separati erant, si fuerint mobilia bona: Si vero alia fuerint, quæ probari possint, tunc illa ejurare eon debent, & cum tali collatione admitti debent, quamvis eandem divisionem hæreditariam repromiserint, nisi hoc coram Judicio bannito fecissent, vel Jurejurando corporali comprobassent. Revis. l. 3. t. 11. art.

3. An expensæ in liberos factæ sint defalcandæ?

2. Pater & Mater sumptus in suum filium ad negotiandum vel alia honesta opera vel opificia impendens, quatenus bene collata fuerint, illa omnia in futura exdivisione non erunt deducenda, nec eadem in toto conferenda, sed pro bonorum virorum arbitrio, & qualitate bonorum, æquitas æstimanda est, imprimis ideo: quia etiam alias Parentes liberis debita alimenta subministrare, nec non apud se in domo pro necessitate sustentare teneantur; nisi filius probare poterit, Parentum omnimodam sententiam omnia illa donandi fuisse; quod alias in nuptias liberorum nec non res similes impensum fuerit, nec ulla Parentum dispositio seu expressa voluntas ratione harum impensarum inveniatur, qualiter cum hisce pro-

procedendum & tenendum ſit, tunc ejusmodi ſumptus pro qualitate æſtimandi, & huic in quem ſunt collati, in diviſionem manent deducendi. l. c. art. 3. Filius pro maleficio patris, poſtquam is vita defunctus eſt, actionem nullam patitur. Pater pro filio, qui facinoris accuſatur, non niſi ſemel intervenire poteſt, donec ejus manui poteſtatique filius adhuc eſt ſuppoſitus, ſic ut Jurejurando filii crimen purget, niſi evidentius ipſo facto redarguatur. Si Pater & filius ejusdem criminis rei peraguntur, Pater filium maleficio ſolvere vel eximere nequit, priusquam ſemet ipſum purgaverit. Emend. l. 5. c. 11. Correct. l. 3. c. 74. Si Pater in Judicio filium in ſacris ſuis conſtitutum defendere volet, & poſtquam ad Juramenti deciſionem ventum fuit, cauſa ceciderit, uterque tam Pater quam filius accuſationi ſunt obnoxii, Pater vero ſemet eximere poterit æſtimationis mulcta, hoc eſt Wergeldo, quod vocant, integro, ſi cauſa capitalis eſt; dimidio autem, ſi manus mutilationem concernit, exſoluta. Hanc pecuniam Actori dato, & ſuam inſuper mulctam luito. Actor autem nihilominus cauſam adverſus filium proſequi ne prohibetor. Emend. l. 5. c. 12. Corr. l. 3. c. 75. Si filius rem vel pecuniam Patris ludo prodigerit, Pater id, quod filius prodegit, recte vendicabit. Sin autem filius poſt vigeſimum primum pubertatis annum rem propriam vel peculiarem ludo vel alio more improbato perdiderit, ſui ipſius id detrimento eſto. Emend. l. 5. c. 89. Correct. l. 5. c. 54. Reviſ. l. 5. p. 2. t. 22. art. 3. Contra Parentes liberi non habent locum ſtandi in Judicio Terreſtr. t. 6. §. 2. De Proceſſu in Cauſ. Civil. vid. plura Exhæredatio, Teſtamentum, Donatio, Hæreditas, Tutor, Diſcipulus, Coercitio,

4. Quatenus Pater pro filio intercedat.

5. Si Pater defenſionem filii non peregerit.

6. De filio qui rem Patris ludo prodigit,

7. Liberi non habent locum ſtandi contra Parentes,

PAROCHIA.

PArochiam in Culmenſi Civitate dotavimus quatuor manſis, juxta Civitatem, & aliis quadraginta, ubi eisdem fuerint demonſtrati. Parochiam vero Thorunenſem dota-

1. Parochia Culmen.

2. Thorunen.

vimus quatuor manſis juxta Civitatem, & aliis quadraginta, ubi ei fuerint aſſignati, & in eisdem Eccleſiis Jus Patronatus

3 JusPatronatus & dotatio.

Noſtræ Domui retinemus, eis in Plebanis idoneis proviſuri. Cæterum ſi aliquæ Parochiæ in villis ſupradictorum Civium fabricatæ fuerint, ſi tum villarum ſingulæ earundem octoginta manſos, vel amplius habuerint, promiſimus Parochiarum quamlibet prædictarum quatuor manſis de Noſtra ſpeciali parte dotare, & Jus Patronatus habebimus perpetuo in dotatis, eis etiam idoneis Sacerdotibus proviſuri. Vid. Privil. Culm. §. 5.

PASQUILLUS. Vid. Famoſus libellus.

PASTOR. PASCUA.

1. De pecudibus Paſtori committendis.

NEmo pecudem domi detineto, quæ paſtum ſequi poteſt, exceptis ſcrophis, quæ nefrendes & porcellos lactantes alunt: ſed eas interim etiam ſic includito, ne quam noxam noceant: Nemo peculiarem paſtorem conducito, quo merces ejus, qui communitatis eſt, deterior fiat, niſi tres agri manſos, ſeu proprios, ſeu clientelæ beneficio poſſideat, vel niſi Deo domus dicata ſit: His enim Jus eſt, peculiarem gregibus ſuis paſtorem præficiendi. Ubi paſtoris merces in manſos conſtituta eſt, non in pecudum capita, nemo mercedem differto, ne pago paſtor deficiat. Quamcunque paſtor pecudem abegerit niſi domum vel in pagum ſaltem reverſa fuerit, eam ipſe luito. Si quam pecudem lupi vel latrones rapuerint, & paſtor ab iisdem ſalvus evaſerit, vim autem clamore conteſtatus ſit, ejusque teſtationis auctores habeat, hoc illi ne periculo neve fraudi eſto. Si pecus pecudem ſi in paſtu ſunt, mutilaverit, vel proculcaverit, & de damno iſtoc paſtor ſuſpectus eſſe ceperit, pecudem, quæ noxam nocuit demonſtrato, & ab ea nocitum eſſe jurato. Dominus pecudis noxæ pecudem vulneratam domi ſuæ curato & paſcito; quoad ipſamet paſtum ire, & gregem vel armentum ſequi

cum

cum cæteris valeat. Si pereat interim, æstimationem ejus, uti constitutum est solvito. Cum pastor in suspicionem vocatur, quasi pecudem ad pagum ex pastu non reduxerit, siquidem reductum juret, a culpa immunis esto. Si quis autem pecudem suam non reverti animadverterit, e vestigio pastorem adierit, ac duobus testibus præsentibus, sive viri sive mulieres sint, pecudem amissam obnunciaverit, pastor religioni suæ ne committitor. Si pastor neget pecudem secum in pastum exivisse, potius admittendum est, ut dominus duorum, seu virorum seu fœminarum, qui pecudem exire viderunt, testimonio prævaleant, quam ut pastor liquido jurare possit. Emend. l. 5. c. 83. Correct. l. 5. c. 25. Revis. l. 5. p. 2. t. 19. art. 9. Nemo pecudem suam in alieno fundo sine ejus scitu consensuque temere pascito vel circumagito. Qui secus fecerit, toties quoties fecerit, in unumquodque pecoris caput duobus solidis, vel secundum cujusve loci consvetudinem domino fundi damnum æstimamatum præstato. Hoc interdictum temporale est, & a die Georgii usque ad diem Divi Martini profertur, extra quod tempus unicuique liberum est agere animal quo volet, modo ne in sementem vel satum agrum pecudem immittat. Emend. l. 5. c. 82. Correct. l. 5. c. 23. Revis. l. 5. p. 2. t. 19. art. 8.

2. De pastione pecoris in alieno fundo.

Qui pecudem suam in alterius agrum seu pratum depascendi causa immiserit, damnum æstimatum præstato, prout Jure constitutum vel moribus receptum est. Si dominus pecudis præsens non sit, cum noxam committit, & pecus pignori capiatur, quatenus damnum in continenti planum fiat, civium vel paganorum instituto dominus æstimationem damni restituito. Si pecus ejus sit conditionis, ut pignori capi vel includi nequeat, puta equi pavidi & feri, anseres vel sues, is qui damnum patitur, arbitros duos adhibeto, illis in re præsenti damnum demonstrato, mox pecudem abeuntem in domicilium suum prosequitor, & dominum pecudis ob pauperiem factam in Jus vocato, atque is æq; damni æstimationem præstato, ac si pecudi pignoris causa manus injecta fuisset. Si pecus ejus sit naturæ vel conditionis, ut facile capi includive possit,

3. Si quod animal alienam segetem vel pratum depascatur.

possit, puta boves, vaccæ, vituli & oves; hasce pecudes is, cui damnum est datum, in proximum Civitatis vel pagi Judicium abigito, ejusdem Judicii arbitrio damnum in re præsenti inspicitor & æstimator; quanti æstimatum fuerit, tanti dominus, cujus pecudes noxam dederunt, intra diem quartum decimum sarcire damnas esto. Si quis pecudem ultra terminos in agro compascuo definitas immiserit, mulcta duodecim solidorum esto. Qui agrum non exaratum neque satum permeaverit, nisi pratum sit, pascendi causa septum, noxam non committit. Emend. l. 5. c. 81. Correct. l. 5. c. 24. Revis. l. 5. p. 2. t. 19. art. 7.

PATIBULUM. Vid. Furtum.

PATRONUS CAUSÆ.

Vid. Advocatus. Mandatarius.

PATRONATUS JUS.

Magister Ordinis in omnibus Ecclesiis Jus Patronatus sibi reservaverat. Privil. Culmens. §. 5.

PAUPERTAS.

Advocatus pauperum, vid. Advocatus.

PAX.

1 Pœna fractæ pacis.

STatuimus, ut nullus Capitaneus, Nobilis, Civis aut quivis alius, cujuscunque conditionis existat, personis, castris, domibus aut possessionibus alicujus ullam violentiam inferre, incursiones facere, in publicis stratis insidias ponere, præsumat: Super his convictus, juxta antiquum Plebiscitum terræ Cul-

Culmensis capitali pœna puniatur. Constit. Terrar. Pruss. D. Sigismundi R. Anno 1538. §. 14. Si in Judiciorum loco aliquem quis vel vulneraverit, vel occiderit, a quocunque comprehensus per Officium Palatinale capitis pœna puniatur; si etiam evaserit, ad idem Officium Palatinale citetur, itidemque capitali supplicio afficiatur. Terrestr. Jus tit. 5. §. 34. d. Magistrat. & Judiciis. Cuilibet etiam absque publicæ fidei suspicione una cum rebus suis commeare Jus est, nisi specialibus literis uti malit. Sin autem in quopiam territorio fortassis belli causa non satis explorata sit securitas, & mercator aliquis de damno sibi publice cavere petat, territorii Domino cavendi potestas est. Verum sive pretio sive gratis hoc impetratum fuerit, mercatori damnum, si quod eo nomine passus est, resarciri oportet. Is qui publicæ pacis cautionem edidit, damnum resarciat, atque hoc Juris esto. Emend. l. 1. c. 15. Correct. lib. 5. cap. 20. Si quis causam ad finem Jure perduxerit, & petierit adversario imponi pacem & silentium a Judice, Judex pacis tenendæ legem præscribito, sic ut ex auctoritate judiciali pacem litigantibus edicat, ac mandet, ne ob eam causam alter alteri molestiam exhibeat, qui secus fecerit, pœnam in contemptores Pacis constitutam committit, alter vero, si recte sibi consultum voluerit, cautio est, ut Scabinis contestandi gratia sportulas præstet, ac petat rem actis publicis adnotari. Hoc pacto Scabini testimonium rei gestæ conservabunt, ex quo hanc in posterum utilitatem ille consequetur, ut si deinceps adversarius negotium eam ob causam fecerit, alter testificatione Scabinorum evincat, pacem vel silentium actionis dictam impositamque, ex quo consequenter adversarius parti læsæ æstimationem injuriæ, Prætori vero mulctam, illi rei dictam exsolvere cogetur, & in posterum ab molestia alteri temere inferenda, merito temperabit. Emend. lib. 2. c. 13. Corr. lib. 2. cap. 40. Revis. lib. 2. tit. 2. art. 5. Si alicui a Magistratu pacis præceptum indictum fuerit, & nihilominus alterum diffamare præsumpserit, ac criminibus prosciderit, tunc pœnam pacis interdicti incurrit, & nihil ominus læso competentem æstimationem

2. Pax Judicii fracta.

3. De securitate pacis publicæ præstanda.

4. De pace tenenda pro causis Jure finitis.

5. Neglectum Pacis præceptum.

tionem præstabit. Revis. lib. 5. part. 2. tit. 20. art. 2. In causa fractæ pacis publicæ etiam die feriata jurare licet. Vid. Feriæ, Juramentum, Plura vid. Rapina, Vis publica.

PECUS. Vid. Animal,

PECUNIA. Vid. Usura, Moneta,

PEDELLUS. Vid. Citatio. Ministerialis.

PENSIO.

1 De Pensione condicenda.

SI locator conductori controversiam faciat ob pensionem anni præteriti non exsolutam, conductor autem debitum inficietur, potior habendus est locator, ad comprobandum jurejurando suo debitum, quam conductor ad negandum. Emend. lib. 4. c. 41. Corr. l 3. c. 68. Spondet quis alteri præsentibus arbitris, Judice & Scabinis in Judicio constituto, pecuniam certo die dandam sine quavis impedimenti exceptione, ejusque sponsionis ergo bonorum omnium hypothecam proponit: aliquando deinde tempore, post eam sponsionem, fundum emit, & ex eo fundo pensionem annuam certo die præstandam, alii in Jure cedit & transscribit, prior creditor debitum suum ex pensionibus fundi, qui post sponsionem emptus fuerat, petere non potest, sed qui pensiones fundi suis deinde nummis acquisivit, Jus suum controversia recte tuebitur. Emend. lib 4. c. 48. Corr. l. 3. c. 100. Quamprimum conductor in domum vel fundum descenderit, consequitur Dominus ratione promissæ pensionis in omnibus bonis illatis & invectis tacitam hypothecam, adeo ut non soluta pensione bona illa in domo arrestare, & præcæteris creditoribus ob suum censum domesticum sibi prospicere possit. Rev. l. 4. tit. 7. art. 6. Vid. pl. Locatio,

2. Quatenus bonorum omnium hypotheca sit accipienda.

3. Favor pensionis.

PERJU-

PERJURIUM.

QUi ſciens perjuraverit, & eam ob cauſam accuſatus fuerit, quæſtionis erat, quid in eum Jure ſtatuendum, & ſiquidem confitetur, ſe perjurium commiſiſſe, vel ſceleris Jure convincitur, infamis eſto, & duobus digitis, quibus religionem violavit, mulctator. Si vero negat, neque convinci poteſt, innocentiam illi ſuam Juris jurando comprobandi Jus eſto. Emend. lib. 2. c. 59. Corr. lib. 3. c. 44. In quamcunque cauſam teſtis quiſpiam producitur, ne pecuniam munusve eo nomine accipito, quod ſi ad Judicem teſtimonii dicendi cauſa ventum ſit, ei contra quem juratur, teſtem illum refutandi Jus eſto, quoniam pecunia muneribusve ad teſtimonium dicendum ſit conductus. Si neget ſibi pecuniam vel munus in eam rem promiſſum datumve, ſacramento innocentiam comprobato. Adverſarius vero teſtibus, quibus id liquido conſtet, evincito, pecuniam illi, munusve datum aut promiſſum, & in eam rem ab ipſo acceptatum. Teſtis hoc modo convictus Judici perjurium duobus digitis luito, & inſuper infamia notator, nec amplius ad dicendum teſtimonium admittitor. Emend. lib. 48. Correct. l. 5. cap. 62. Ubi quis coram Judice aut Judicio perjurus factus ſit, & mediante perjurio bona temporalia lacratus ſit, de hoc convictus ante omnia hæc male parta læſo reſtituere tenebitur, & inſuper duo digiti amputandi ſunt, & infamis redditur. Si vero ſe pejuraſſe neget, & hujus non convincinci poſſet, ab accuſatione liberatur. Reviſ. lib. 5. part. 2. tit. 3. art. 1. Qui in cauſis criminalibus perjurium committit, & ille, contra quem juratum eſt, propterea puniretur, tunc ille qui perjurium præſtitit, eandem pœnam pati debet, quam falſa ſua juratione alteri cauſaverat, & eidem anſa pænæ fuerat. Reviſ. l. c. art. 2. Qui etiam tale perjurium ſcienter & ex propoſito ac dolo malo per perſuaſionem vel munera cauſaverit, is ſimilem pœnam eluere debet. l. c. art. 3. Ut etiam certitudo in cauſis per juramentum finitis aut corroboratis eſſet; nemini ſit licitum fidem juramenti religione interpoſitam

1. Perjurii pœna.
2. Perjurus teſtis.
3. Perjurium lucri cauſa.
4. Qui in criminalibus perjurus eſt.
5. Svaſio ad pejurandum.
6. Defenſio perjurii.

frangere; perjurus prætensus autem in defensione sui debet esse ratione honoris & Juris perfectus, & penes illum irreprehensibiles fide digni testes viri, qui idem, quod conventus de perjurio jurato deposuerat, jure jurando suo comprobent & testificentur. Si vero ejusmodi testes non induxerit,

7. Communis pœna perjurii

tunc eandem pœnam subit, qua alterum incusabat. l. c. art. 4. Quoniam vero causæ non solum per Principales, illorumque juramenta, sed etiam per testium juratas recognitiones finiantur, testis qui ex proposito permisit perjurium, non solum DEum sed etiam Judicem defraudat & partem enormiter lædit; itaque ejusmodi falsus testis in criminalibus causis eadem pœna, qua alter puniri debuerat, merito plecti & coerceri debet: In Civilibus vero læsæ parti damna refundere tenetur & sit infamis & intestabilis. Revis. l. c. art. 5.

PERMUTATIO. Vid. Retractus.

PHILTRUM.

1. Pœna hujus potus.

QUi potus amatorios præparant aut alio modo fructus corporis muliebris abigunt, si vitalis partus fuerit, delinquentes gladio ultore puni debent. Revis. lib. 5. part. 2. tit. 7. art. 4.

PIGNUS.

1. De Jure pignoris.

QUicquid debitor creditori pro assecuratione mutuæ pecuniæ & rei dederit, illud vocatur pignus, & sit in omnibus rebus mobilibus & immobilibus. Cui tale pignus fuerit datum, is illud retinere potest, donec illi totum debitum fuerit persolutum, illud vero tanquam diligens Paterfamilias, & prout suam propriam rem custodire tenetur, alias damnum & periculum sustinebit. Ubi vero extra talem negligentiam & culpam pignus deterioratum, vel prorsus amissum fuerit, tunc creditor nullum damnum sufferre, attamen

etiam

etiam a debitore ſuum debitum poſtulare poteſt, & probare tenetur, pignus absque ſua culpa amiſſum eſſe. Reviſ. lib. 4. tit. 4. art. 1. Cui ab altero aliquo aliquod Jure Pignoratitio inſinuatum & expreſſe in ſcriptis, vel verbotenus coram bonis hominibus comprobatum eſt, is in eo ipſo habet Jus hypothecarium. Minorennes fruuntur Jure hypothecæ in illorum tutorum bonis, prout etiam Civitas & Univerſitas in bonis illius qui Civitatis fundos conducit ſive adminiſtrat. His quibus domus aut ædificium locatum pro cenſu vel penſione obliguntur omnia quæ a conductore in ædes ſunt illata. Quicquid etiam ad neceſſariam ſuſtentationem alicujus rei mutuatum eſt, ad ejusdem refuſionem iſta res tacite illi, qui ad hoc mutuavit, de Jure eſt obligata. Reviſ. lib. 4. tit. 4. art. 4. Si apud aliquem bona condicantur vel conveniantur, & is reſpondeat, ſibi pro pecunia oppignorata eſſe, & denominet ea, proprior erit obtinere prout Juris eſt, quam ut Actor vincere poſſit, ſi modo illa bona in ſua poſſeſſione habuerit. Reviſ. l. c. art. 6. Si quis alicujus bona extra Judicium conſtitutum authoritate Judicis nexu pignoris obſtrinxerit, ejusdem res erit momenti ac ſi in Judicio ſolenniter acto decretum interpoſitum fuiſſet. Pignoris enim nexus, cui Prætor ſuffragium dedit, initium actionis adverſus eum inſtitutæ, qui latitat, quique in Jus venire detrectat, ita nimirum ut Judex adverſario poſtulante, proxima quaque Judicii die bona pignori nexa in Jure teſtetur, & creditor pignoris cauſam ſingulis ordinarii Judicii vicibus proſequatur, ut Jure jam pridem receptum eſt. Quicquid Actor in bonis debitoris lucri fecerit, niſi conventus intra ternas Judicii conſtituti vices bona defendat, vel ſoluta præſtet, id edicto Judiciali in domicilium & poſſeſſionem debitoris, quo redimendi Jus illi ſit integrum, obnunciato. Quod ubi rite obnunciatum fuerit, nec ad rem debitor reſponderit, bona pignori nexa Judex creditori per decretum mancipato, & quaſi pignus ſuum nominatim adjudicato, ille pignus manu captum tribus conſtituti Judicii diebus publice proclamato. Si conventus demum non adfuerit, neque pignus luerit, poteſtas Actori

2. Quomodo pignus acquiratur.

3. Probatio pignoris.

4. De nexu pignoris a Judice extra ordinem decreto.

esto, pignus a Judice & bonorum virorum arbitrio æstimatum, vendendi, & inde debitum suum, quantum liquido probaverit ex bonis mobilibus recuperandi. Sin autem bona sint immobilia, debitori Jus esto, intra diem annuam ea redimendi. Si pignus manu captum solvendo non sit, Judex Actore postulante ad ulteriorem pignorum executionem progreditor, & eodem, quo jam dictum est modo, pignoribus capiendis auctoritatem accommodato. Si pretium pignoris debiti æstimationem excurrat, quod superest debitori restituatur. Emend. lib. 4. cap. 77. Correct. lib. 2. cap. 37. Revis. lib. 2. tit. 24. art. 1.

5. De pignoribus per decretum adjudicatis.

Si bona cujuspiam ob debitum pignori data sint, atque is illa secundum Juris ordinem eatenus evicerit ut per decretum illi pro debiti summa tradantur & adjudicentur, potestas illi data intelligitur, pignora Jure manu capta post diem annuam suo arbitrio, suoque lubitu dispensandi. Emend. lib. 4. c. 78. Correct. lib. 3. c. 80.

6. De pignore non nisi per decretum manu capiendo.

Qui tabernam, vel Officinam, vel macellum, vel pergulam cauponariam vel cujusvis generis fundum emptionis titulo, possidet, sic ut annuam pensionem inde solvere teneatur, quantumvis annuæ pensiones, velut usurarum proventus, fundi pretium excedant, non ideo tamen, si nolit, fundi proprietatem amittit, nisi tabernæ, seu fundi possessio, vel ob suum debitum, vel propter annuas pensiones etiamnum debitas, secundum Juris præscriptum evincatur, & Actori per decretum in debiti sui supplementum addicatur, tum demum enim Actori liberum est cum eo fundo facere vel non facere quid volet. Emend. lib. 4. c. 79. Corr. lib. 3. c. 112.

7. De pignore proclamando

Si quis omnibus constituti solenniter Judicii vicibus actionem crediti nomine continuatam adversus debitorem evicerit, ut Juris ordo postulat, & pignus in eam rem a Judice traditum, manu ceperit, in rebus saltem mobilibus constitutum: nulla videtur Actori necessitas imposita forensi præconio pignus idem inclamandi, sed ex decreto Judiciali potestatem usurpabit pignus manu captum, vel deinceps oppignorandi vel dividendi, pro debito suo, vel pro sumptibus in alimenta honeste expensis, uti prudenter arbitrabitur. Emend. l. 4. c. 80.

c. 80. Correct. lib. 3. cap. 85. Revis. lib. 4. tit. 4. art. 5. Si quis Jure fundum alterius evicerit, sicuti debiti nomine creditori possessio tradatur, liberum erit eidem vel occupare fundum, habitationis causa, vel cuivis alii locare. Quod si debitor intra tempus lege constitutum, hoc est intra diem annuum possessionem ad se revocare volet, non tenetur creditor fundi fructus vel pensiones ex locato perceptos in compensationis rationem adducere. Si cui fundus in pecuniam creditam sponte pignori datus sit, is qui pignus accepit, fructus vel pensiones ex locato perceptæ defalcationis ergo nullam rationem habiturus est, nisi diserte inter contrahentes aliud convenisset. Emend. lib. 4. c. 81. Correct. lib. 3. cap. 86.

8. De fructu pignoris capti.

Quæcunque res commodato vel pignori datur, ita restitui debet, ne deterior sit facta, vel pro ea pretium quo fungitur, æstimatum veniet exsolvendum. Emend. l. 4. cap. 1. Correct. lib. 5. cap. 5.

9. Quomodo pignus restituendum.

Hoc Jus est rerum omnium, quæ alterius fidei committuntur. Quicunque rem alterius, illo petente, vel mandante in custodiam receperit, si res furto sit amissa, ad pretii restitutionem obligatur, nisi una cum rebus suis simul eam perdidisset, vel nisi juramento probet, sine culpa & negligentia sua rem amissam. Nec enim salva fide minorem alienis, quam suis rebus diligentiam præstabit. Idem est, si quis rem sibi pro nummis pignoratum furto perdiderit, ut ad pretii restitutionem teneatur. Emend. lib. 4. cap. 3. Correct. lib. 5. cap. 32. Suos fundos pro debito Creditori suo oppignorare est licitum, attamen ista oppignoratio ut in isto foro, in quo fundus est situs, fiat, necesse est. Correct. lib. 3. cap. 81. Revis. lib. 4. tit. 4. art. 3.

10. Si res oppignorata perdatur.

Si quis alicui rem commodaverit, pignori dederit, vel penes aliquem deposuerit, atque is porro eandem rem tertio pro nummis mutuo sumptis, oppignoraverit, primus a tertio rem ne vindicato, sed eum regreditor cui rem suam commendaverat, pignori dederat, vel depositum crediderat. Emend. l 4. c 7. Corr. l. 5. c. 8. Revisum addit circumstantias: Debitor qui pignus pro certa summa deposuit, meliori pretio ulterius oppignorare potest, attamen ut prioris oppignorationis expresse men-

11 Si res commodata, vel deposita in pignus alteri porro detur.

mentionem faciat, & pro hoc priori creditori in Jure suo hypothecario habito nil decedat, qui semper præferri debet ratione suæ summæ capitalis & provisionis, & postmodum alter residuo fruatur. Adhæc creditor pignus sibi concessum rursus oppignorare potest. Veniens prior oppignorator, conveniens illum, cui pignus postremo est oppignoratum, tunc ipsi respondere non tenetur, sed illum convenire debet cui res suas primo oppignoravit, nisi prior creditor fugitivus, mortuus & ad solutionem impotens nulla bona post se reliquerit, tunc alter creditor post solutum debitum, quod priori antea dederat, debitori pignus cedere debet. Revis. libr. 4. tit. 4.

12. Oppignoratio alienæ rei.

art. 7. Nemo alienam rem in qua nec proprietatem nec legalem possessionem habet, vel alias sibi concredita sit, alicui alteri pro pecunia vel debito oppignorare vel hypothecare potest. Hoc si eveniat, res huic, cui oppignorata est, non obligaretur, & posset is ad quem spectaret, ubicunque deprehenderit, tanquam suam vendicare & postulare. Tamen is cui talis oppignoratio facta est, suum debitum ab oppignoratore requirere potest. Revis. lib. 4. tit. 4. art. 2.

13. Oppignoratio mutui.

Ubi quis ad proprium usum ab altero aliquid commodaverit & commodatum tertio alicui oppignoraverit, tunc commodans possessorem oppignoratarum rerum eo nomine convenire non potest, verum illum cui commodaverat, tenere debet, nisi ille tertius scivisset, rem commodatam ejus, a quo eandem acceperit, non propriam sed commodatam fuisse, tunc Actori postulanti eo nomine respondeat, prout ac si eadem res ab eodem ipsi donata fuisset. Revis. lib. 4. tit. 2. art. 3.

14. Quando una res duobus oppignoratur.

Si cui pignus, prout Juris est, pro debito alicui sit datum, & testimoniis literalibus, vel in locis Judicialibus cautum fuerit, & debitor tale pignus alicui alteri postmodum oppignoraverit, & eidem etiam pignoris realem possessionem dederit, tunc merito etiam prioritate gaudere debet, nec ab altero in sua postulatione, pignoris hypotheca & Jure impediendus est, nisi alter creditor priori suum debitum plenarie deposuerit, & ita pignus in se receperit, tunc prior Creditor eo contentus esse debet. Revis. lib. 4. tit. 4. art. 8.

15. Levatio pignoris.

Debito in totum

totum perſoluto, tunc eo ipſo pignus liberatur, & debitori reſtituendum eſt, niſi Creditor ulteriorem adverſus debitorem condictionem, iſtud debitum concernentem habeat, propterea illud pignus ad finalem ſatisfactionem detinere poteſt. Quod ſi etiam fundus cum bona voluntate pro pecunia oppignoratus fuerit; Creditor uſumfructum vel cenſum, in ſua pecunia defalcare non poteſt, niſi talis conventio proprie inter ipſos facta fuerit. Reviſ. l. 4. t. 4. art. 9. Vid. plura Uſura. Creditor.

PISCATURA, PISCINIA.

SI lacus aliquis ad tres tractus ſufficiens agris alicujus Ci- 1. Newod in-
vium Culmenſium adjunctus fuerit, ſi is, cujus agri ſunt, ter dicitur.
eundem lacum loco agrorum acceptare voluerit, in ſua ponimus optione. Si vero major fuerit, quocunque inſtrumento in eo piſcari voluerit, ad commodum duntaxat menſæ ſuæ præter rete, quod Newod dicitur, habeat liberam facultatem. Privil. Culmenſe *§. 6.* Volumus, quod nullus Digni- 2. Jus piſca-
tariorum aut terrigenarum in lacubus habeat, præter quod turæ.
antiquitus habuit, tempore Magiſtri & Ordinis, neque etiam de illis lacubus ſe intromittat, quorum piſcatura ad Magiſtrum & Ordinem pertinebat, eſto quod lacus prædicti, hæreditates aliquorum contingant vel eis contineantur. Vid. Privileg. D. Caſimiri Regis Anno 1476. Nobilibus, qui habent Pri- 3. Piſcatura in
vilegium piſcandi in lacubus Noſtris Regiis, aut teſtibus fide- lacubꝰ Regiis
dignis probare poſſunt, ſe fuiſſe in poſſeſſione piſcandi, aut quorum limites & ager ſtagnis Noſtris Regiis adjacet, his quidem piſcatio permitti debet, ſed parvis retibus duntaxat, ad uſum & menſam eorum proprium, non autem ad vendendum, ea tamen conditione, ut retia caſtrenſia in hyeme primos habeant tractus, & quod tempore, quando piſces, qui Germanice Breſſen (Polonice Klieſcz) vocantur, ſemen aut fœtum emittunt, nulli liberum ſit in lacubus Noſtris Regiis piſcari, ne hujusmodi piſcium fœtura in augmentando impediatur, ſed nolumus per hunc articulum Tenutariis bonorum

Nostrorum Regalium aliquod præjudicium generari, aut ipsis, seu quibuslibet aliis proprios lacus habentibus, vim aliquam inferri, quo minus Juribus suis & antiquis Privilegiis uti possent. Constit. D. Sigismundi Regis Anno 1538. §. 18. Nemo aquam publicam in pisciniis altius cogito, neve in castellis detineto, quod cum vicini damno fiat, immature, cum tempori interdictum est, emittito. Qui secus fecerit, damnum æstimatum resarcito, & nihilominus loci Magistratui, ob factum contra leges temerarium, ex ejus arbitrio mulctam exsolvito. Emend. l. 5. c. 85. Correct. l. 5. c. 27. Revis. l. 5. p. 2. t. 19. art. 11.

4. De pisciniis & castellis arcendis.

PLAGA. Vid. Vulnus.

PLAGIUM.

1 Pœna plagii.

QUi hominem furatur, furto manifesto semet obstringit, si homo furtivus in ejus potestate inventus fuerit, eodem modo, quo de cæteris modis furtivis, furti convincitur, nec interest, utrum minoris ætatis, an inopiæ excusationem objiciat, sed plagiarius in crucem agatur; cum longe pluris æstimetur homo, quam quivis thesaurus vel alia res pretiosa. Emend. l. 5. c. 69. Correct. l. 5. c. 30. Revis. l. 5. p. 2. t. 16. art. 10.

PLATEA. Vid. Fovea.

PLANTATIO.

1 Plantatio in alieno solo.

SI quis in alieno solo ædificium faciat, vel serat, vel arbores plantet, quicquid ædificatum, satum vel plantatum erit, ad soli dominum pertinebit. Emend. l. 3. c. 3. Correct. l. 5. c. 70. Revis. l. 3. t. 1. art. 3.

PLEBISSCITUM.

QUi contra Plebiſcitum ex conventione publica latum, committit, commiſſum Conſules nomine Civitatis exequi debent, nec hanc in rem ullius alterius Judicis indigent auctoritate. Emend. l. 1, c. 9. Correct. l. 1, c. 11. Reviſ. l. 1. t. 2. art. 11. 1. Conſulatus animadvertit contra contravenientes.

PLENIPOTENS.

Vid. Advocatus, Mandatarius.

PUTEUS. Vid. Fovea.

PODWODEN. Vid. Pruſſia.

POENITENTIA. Vid. Incendiarius.

POMERANIA.

IN terra Pomeraniæ exactionem ſive Daciam, quæ Porcus, alias Narzaſz, veteri inſtitutione Ducum Poloniæ vocabatur, Regia Munificentia tollimus, abrogamus, deponimus, ac ſolutionem illarum perpetuis temporibus reſolvimus, dimittimus & relaxamus, nullo unquam tempore per Nos aut Succeſſores Noſtros Poloniæ Reges, ex quacunque cauſa aut occaſione inſtituendam aut imponendam. Privil. Incorporat. terrar. Pruſſiæ D. Caſimiri Regis Anno 1454. § 7. 1. Narzaſz tollitur. Palatini ſua exercere Judicia in Pomerania debent die decima quarta cujusvis menſis, idque Starogardiæ in oppido Swiecie & Tucholiæ alternatim, durante autem vita moderni Palatini, Skarſſeviæ, poſt deceſſum vero ipſius, non niſi in tribus locis illis Superioribus Skarſſevia omiſſa. Quod ſi in diem Feſtum 2. Palatinalia Judicia.

 ali-

quis ex diebus istis inciderit, die sequenti Judicia ordiantur. A Festo autem D, Margarethæ ad Festum Exaltationis S. Crucis, Jura prorsus omnia sistantur & sileant, excepta executione rerum judicatarum, & causis ex inscriptione venientibus, quas sine ulla exceptione temporis ac dilatione judicare semper tenebuntur. Jus Terrestr. terr. Pruss. t. 5. §. 2. 7.

3. Electio Judicum Terrestrium.

Judices Terrestres eligi debent in locis, Conventibus particularibus destinatis: In Pomeraniæ autem Palatinatu, & terra Michaloviensi in locis, in quibus Judicia celebrari consveverunt, ab universa Nobilitate, in conventibus per Palatinos intra sex septimanas, a defuncti excessu indicendis; qui quidem Judices cum a Rege confirmati fuerint, literis Regiis exhibitis, Juramentum præsente Nobilitate, quæ ad Judicia convenerit, præstare debent. Terrestre Jus l. c. §. 15.

4. Notarius Pomeraniæ.

In Palatinatu Pomeraniæ, in quo Judicia separatim in singulis districtibus haberi solent, uno Notario in omnibus districtibus utuntur, electio Notarii in Conventu Starogrodiensi, ejus rei causa a Palatino post Notarii excessum intra sex septimanas indicendo, haberi debet. l. c. §. 18.

5. Incidentia Judiciorum Terrestrium.

In Pomerania Judicia Terrestria haberi debent in singulis districtibus, bis in anno; & Dirssaviensia quidem Starogardiæ, primò Feria secunda post Festum Circumcisionis Domini; secundò Feria secunda post Festum S. Lucæ Evangelistæ: in aliis itidem districtibus, locis consvetis, ita nimirum, ut Swecensia duabus septimanis Dirssaviensia subsequantur; post Swecensia vero aliorum porro districtuum una septimana invicem se consequantur: Quæ si in diem Festum inciderit, Feria proxima subsequente celebrentur. l. c. §. 23. Positio Actorum Terrestrium in Palatinatu Pomeraniæ eveniat: Starogardiæ, prima die post determinationem Judiciorum post Festum S. Lucæ incidentium: similiter etiam in aliis districtibus hujus Palatinatus observari debet. Jus Terrestr. l. c. §. 24.

POMESANIA.

1. Cives extra regionem suæ

EXpugnatis Pomezanis, omnes Cives & Incolæ terrarum Cul-

Culmensium ab omnibus expeditionibus sunt exempti; ad defensionem tamen terræ, videlicet usq; ad Wissam, Ozzam & Driwanzam cum Fratribus Ordinis procedere tenebuntur, ut prædictum est, contra terræ quoslibet invasores. Privileg. Culm. §. 6. terræ non militant.

POMERELLIA. Vid. Convocatio.

PONDUS.

COnsules potestatem habent judicandi cujuscunque modi fraudem in mensuris, modiis, libris seu stateris & ulnis commissam, nec non mercium omnis generis falsitatem & malitiam vindicandi. Si quis in quavis merce fraudem fecisse convictus fuerit, is secundum uniuscujusce loci plebiscitum ac perpetuam consvetudinem puniatur. Emend. l. 1. c. 6. Correctum pœnam falsi ponderis sancit, ut transgressor convictus, merces amittat, & 36. solidorum mulctam exsolvat. l. 1. c. 6. Revis. l. 1. t. 2. art. 10. In tota regione Borussiæ uniforme Culmense pondus, modii, tonnæ, ulnæ, & reliquæ omnimodæ mensuræ & pondera debent esse, & qui contravenerit, tanquam falsarius puniendus erit. Revis. l. 1. t. 9.

1. De pondere judicat Consulatus.

2. Culmense pondus.

PORCUS. Vid. Narzasz.

POSITIONES. Vid. Testis.

POSSESSIO.

IS habet legitimam possessionem alicujus rei, qui eam habet in possessione, nec aliter existimat, quam se illius Dominum esse & ad ipsum pertinere, vel debet tantum Juris & Dominii in eadem habere, quo plenarius Dominus istius rei effici queat.

1. Possessor quis sit?

2. Nemo Possessioni suæ renunciare cogitur, nisi Jure mediante.

queat. Revis. l. 3. t. 7. art. 1. Possidet quis prædium quod emit, & de quo censum pendit, ac ille census sit magni aut vilis pretii, huic contra suam voluntatem renunciare non tenetur, nisi prædium illud suo nomine, vel Domini census nomine ob non solutum censum Juris ordine evictum fuerit, & Actori, mediante sententia Judiciali adjudicatum & addictum, prout Juris fuerit, tunc ipsi facultas census faciendi datur & tribuitur, quomodocunque voluerit. Rev. l. c. art. 2.

3. Probatio Possessionis.

Ubi quis ratione possessionis suorum bonorum conventus fuerit, & suos vicinos, vel reliquos conterraneos testes habuerit, adeo quod illis innotescat, illum in illa possessione absque impedimento quiete fuisse, tunc merito prædium illud retinere debet, & animus adversarii privandi haud officit. l. c. art. 3.

4. Possessio vi ademta.

Qui rem aliquam Jure possidet, huic absque sententia & Jure non est adimenda, nisi eam ultro cedere velit; ubi vero quis alteri possessionem violenter ademerit, tunc eandem eapropter conventus non solum ante omnia Actori restituere tenetur, sed etiam si Jus aliquod in rem habuisset, illo cadit, si autem nullum Jus habuerit, in tantum, quantum spoliata res valuerit, condemnatus esto. Revis. l. c. art. 4.

5 Privilegium possessionis.

Statuimus, ut si qua forte quæstio contra aliquem de bonis suis orta fuerit, si Possessor vicinos ac alios conterraneos suos, quibus notum fuerit, rem taliter sese habere, & testimonium justæ possessionis habuerit, potius debet obtinere bona illa, quam is, qui eum impetit, ab ipso eadem bona alienet. Privil. Culmens. §. 6.

6. Propter quietam possessionem conceditur amissum privilegium.

Si alicui Civitati, vel privatæ personæ Privilegium amissum fuerit, aliud de Consilio Consiliariorum terrarum Prussiæ gratiose dabimus & largiemur, dummodo in hæreditatis & bonorum, quorum a Nobis petetur literalis innovatio, petens fuerit in pacifica, continua & præscriptionem habente possessione. Privil. Incorp. D. Casimiri Regis ab Anno 1454. §. 7.

7. Palatinus cognoscit ratione expulsionis.

Si quis ex possessione fundi alicujus sive fœminam, dotem in bonis aliquibus inscriptam habentem, sive quemcunque alium, bonorumque quorumcunque, vi aut alio quocunque modo expulerit, ad officium Palatini loci, duabus septimanis ante terminum citatione

posita

posita in Jus vocatus, primum terminum peremptorium habebit. Palatinus autem inquisitione de expulsione cognoscet. Ac si quidem ex possessione ejectum aut motum eum esse apparuerit, nulla de proprietate & dominio cognitione, aut nullis aliis exceptionibus admissis, sed iis ad ordinarium Judicium Terrestre aut forum competens rejectis, nulla mora interposita spoliatum pristinæ possessioni restituet, appellatione tamen directe ad Regni Tribunal salva inter causas Officii cognoscenda. Terrestr. Jus t. 6. c. 2. de spoliat. restit. In processu Graniciario si neutra pars signa notabiliora habeat, neque rivus aliquis aut fluvius intercedat, qui ad minimum per decennium in pacifica possessione se fuisse docere poterit, ei ductus decernetur; si ne de possessione constare possit, a Judicio deputati, pro conscientia sua, vel Actorem vel citatum, moderatione adhibita, ad ductum & Juramentum, si necessarium judicaverint, quemadmodum statutum est, admittent. Jus Terrestr. t. 7. §. 20. Si a debitore possessio per missionem emancipata sit, & bonorum usus interdictus; quoties possessionem usurpat, vel in fundum emancipatum ingreditur, toties mulctam Judici committit, acsi Juris ordine possessionis interdictum aboleverit vel retractaverit. Emend. l. 4. c. 73. Correct. l. 3. c. 87. Cum de fundo possessor moribus deducitur, hoc est cum decreto Judicis interdicitur, vel bonorum usu & aditu abstineat, ejus fundi creditor, quem per triduum & trinoctium habuit adjudicatum, tum deinceps possessionem inito & usurpato, hoc est; cœnato, potato, dormito, tribus deinde constituti Judicii vicibus, quibus singulis quatuordecim dies intercedunt, præconio forensi publice fundum inclamato, quarta vice Judex possessionis securitatem indicito, ac vacuam illi possessionem ex Scabinorum decreto in manum tradito. Quibus solenniter peractis, Jus illi esse fundum vendendi, consensu & æstimatione Judicis interveniente, si quid ultra debitum ex fundo comparatum fuerit, debitori, quantum excurrit, restituitor. Si quid deerit, ulterius ad pignora capienda progrediendum erit, quoad creditori satisfaciat.

8. Possessio limitum.

9. De possessione interdicta.

10. De Jure possessionis evictæ.

Emend.

Emend. l. 4. c. 74. Correct. l. 3. c. 88. Conventio ratione fundorum, Vid. Forum. Vid. plura Hoſpes. Arca. Uſucapio & Præſcriptio. Arreſtum. Vindicatio. Cautio. Alienæ Res. Intromiſſio.

PRÆCEPTOR.

Vid. Diſcipulus. Coërcitio.

PRÆCO. Vid. Miniſterialis.

PRÆDO. Vid. Rapina.

PRÆSENTIA.

Si moribus receptum eſt, ut præſentium non & jam abſentium ratio habeatur. Emend. l. 2. c. 10.

PRÆSCRIPTIO.

1. Anni præſcriptionis. SI quis rem mobilem per triennium & tres dies, id eſt octodecim ſeptimanas, immobilem autem per triginta annos, non vi, non clam, non alieno ſed ſuo nomine, & titulo bonaque fide, pacifice ſineque ulla cujusquam interpellatione poſſederit, ne rerum dominia in incerto ſint, dominium ejus acquirat: neque quisquam poſtea vindicare eam poterit. Quod ſi quis titulum etiam ac bonam fidem dicere non poſſet, bona autem ea per longiſſimi temporis præſcriptionem, quadraginta nimirum annorum ſpatio pacifice & ſine cujusquam interpellatione poſſederit, eodem modo Actioni vindicationive locus amplius non erit. Jus Terreſtr. t. 4. §. 1. 2. Hypothecæ præſcriptio. Quod idem etiam ad hypothecata aut obligata bona pertinere debet, niſi intra quindecim annorum decur-

decurſum ad acta aliqua avthentica, eadem hypotheca aut obligatio renovata fuerit. l. c. §. 2. Si quis cauſa in Judicio inſtituta, aut etiam parte citata eadem infra annum & ſex ſeptimanas non proſequatur, cauſa cadet, eamque præſcriptione amittet: Similiter, ſi decretum in negotio principali obtinuerit, aut etiam ad executionem rei judicatæ proceſſerit, illamque intra annum & ſex menſes non Magiſtratus, ſed ſua negligentia non proſecutus fuerit, decretum id cauſamque totam commemorati temporis proſcriptione amittet; neque iterum reſuſcitare aut revocare in Judicium cauſam eam poterit. Jus Terreſtr. t. 6. §. 12. de litis impenſis. Quod ſi etiam forte citatum ſe a parte aliqua quis diceret, citationemque ejus ad præſcriptionem objiciendam proferret; pars autem a qua citatio profecta dicetur, ſuo ſcitu vel juſſu eam traditam negaret, Juramento corporali de ignorantia ſua præſtito, præſcriptione removeri non poterit. Terr. l. c. §. 13. Res mobiles uſucapiuntur, quas quis ultra annum & diem a præſentibus, ſine Juris interpellatione poſſedit, ſic ut poſſeſſor ſibi conſcius ſit bona fide rem in ejus bonis converſari. Sin autem animus ejus ſibimet ipſi conſcius ſit, malæ fidei titulum ſe tueri, eo, quo nos utimur Jure nunquam poterit uſucapionis frui beneficio, quantumvis longiſſimo tempore poſſeſſionem uſurpaverit. Si quæ ſunt pecudes ex quibus fructum percepit, fructus quicunque, præter expenſas pabuli percepti, ſunt reſtituendi. Si qua cauſa gravior obſtiterit, ad quem hæreditario Jure res pertinere dicatur, quo minus inter præſentes ſit, adventus ejus expectandus erit, ut rem ſuam vindicet. Fundos autem & res immobiles & hæreditates, quas quis annos triginta nec non diem annuam ſine contradictione Judiciali poſſedit, a poſſeſſore avocare nemo poteſt, ſi is bona fide poſſideat. Si autem inter abſentes triginta annos & annuam diem quisquis poſſederit, & is qui poſſeſſionem retractare volet, cauſam abſentiæ probabilem, captivitatis forſan, allegaverit, eamque teſtibus, quibus id liquido conſtat, comprobaverit, uti Juris auctoritate jubetur, ut illi Jus adminiſtretur, legibus publicis jam

3. Cauſæ Judicialis præſcriptio.

4. Remedium contra cauſæ præſcriptionem.

5. Præſcriptio ex Jure Culmenſi.

pridem conſtitutum eſt. Emend. l. 3. c. 10. Correct. l. 5. c. 52. Reviſ. l. 3. t. 2. art. 1. Qui rem furto vel rapina ablatam bona fide emit, eamque ultra diem annuam ſine interpellatione poſſedit, quæſitum eſt, an eam uſuceperit nec ne? Reſpondetur: Ex Juris inſtituto, quod ea res furto vel rapinæ nihilominus maneat obnoxia, quantumvis diu quis eandem poſſederit. Proinde quodcunque rei dominus, vel eo defuncto hæres ejus rem vendicaverit, poſſeſſori defendendi neceſſitas incumbit. Si Actor Jure planum fecerit rem ſuam eſſe, furtoque ſibi vel rapina ſublatam, res eadem bonitate, uti tum eſt, reſtitui debebit. Si pecudes interim abſque poſſeſſoris culpa mortuæ fuerint, petitori ne luuntor. Si quis furto vel rapina rem amiſſam apud quempiam deprehenderit, furti vel rapinæ quidem erit actio, reus autem ad evictorem ſuum recurrendi Jus habet, ſatis manifeſtum eſt. Emend. l. 3. c. 11. Correct. l. 5. c. 53. Reviſ. l. 3. t. 2. art. 3. Tempus ejusmodi præſcriptionis debet eſſe continuum, hoc eſt triginta annorum, anni & ſex ſeptimanarum & trium dierum, abſque impedimento interrumpente, & abſque omni contradictione ſtatim continue proſecutum, nec poſſeſſor in iſta poſſeſſione impugnatus eſſe debet. Quodſi poſſeſſor intra præfatum tempus, quandocunq; etiam fuerit, extrajudicialiter vel in Judicio, per proteſtationes ſeu conventiones judicialiter ratione poſſeſſionis in Jus vocatus fuerit, tunc illa poſſeſſio eſt interpellata, nec ulterius eadem gaudet, niſi conveniens vel Actor Jus dereliquerit, & poſſeſſor vel hæredes ejus de novo plenaria præſcriptione compleverint & expectaverint. Reviſ. l. 3. t. 2. art. 2. Vid. plura Servitus, Poſſeſſio.

6. Res furtiva non præſcribitur.

7 Curſus temporis in præſcriptione.

PRÆSTIGIATOR.

Vid. Veneficus.

PRÆ-

PRÆSUMPTIO.

Quando Actor accusationem insinuaverit, & Judex præ manibus nulla testimonia vel probationes habere potuerit, tunc ulterius animadvertere debet, ad directa, indicia, suspiciones, & conjecturas, quibus ad ulteriorem disquisitionem veritatis pervenire, imo etiam ad torturam procedere possit. Revis. l. 5. p. 1. t. 16. art. 1. (1) Præsumptio vel indicium sumi potest ex circumstantiis suspectæ personæ, vitæ vel conversationis; ita an illa persona sit levis & futilis, malæ diffamationis & famæ, quæ ante hac talia & similia facinora committere consveverat, vel propterea aliquando inculpata fuerat, adeo ut ejusmodi maleficium in ipso comprehendi possit. Attamen talis suspicio non ab inimicis & vilioribus personis, verum a non suspectis, directis & liberis hominibus sumi & emanari debet. (2) Præsumptio sumi potest ex loco, prout cum persona illa suspecta in periculoso, & ad facinus suspecto loco deprehensa, vel in loco maleficii commissi visa & inventa fuerit. (3) Indicium sumitur ex quotidiana conversatione: Cum quis scienter cum talibus personis conversatur, habitat vel societatem habet, qui ejusmodi facinoribus inquinati sunt. (4) Indicium sumi potest ex præcedenti inimicitia, odio & livore, quem illa suspecta persona erga occisum habebat & alebat. Item an lucrum aliquod evidens maleficium perpetratum attulerit. (5) Indicium sumi potest ex occisi inculpatione, quam in agone suæ mortis fecit, & desuper mortuus est, vel juramento comprobavit. (6) Ex suspecti fuga: cum quis statim post commissum scelus fugam arripuit & inde discessit. Præter hæc sunt adhuc plura indicia, quæ tamen proprie describi non possunt, sed penes præscriptas rationes pro qualitate personarum & circumstantiarum prudenti a Judice ponderari debent, in quantum locum habere debeant vel possint, utpote sunt præcedentes minæ, effata testium, quando aliquis extra judicialiter de commisso scelere gloriatur, illudque confitetur, quando aliquis cum occisi propinquis, vel cum ipso læso

1 Præsumptio in Criminalibus.

2 Species præsumptionum.

amicabiliter tranſigit, quando apud aliquem res furtivæ vel raptæ inveniantur, quando ſuſpectus verbis ſuis variat, aperte mentitur, horreſcit & titubat, ex alteratione colorem genarum mutat & timidus eſt, & quicquid ſimile Judici ad ſuſcipiendum & examinandum captivum incidere poterit, quæ diligenter advertenda ſunt. Reviſ. l. c. art. 1.

3. Fontes præſumptionum.

Præſumptiones vero non tam ſimpliciter accipiendæ, & ſubinde ulterius reſpiciendæ ſunt, verum neceſſarium eſt, ut duobus fide dignis teſtibus comprobentur, ubi vero unus tantum teſtis fuerit omni ſuſpicione major, & ad cauſæ meritum luculenter deponat, quod præſens omnia viderit, tunc inde aliqua præſumptio ſcaturiginem capit. Reviſ. l. c. art. 3.

4. Ex præſumptionibus nemo eſt condemnandus.

Judex ejusmodi præſumptionibus nitens, eæque ſufficienter probatæ ſint, neminem tamen ad pœnam criminalem condemnare poteſt nec debet. Nullus enim homo in corpore & vita puniri debet, niſi ex propria ſua confeſſione, vel ſufficienti probatione, ad carceres vero poteſt mitti & per torturam alterius veritas indagari. Attamen quia ejusmodi indicia & præſumptiones inperpendente cognitione Judicis conſiſtunt, propterea quilibet diſcretus Judex omnia ſecundum circumſtantias accuratius ponderabit. Reviſ. l. c. art. 4.

PRÆTENSIO, Vid. Creditor.

PRÆTOR. Vid. Judex.

PRINCEPS. Vid. Rex. Jurisdictio.

PRIORITAS.

Vid. Protimiſis. Retractus.

PRI-

PRIVILEGIUM.

SI alicui Civitati vel privatæ personæ Privilegium amissum fuerit, aliud de consilio Consiliariorum terrarum Prussiæ gratiose dabimus & largiemur, dummodo in hæreditatis & bonorum, quorum a Nobis petetur literalis innovatio, petens fuerit in pacifica, continua & præscriptionem habente possessione. Privil. Incorporat. terrar. Pruss. D. Sigismundi Regis ab Anno 1454. §. 7. Quisque Palatinus habeat apud se exemplar seu copiam Privilegii terrarum Prussiæ, & illud unicuique petenti ostendet, & coram eo legi faciet, quod Nos manutere, & secundum ipsius tenorem tam Spiritualium quam Secularium Dignitates, Officia & Capitaneatus solis & propriis Terrarum Prussiæ indigenis conferemus. Vid. Constit. Terrar. Pruss. D. Sigismundi Regis ab An. 1538. §. 1.

1. Amissum Privilegium.

2. Palatinus semper apud se habeat Priv. Incorp.

D. SIGISMUNDI Regis Literæ,

Quibus Ordinibus Terrarum Prussiæ, qui vigore Privilegii ad Electionem Filii vocati non fuerunt, postea tamen Electionem ratam habuerant, cavet, quod ea præteritio illis fraudi esse non debeat, & specialiter obligat Sigismundum Augustum Filium, ut annum decimum quintum egressus, pro more Antecessorum, juret se Privilegia & indulta tam publice quam privatim observaturum, & quamdiu hoc ipsum Juramentum non præstiterit, Ordines etiam Terrarum & Civitatum ad servandum suum Juramentum Majestati ejus præstitum astrictos esse non debere, sed ubi Majestas Ejus satisfecerit, tum demum omnem fidelitatem & obedientiam præstare oportere:

SIGISMUNDUS, DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ totiusque Prussiæ ac Masoviæ &c. Dominus & Hæres, manifestum facimus universis, quia, licet

Privilegia & Libertates Statibus & Ordinibus Terrarum Noſtrarum Pruſſiæ, tam Eccleſiaſticis quam Secularibus a Majoribus Noſtris & conceſſa & conceſſæ, ac per Nos confirmata & confirmatæ, inter alia id potiſſimum contineant, ut dicti Ordines & Status Pruſſiæ ad futurorum Regum Poloniæ, quotiescunque ſuper Electione & Coronatione illorum deliberationem contingat fieri, ad Electionem & Coronationem vocari & admitti debeant. Quia tamen in eligendo Sereniſſimo Principe Domino Sigiſmundo Secundo Rege Poloniæ & Magno Duce Lithuaniæ, Filio Noſtro chariſſimo, hoc ipſum prætermiſſum eſt, non data quidem opera, ſed quod Nobis viventibus & Regno nondum vacante, magisque Divina ordinatione, quam humano Conſilio Electio ipſa Majeſtatis ſuæ contigit. Conſiderantes tantam prædictorum Statuum & Ordinum Terrarum Noſtrarum Pruſſiæ, ergo Nos & Sereniſſimam Familiam Noſtram, fidem, affectum & obſervantiam, ut hanc ipſam Electionem Sereniſſimi Filii Noſtri, præter vocationem eorum factam, approbaverint, & ſimiliter, ipſum eligendo ratam atque gratam habuerint: Nolentesque, ut per ejusmodi Electionem; ad quam vocati non erant, aliquid inpoſterum Privilegiis & Libertatibus dictorum Statuum & Ordinum earundem Terrarum Noſtrarum Pruſſiæ derogaretur: Decernimus ut deinceps, quotiescunque Regem decedere, & Regnum vacare, aut Electionem quomodocunque celebrari contigerit, Domini & Conſiliarii Ordinis utriusque Regni Poloniæ, antequam ad Electionem procedant, prius prædictos Status & Ordines Terrarum Pruſſiæ de hac ipſa novi Regis Electione certiores faciant, ac eosdem ipſos Status, ſecundum antiquam conſvetudinem & contenta Privilegiorum eorum, ad eam vocent & admittant. Volentes præterea, pro tanta eorum in Nos & Filium Noſtrum chariſſimum integritate, viciſſim eis providere, ut & ipſi in ſuis Juribus & Privilegiis ac Libertatibus Conſvetudinibusque approbatis absque ullo conſervarentur detrimento, pollicemur illis præſentibus literis Noſtris, quod, quandocunque ipſe Sereniſſimus Filius Noſter, poſt mortem Noſtram, ad ætatem legiti-

mam,

mam, nempe ad annos quindecim completos, perveniens, poſſeſſionem Regni & Dominiorum Noſtrorum adire voluerit, tenebitur illis id totum præſtare, quod Anteceſſores Noſtri Reges Poloniæ & Nos Ipſi præſtitimus ex debito, ad quod ejus Majeſtatem, ut Filium & Succeſſorem Noſtrum, tenore præſentium obligamus videlicet, quod jurare debebit omnia Jura, Libertates & Privilegia, literas immunitatesve earundem Terrarum Pruſſiæ, tam Eccleſiaſticas quam Seculares, Eccleſiis, tum ipſis terris earundemque Prælatis, Baronibus, Nobilibus, Civibus, Incolis & quibuslibet perſonis, cujuscunque ſtatus & conditionis exiſtentibus, per Divos Prædeceſſores Noſtros Principes tam Spirituales quam Seculares Reges & Dominos Terrarum prædictarum juſte & legitime donatas & conceſſas & per Nosmetipſos confirmatas, manutenere, ſervare, cuſtodire & attendere, in omnibus conditionibus atque punctis & omnia illicite ab eisdem Terris alienata aut diſtracta, pro poſſe ſuo, ad proprietatem earundem Terrarum recuperare: Terminos etiam earum non minuere, ſed pro virili defendere & dilatare. Et quamdiu hoc ipſum Juramentum Majeſtas ſua non præſtiterit, & huic debito Suo Regio non ſatisfecerit, ipſi univerſi Status & Ordines earundem Terrarum & Civitatum noſtrarum Pruſſiæ ad ſervandum Juramentum ſuum, quod Majeſtati Suæ præſtiterunt, non erunt asſtricti neque obligati. Verum quandocunque poſt mortem Noſtram ſupradictis omnibus idem Sereniſſimus Filius noſter, in ætate legitima exiſtens, ſatisfecerit, & hujusmodi Juramentum debitum præſtiterit, univerſi earundem terrarum noſtrarum Pruſſiæ Status & Ordines ſubditi Noſtri, illi ut vero & legitimo Domino & Regi Suo coronato omnem fidelitatem & obedientiam obſequiaq; ſecundum Juramentum a ſe illi factum, præſtare & exhibere tenebuntur, in cujus rei teſtimonium, Sigillum Noſtrum præſentibus eſt appenſum. Datum in Conventu Generali Cracovienſi, Feria ſexta ante Dominicam Judica proxima, Anno Domini 1530, Regni vero noſtri vigeſimo quarto.

Chriſtophorus de S. Caſtel. Capit.
Cracovien. ac R. P. Cancell. ſſt.

Lite-

Literæ
Dn. SIGISMUNDI Regis,

Quibus post præstitum Jusjurandum Filii, solenniter iterum cavet universis Subditis, ejus Majestati neminem parere debere, nec imperio obnoxios fore, nisi prius omnia Jura, Privilegia & Libertates Diplomate suo confirmaverit, & juxta ejus tenorem in executionem posuerit.

SIGISMUNDUS, ejus nominis I. Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Masoviæ &c. Dominus & Hæres. Significamus tenore præsentium universis & singulis cujuslibet ordinis, dignitatis & conditionis hominibus. Quum ante septem annos Consiliarii Regni Nostri, singulari erga Nos Domumque nostram Regiam studio & propensione permoti, tum imminentibus etiam difficultatibus atque motibus, quibus nunc universus ferè orbis terrarum tumultuatur, obviam ituri, Serenissimum Filium Nostrum Sigismundum Augustum Regem Sibi & Regno Poloniæ, nobisque Successorem voluntate nostra constituissent, ac ne res ea posthac ullo pacto in dubium revocare posset, Jurejurando sigillatim dato fidem suam ipsius Majestati obstrinxissent, quoniam is tum per ætatem nondum commode vicissim ipsis Jusjurandum dare poterat, recepimus Nos & spospondimus & Regio verbo nostro promisimus, ipsius Majestatem, cum annum quintum decimum egressa fuisset, vicissim Subditis suis omnibus consentaneum Jusjurandum esse daturam, cujus formula continetur iis literis, quibus fidem tum nostram obstrinxeramus. Nunc itaque cum tempus id venisset, liberavit ipsius Majestas fidem nostram pro se datam, taleque Jusjurandum, quale modo descriptum est, conceptis verbis ad Sancta Dei Evangelia publice in Ecclesia Cathedrali Cracoviensi, quarta die Februarii præsentis anni dedit. At ne quid ea res discriminis malique afferret, ita tum quoque in Electione illa cautum publicoque omnium consensu constitutum

tutum erat, ut, quoad Nos viveremus, penes Nos universa potestas & Regium imperium nihilominus maneret: Nunc etiam recepit idem Serenissimus Filius Noster, spospondit & Regio suo verbo promisit, literarumque munimentis ea de re conscriptis & signo suo consignatis cavit, viventibus nobis nihil se potestatis & jurisdictionis in Regno Poloniæ sibi esse vendicaturum, neque vi quenquam invitum ad jussa sua faciendum adacturum, sed omnia, seque ipsum denique semper iñ potestate nostra fore. Deinde quæcunque jurasset publice, omnia se sine ulla controversia servaturum, defensurum atque executurum esse. Postremo, post obitum quoque nostrum, neminem prædictorum Subditorum suorum sibi parere debere, nec fore obnoxios fidei imperioque suo, nisi prius ipsis universa Jura, Privilegia, libertates, literas & immunitates, a supra memoratis majoribus suis Divis Regibus Poloniæ & a nobis etiam concessas & donatas, quæque inposterum, dum vivimus a Nobis concedentur donabunturque, Diplomate suo Regio confirmaverit, & pro viribus suis juxta tenores earundem in executionem posuerit: Quæ omnia Nos quoque pro eodem Serenissimo Filio Nostro recipimus, spondemus & Regio verbo nostro promittimus. Ad quod signatis literis Signo nostro impresso consignatis testatum esse voluimus. Datum Cracoviæ, sexta Februarii Anno Domini 1537. Regni vero nostri Anno 31.

Confirmatio
D. SIGISMUNDI Regis,
Privilegiorum, Libertatum, & eorum omnium quæ diu & ab antiquo Ordines Terrarum Prussiæ habuerunt.

CASIMIRUS, Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæque Dominus & Hæres &c. Significamus tenore præsentium, quibus expedit universis, quod

quod, quemadmodum anteactis annis certa Privilegia & Libertates Subditis Nostris & Terrarum Nostrarum Prussiæ Incolis, tam Spiritualibus quam Secularibus dederamus & concesseramus, quæ quidem Privilegia, & alia, diu & ab antiquo per eos tenta & habita, ipsis Subditis nostris in omnibus Punctis, conditionibus, Articulis & clausulis tenere & observare promittimus præsentibus & pollicemur. Harum quibus Sigillum Nostrum est subappensum, testimonio literarum. Datum in Nova Civitate Croczin, Feria sexta proxima post Festum St. Barnabæ Apostoli, Anno Domini Millesimo, quadringentesimo, septuagesimo septimo.

Confirmatio
D. JOHANNIS ALBERTI Regis,
Omnium Jurium & Privilegiorum Terrarum Prussiæ.

IN nomine Domini Amen. Ad perpetuam rei memoriam. Quoniam humani generis actiones memoriæ perpetuæ indigentes, plerumque ab hominum notitia dilabuntur, nisi scripturarum seu testium munimine fuerint corroboratæ. Proinde Nos JOHANNES ALBERTUS, Dei Gratia Rex Poloniæ, nec non terrarum Cracoviæ, Sandomiriæ, Siradiæ, Lanciciæ, Cujaviæ, Supremus Dux Lithuaniæ, Russiæ Prussiæque, Culmensis, Elbingensis & Pomeraniæ Dominus & Hæres &c. Significamus tenore præsentium, quibus expedit, universis præsentibus & futuris, harum notitiam habituris, quomodo revolventes in animo, qua quantaque puritatis affectione & integræ fidei constantia Prælati tam Spirituales quam Seculares, Comites, Barones, Milites, Proceres, Nobiles, Communitatesque Civitatum & Oppidorum, cæterique

Sub-

Subditi & Incolæ Terrarum Prussiæ, tam Spirituales quam Seculares, personam nostram venerati sunt, atque dilexerunt, ut tandem decedente felicis memoriæ Serenissimo Principe Domino Casimiro, &c. Genitore & Prædecessore Nostro charissimo, Nos tanquam verum Hæredem & legitimum Successorem, ipsis in Regem & Dominum concordibus voluntatibus una cum aliis Regni Nostri Consiliariis, Dignitariis, Officialibus & cujuscunque Status Conditionisque Subditis & Incolis elegerunt & assumpserunt, Sacroque Regni diademate insigniverunt. Cum igitur Altissimo dirigente, votis eorundem Incolarum Regni Nostri in Nostram Majestatem deliberate concurrentibus, Paternum Sacri Regni Poloniæ nacti sumus solium. Dignum eapropter duximus in ipsos Subditos Incolasque oculos pietatis Nostræ aperire; & eis hanc, quam actu & opere, veluti Athletæ fideles, in Nos exhibuerunt, sinceritatem & constantiam, gratitudine Nostra, ut decet compensare. Unde ex certa Nostra scientia, præhabitaque sufficienti deliberatione, animo benevolo, & voluntate Nostra ultronea ipsis Prælatis, Comitibus, Baronibus, Dignitariis, Officialibus, Militibus, Proceribus, Nobilibus, Civitatibus & eorundem Communitatibus, cæterisque Subditis & Incolis Terrarum Prussiæ, cujuscunque Status conditionisque existant, quæque ipsorum Jura & Privilegia, tam Ecclesiastica quam Secularia, quæcunque a divæ memoriæ Regibus Poloniæ, & ab olim Genitore & Prædecessoribus Nostris, super quibuscunque bonis & Libertatibus habere dignoscuntur & habent, sub quibuscunque datis, in vita ipsorum emanatas & concessas, emanataque & concessa Jura & Privilegia in se continentes, in omnibus earum Positionibus, Conditionibus, Articulis universis ratificamus, gratificamus, approbamus, & præsentium literarum patrocinio confirmamus, decernentes easdem eademque robur habere perpetuæ firmitatis. Promittentes insuper in verbo Nostro Regio, & tenore præsentium spondentes, eadem ipsorum Jura, Libertates & Privilegia per omnia rata grata habere, & inconcusse, jugiter, inviolabiliter & perpetuo, Justitia mediante, gratiose con-

conſervare. In cujus rei teſtimonium, Sigillum Noſtrum præſentibus eſt appenſum. Datum in Thorun, die Sabbato in Vigiliæ Sancti Andreæ Apoſtoli Anno Domini Milleſimo, quadringenteſimo, nonageſimo quarto. Regni vero Noſtri anno tertio. Præſentibus Reverendis in Chriſto Patribus Dominis Creslao de Curozwanki electo confirmato Wladislawienſis & Regni Noſtri Cancellario, Uriele Poſnanienſis & Luca Varmienſis Epiſcopis, nec non Magnificis, Generoſis & Nobilibus Ambroſio Pampowski Siradienſis, Matthia de Sluzewo Breſtenſis, Nicolao de Bayzen Mariæburgen. Carolo de Felden Culmenſ. Nicolao de Wolikow Pomeraniæ Palatinis. Nicolao de Strezow Wislicien. Joanne de Przithik. Radomien. Petro Miskowski Roſperien. Nicolao Garzina de Ludbranicz Spiczmurien. Caſtellanis. Petro Kınita de Wiſnycze Regni Noſtri, Raphaele de Leſchno, Curiæ Noſtræ Marſchalcis, cæteriſque Dignitariis, Conſiliariis & Curienſibus Noſtris fide dignis Teſtibus. Datum per manus Venerabilis Gregorii de Ludbranicz Scarbmurienſis & Sancti Floriani in Cleparz, Eccleſiarum Præpoſiti, Regni Noſtri Vice-Cancellarii, ſincere Nobis dilecti. G. Vice-Cancellarius ſſt. Relatio ejusdem Venerabilis Gregorii de Ludbranicz R. P. Vice-Cancellarii.

Confirmatio
D. SIGISMUNDI Regis.
Omnium Privilegiorum & Libertatum, quas D. ejus Genitor Caſimirus Rex Terris Pruſſiæ conceſſerat.

IN Dei nomine Amen. Ad perpetuam rei memoriam. Omnium rerum, quæ ſempiternæ memoriæ commendari debent, nulla certior firmitudo inveniri poteſt, quam ut literis poſteritati mandentur. Cætera enim facta, quantumvis memo-

memorabilia, aliis modis æternitati dicata, aliquot quidem seculis durare possunt, sed quæ literis memoriæ conservantur, nunquam intereunt, ipsaque vetustate fiunt augustiora. Atq; ita Nos SIGISMUNDUS, Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Culmen. Elbingen. Pomeraniæque &c. Dominus & Hæres, manifestum facimus his literis Nostris universis & singulis, tam præsentibus, quam futuris, quod accedentes ad conspectum Nostrum Domini Prælati Terrarum Nostrarum Prussiæ, Spirituales & Seculares, Baron. & Nobil. principalium Civitatum Nostrarum, videlicet Thorunen. Elbingen. & Gedanensis Pro-Consul & Consules, ac apud Nos earundem Civitatum nominibus Nuncii, sincerè & fideles Nobis dilecti: Inter cætera Nobis humiliter supplicarunt ut eos circa Jura, Libertates, prærogativas, concessiones, donationes, & exemptiones, per clarissimæ memoriæ Dominum CASIMIRUM Regem, Parentem Nostrum desideratissimum concessa & concessas conservare, manutenere, tueri & defendere, ac ea & illa confirmare, approbare, ratificare, laudare ac demum renovare dignaremur. Nos igitur SIGISMUNDUS Rex suprascriptus, qui naturæ benignitatisque nostræ instituto ea, quæ ad ornamentum, dignitatem, amplitudinem atque conservationem Dominiorum & Subditorum, quibus Divina dispensatione sumus præfecti, spectare Nobis videntur, grati libentissimique concedimus, ac præsertim cum ipsi Domini Prælati & Barones, & tota ferme Nobilitas, & supradictarum Civitatum Cives & alii multi Incolæ & Subditi Nostri, quamvis semper antea, ut sub imperium & Protectionem Divi Parentis Nostri CASIMIRI redierunt, nunc tamen maxime, cum hoc bellum, quod nuper cum Illustri Domino Alberto Marchione Brandenburgen. cum Magistro Ordinis S. Mariæ in Prussia gessimus, eorundem Subditorum Nostrorum propulsam, damna, cædes & injurias, constantissimi & integerrimi Nobiscum perferentes manserunt. Auditis itaque & bene intellectis hodie suprascriptis Privilegiis & Juribus ac prærogativis, concessionibus aut donationibus, ad laudem & gloriam Dei Opt.

Max. omniumque Sanctorum ejus & ad universarum Terrarum Nostrarum Prussiæ incrementum, tranquillitatem, quietem, stabilitatem atq; conservationem suprascripta Privilegia ac Jura, prærogativas, concessiones, donationes & exemptiones, ac omnia & singula in ipsis contenta, cum omnibus & singulis eorum punctis, clausulis & continentiis, prout jacent, ex certa Nostra scientia & voluntate ex consilioq; Consiliariorum Nostrorum ad præsens in hoc novissimo Conventu Nobiscum existentium, pro solita benignitate Nostra Regia approbamus, ratificamus, renovamus & acceptamus, laudamus & confirmamus, ipsaque & ipsas perpetuum firmitudinis robur obtinere volumus. Promittentes in verbo Nostro Regio, ac sub fide boni, legalis & ingenui Principis, pro Nobis & Successoribus Nostris, Nos omnia suprascripta in præinsertis Privilegiis expressa firmiter & inviolabiliter observare, tenore præsentium mediante. In cujus rei testimonium Sigillum Nostrum præsentibus appendi jussimus, & ad meliorem cautelam Nos manu Nostra propria subscripsimus. Actum & datum in Civitate Nostra Thorunensi Feria sexta proxima ante Dominicam Jubilate, Anno Domini Millesimo, quingentesimo, vigesimo primo, Regni vero Nostri Anno decimo quinto. Præsentibus Reverendiss. & Reveren. in Christo Patribus Dominis Joanne de Lasko Archi-Episcopo Gnesnen. & Primate, & Sedis Apostolicæ Legato nato, Matthia de Drewicza Wladislavien. Episcopo, Raphaele de Leschno Ecclesiæ Præmislien. & Laurentio Miedzileski Ecclesiæ Camenicens. designatis & electis Episcopis. Nec non Magnificis Nicolao de Dambrowiza Castellano Cracoviensi, & Regni Nostri Campiductore supremo, Christophoro de Schiedlowiecz Palatino & Capitaneo Cracoviensi, ac Regni Nostri Cancellario &c. Joanne de Lubranicz Posnaniens. Joanne de Calinowa Calisiens. Stanislao de Koscielecz Brescen. & Capitaneo Mariæburgensi Palatinis. Luca de Gorka Posnan. & Majoris Poloniæ Capitaneo Generali, Nicolao de Schidlowicz Sadmirien. & Regni nostri Thesaurario, Joanne Wiethwinski, & in Carnischin Plocensi, Stanislao de Sprowa Sarnoviensi Castellanis, ac Venerabilibus Joanne Latul-

Latulski Gnesnen. Cracovien. ac Lancicien. Ecclesiarum Præposito, Andrea Sloriczki Præposito S. Floriani in Kleparz extra muros Civitatis Nostræ Cracovien. & Custode Sandomirien. Nicolao Oleschniczky Canonico Cracoviensi, Paulo Grasowski Præposito omnium Sanctorum in Crac. & aliis qnam pluribus Dignitariis, Officialibus & Curiensibus Nostris ad præmissa testibus fide dignis sincere & fidelibus dilectis. Datum per manus præfati Magnifici Christophori de Schidlowicz in Smielow & magno Opatow Palatini & Capitanei Cracovien. ac Regni Poloniæ Cancellario, tum Siradien Sochaczowien. Cosnien. Capitanei sincere Nobis dilecti.

Ad
Dn. SIGISMUNDUM Regem,
Ordinum Terrarum Prussiæ
missa Legatio,

Qua petierunt ut Privilegiorum literas, progenitorum fide, virtute & sangvine partas, & ab ipsis fide & conscientia non pejore hactenus possessas, ratas inviolatasque conservaret: Terrarum tum Præside vigilantissimo Reverendissimo Dn. Tidemanno Gisio, Episcopo Varmiensi, Anno M. D. XLVIII.

IN magna perturbatione Anno superiore, Serenissimus Rex, constituti S. Majestatis V. subditi Consiliarii Terrarum Prussiæ, cum eorum Jura & Privilegia solito acrius oppugnarentur, collato consilio cum cæteris illarum Terrarum Statibus, nos ex singulis quibusvis Ordinibus delectos ad Sereniss. Majestatem V. designaverunt Oratores. Quoniam vero ejusmodi videbatur esse causa, quæ Majestatis Regiæ animum perplectiorem reddere posset, si sine mediatore commode apud ipsum ageretur, censuerunt prius Legationis Nostræ rationes omnes S. Majestatis V. Filio, Regi & Domino nostro Cle-

Clementiſſimo, ad quem totius negotii pondus perventurum erat, exponendas eſſe. Miſſi igitur in Lithuaniæ Ducatum, cuncta ad Ejus Majeſtatem retulimus quæ apud S. Majeſtatem V. agenda nobis eſſent, quorum omnium exempla atque ipſam inſtructam Legationem, cum non ignoremus ad Majeſtatem Veſtram transmiſſam fuiſſe, nolumus nunc iterata illorum recenſione auribus Majeſtatis V. duplicato tædio eſſe moleſtiores. Ne tamen fides deſit relatis, ipſum Legationis avthographum V. Majeſtati, quandocunque juſſerit, exhibere parati ſumus: Interim alterum ipſius exemplum, per opportunitatem coram Majeſtate V. recitandum offerimus, humiliter eam precantes, dignetur hæc non certandi ſtudio, ſed ſupplici & ſincera fide, ne citra neceſſitatem propoſita, in benigniorem partem interpretari, ac pio, ut ſolet affectu in animum admittere. Quoniam vero Nobis & Fratribus Noſtris plus præſidii eſt in naturali illa clementia & æquitate Majeſtatis V. quam in contentioſa verborum & argumentorum explicatione, ipſas Privilegiorum literas, quibus nitimur, publica fide exceptas, reponimus & proſternimus ad pedes Majeſtatis V. Cui poteſtas eſt vel conculcare illas, ſi id commeriti ſumus, vel rata inviolataque conſervare ea, quæ ſolenni pactorum fœdere recepta ſanctè, ac non ſolum clariſſimæ memoriæ CASIMIRI Regis Parentis, ſed Ipſius quoq; Majeſtatis V. & plurimorum Procerum, hujus Regni Senatorum, quorum Nepotes & Cognati adhuc ſuperſunt, Sigillis & ſponſionibus ſtabilita eſſe, hæc, quæ hic coram Majeſtate V. in proſpectu jacent, clariſſime teſtantur. Quæ omnia Progenitorum Noſtrorum fide, virtute & ſangvine parta, cum a Nobis Poſteris fide & conſcientia non pejore ſub Majeſtatis V. Tutela hactenus poſſideantur, Nos nomine dictorum Statuum ac omnium Majeſtatis V. Subditorum Terras Pruſſiæ incolentium, tam Spiritualium quam Secularium, tam adultorum, quam a maternis uberibus pendentium, quorum omnium una libertatis agitur cauſa, una concuſſionis manet aſperitas, ad pedes S. Majeſtatis V. humiliter provoluti, per adorandam gloriam Divinæ Majeſtatis, ſub cujus con-

conſpectu acta & geſta ſunt hæc omnia, per Domini Noſtri Jeſu Chriſti pretioſum pro nobis effuſum ſangvinem redemptionis, iſtorum Noſtrorum fœderum conſcium, per venerandum nomen & honorem Divi CASIMIRI Genitoris Majeſtatis V. qui omnium illorum fuit Dux, præſes & author, per ipſius quoq; Majeſtatis V. regalem hunc thronum & Sacrum Regni Diadema, ſub cujus protectione hactenus ſuſtentati utcunque reſpiramus, per denique altiſſimam illam Majorum Noſtrorum fidem, qua ſe & ſalutem ſuam, Conjuges & Liberos, fortunas & facultates ſuas omnes Divo Parenti Majeſtatis V. & inclito huic Regno ultro crediderunt, oramus & humiliter obſecramus Majeſtatem Veſtram ejusque pietatem ac orbi celebrem fidem obteſtamur, ne ſinat hanc glorioſam ſenectutem dejici a conſcia ſervata ſemper erga omnes Juſtitia, ac a præconio illo Regalis conſtantiæ & moderationis, quo totius orbis Monarchas hactenus antecellit, nec permittat, Nos toto ſpiritu & anima ſibi ſubjectos deturbari a libertate illa, quam a Majeſtate V. & Ejus Divo Parente acceptam, hæreditariam in Nos Patres Noſtri transfuderunt, qua præter commeritum privari non poteſt Nobis vitæ & facultatum deſtitutione eſſe minus acerbum. Cōmoniti autem uſu & experientia invictæ clementiæ & æquitatis Majeſtatis V. firma ſumus ſpe, Majorum Noſtrorum fidem & merita, ac in Nos propagatam fidelitatem apud ipſam Majeſtatem Veſtram digna haberi æſtimatione, ac propterea Nos & dictos ſtatus ſub Gratia & protectione ejus ab hac infeſtatione deinceps fore tutos, reſtauratis his, quæ hactenus ab integritate ſunt convulſa, quod devotiſſime iterum ſupplicamus. Provocabit hac benignitate Majeſtas Veſtra animos ſubditorum ad flagrantia fidei & devotionis obſequia, ac ſibi Sereniſſimoq; Filio ſuo laudem hanc conſervatæ Juſtitiæ apud poſteros invincibilem & ſempiternam conſtituet. Non dubitamus Sereniſſime Rex, Sacra Majeſtas Veſtra dignabitur Noſtris his humillimis nec inhoneſtis, imo & neceſſariis ſupplicationibus gratioſam aurem præbere, Nosque clementer exauditos, ac ſibi devotiſſime commendatos, ad Fratres Noſtros lætos Nuncios remittere.

Supplicatio

Eorundem Legatorum, oblata Regiæ Majeſtati d. 23. Januarii.

SEreniſſime Rex, dignabitur Majeſtas Veſtra in memoriam revocare, Nos nomine nuper omnium Statuum Terrarum Pruſſiæ ad pedes Majeſtatis Veſtræ provolutos non aliud petiiſſe quam proprium Regiæ Celſitudinis officium, ut Jura & & Privilegia Noſtra, quorum exempla ad pedes Majeſtatis Veſtræ collocavimus, Nobis integra fide ſervarentur, ea ſane Privilegia, quæ ob excellentiſſima Majorum Noſtrorum merita a Sereniſſimis Poloniæ Regibus conceſſa Nobis poſteris hæreditaria Succeſſione ſunt per manus tradita, quæ quamvis in collatione Dignitatum, Officiorum & Præfecturarum nominumque fuerint cum injuria Noſtrorum interrupta, tamen a Majeſtate Veſtra Thorunii nuper fuerunt in plurimorum Regni Senatorum præſentia reintegrata & innovata, multis ſubſecutis promiſſis Regio Sigillo & manu firmatis, de non admittendo deinceps ſimilium eruptionum eventu. Idvero quem in modum ſit Nobis conſervatum, (quod multo gemitu referimus) præſentium temporum caſus oſtendit, quo non ſolum conatum & ſtudia adverſariorum in occupandis Noſtris Juribus acerrima, ſed etiam ipſos jam occupatores Nobis inſultantes oculis cernimus. Ad quas reprimendas & tollendas injurias, ſi non moverint animum Majeſtatis V. ſupplices preces Noſtræ, tum religioſæ obteſtationes Divini Nominis & Paſſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti, non habemus in mundo reliquum aliquid præſidii aut interceſſionis; his Nobis adverſantibus, qui votorum noſtrorum adſtipulatores merito eſſe deberent. Revertimur igitur ad unicum illud remedium ſupplicationis noſtræ, per ipſius Domini Noſtri Jeſu Chriſti ſacratiſſimam mortem, unicum hoc petente, quod toties repetere coram Majeſtate V. pudor Nos cohibet, ac hoc ipſum etiam pro noſtra fidelium Conſiliariorum fide con-

consulentes, ut cuique Jura sua salva maneant. Quæ cum sit actionum nostrarum summa, obsecramus, ne diutius Nos Majestas Vestra in hac ambiguitate sustineat, sed petentibus Nobis respondere dignetur, volet annon volet Privilegia nostra integra Nobis conservare & manutere, simulque Nobis integra restituere, quæ contra Privilegia nostra sunt alienata, ac scripto aliquo hanc suæ voluntatis declarationem Nobis attestari, ut de actis nostris & hujus Legationis nostræ successu fidem Fratribus Nostris facere liceat, ac omnibus Majestatis Vestræ subditis referre, quæ ipsis restet libertatis spes & conditio. Non enim Serenissimus Rex, propterea huc missi sumus, ut de Statu & Libertatibus Nostris Judicio contendamus cum quoquam; minime vero ut eorum habeamus cognitionem, quorum superioritatem non agnoscimus, sed quorundam ex illis adversitatem experimur. Negotium Nobis cum nemine est, nisi cum Sacra Majestate Vestra, quæ ut pacta & conventa ac toties promissa servet, Divino & humano Jure Nobis est obligata. Nos partes nostras exegimus humilitatis & supplicationis debitæ, nec spem deponimus, quin S. Majestas Vestra Justitiæ rationibus devicta, ea, quæ a Nostris Privilegiis, maxime in Castrorum & Præfecturarum alienatione hactenus sunt avulsa, Nobis hic præsentibus restaurare dignabitur, ratione aliqua reperta, qua his Dominis, qui inscriptiones novas utcunque super his obtinuerunt, pro præstitis servitiis compensatio aliqua citra Nostram injuriam fieri possit: Interim etiam proviso ut Generosus Dominus a Baysen Castellanus Elbingensis ob insignia merita pro Genitorum suorum libere fruatur inscriptionibus, quas super Castro Mewen. a Majestate Vestra obtinet, ante quarum exitum deturbare Illum Dominus Palatinus Plocensis conatus est, de qua inconcessa licentia ex Terris Prussiæ plerique exacerbati ad Nos scripserunt: nec parum Nos quoque afflixit, quod hæc, Nobis hic apud Majestatem Vestram ad ejus vocationem præsentibus præter spem & opinionem admittuntur. Dignetur autem S. Majestas Vestra his omnibus rebus Regia benignitate ita prospicere ne cum mœrore & pudore ad Fra-

tres Nostros reversi, majorem etiam ipsis mœrorem afferamus, acceptura pro hoc Justitiæ merito, præter Divinæ Gratiæ compensationem, etiam hujus afflictæ Nobisque dolendæ valetudinis suæ optatam laxationem. A Nobis vero consolatis subditis suis, quæ inde commoda sibi Serenissimoque Filio suo proventura sint, pro sua incomparabili prudentia, ipsa æstimabit

Ejusdem S. Majestatis Vestræ
Subditi
Legati omnium Statuum Terrar. Pruss. una cum Equestris Ordinis & Civitatum minorum Nunciis.

Literæ
Dn. SIGISMUNDI AUGUSTI Regis,

Quibus se Jusjurandum præstitisse debitum, & ita Serenissimi Parentis pro se datam fidem liberasse significat, & solenniter cavet, quod post obitum Patris nemo Subditorum parere debeat, nisi prius ipsis omnia Jura & Privilegia tam publica quam privata, & quasvis Literas, Libertates & Immunitates, a Majoribus suis donatas, & a Serenissimo Parente adhuc donandas & constituendas, literis suis confirmaverit, & juxta continentiam & tenores earundem in debita executione posuerit.

SIGISMUNDUS AUGUSTUS, Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ &c. Dominus & Hæres. Significamus testatumque facimus universis & singulis cujuslibet Ordinis, Dignitatis atque conditionis hominibus, cum Consiliarii Nostri Regni Poloniæ, singulari quadam propensione erga Serenissimum Parentem

Nostrum

Noſtrum Dominum Dn. SIGISMUNDUM ejus nominis Primum Regem Poloniæ & erga Nos Proſapiamque Noſtram univerſam adducti, anno abhinc ſeptimo Nos Regem Poloniæ deſignaverant, eidemq; Regno, obedientiæ & fidelitatis Jurejurando Nobis dato, Nos inaugurarent, recepit eis pro nobis & ſpoſpondit & literarum monumentis conſignatis cavit idem Sereniſſimus Parens Noſter, quo volente & adjuvante hæc fiebant, minime teneri eos Jurejurando ſuo, quod Nobis præſtitiſſent, nec imperio noſtro parere debere, niſi Nos ipſis viciſſim juraremus, Nos omnia Jura, Privilegia, libertates, literas & immunitates juſtas & legitimas, ejusdem Regni noſtri Eccleſiaſticas & Seculares, quibusvis Ordinibus & hominibus, nemine excepto, a Majoribus Noſtris Regibus Poloniæ, præſertim vero a Divo Caſimiro antiquo, Ludovico, Uladislao Proavo, Uladislao magno Patruo, Caſimiro Avo, Joanne Alberto & Alexandro Patruis & Sereniſſ. Sigiſmundo Primo Patre Noſtro donatas, omnino ratas habituros eſſe, ſervaturos & defenſuros, omniaque inique ab eodem Regno abalienata atque diſtracta, pro viribus Nobis Noſtris recuperaturos, & ad unionem Regni aggregaturos, nec imminuturos fines ejusdem Regni Poloniæ, ſed aucturos potius prolaturosque quoad poterimus, atque id Jusjurandum ut tum denique daremus, cum adultiorem ætatem attigiſſemus, hoc eſt, cum quindecimum ætatis Noſtræ annum egreſſi eſſemus, verum ea lege tamen ut nihilominus univerſa ejusdem Regni Poloniæ Poteſtas, Imperium & Jurisdictio penes Sereniſſimnm Parentem Noſtrum eſſet, quoad is viveret. Id vero tempus præſcriptum quum adveniſſet, juravimus publice in ſummo templo in Arce Cracovienſi quarta die Februarii anni præſentis, verbis conceptis ad Sancta Dei Evangelia, in eam ſententiam cujus ſupra meminimus, & Sereniſſimi Parentis Noſtri fidem pro Nobis datam liberavimus. Cæterum ut pactis illis & conditionibus, quibus ad Nos Regnum delatum eſt, ſtemus, & ne idem illud Regnum Noſtrum ullis turpibus difficultatibus involveremus, memores primorum beneficiornm Officiique Noſtri, atque benevolentiæ ſingularis

erga Nos omniumque Noſtrorum Subditorum, recipimus, ſpondemus & Regio Noſtro verbo pollicemur, primum omnia Nos, quæcunque juravimus, omnibus Subditis Noſtris, Incolis Regni Poloniæ, cujuscunque Ordinis & conditionis fuerint, absque ulla controverſia, ſervare, defendere & exequi velle. Deinde nihil Nos Imperii neque Jurisdictionis in eodem Regno, vivente Sereniſſimo Patre Noſtro Nobis eſſe uſurpaturos, neque coacturos quenquam invitum & recuſantem voluntati juſſisque Noſtris parere, ſed in ejusdem Sereniſſimi Parentis Noſtri poteſtate, quoad victurus erit, omnia Nosque ipſos etiam futuros eſſe. Poſtremo poſt obitum etiam, qui utinam ſero contingat, Sereniſſ. Patris Noſtri, neminem prædictorum Subditorum Noſtrorum Nobis parere debere, niſi prius ipſis univerſis omnia Jura & Privilegia, tam Regni Noſtri Poloniæ, & ditionum ejus communia, quam privatarum perſonarum aut locorum quorumcunque privata & quavis libertates, literas & immunitates a ſupra memoratis Majoribus Noſtris donatas, quæque deinceps adhuc a Sereniſſimo Patre Noſtro, quamdiu vivet, donabuntur & conſtituentur, literis Noſtris confirmaverimus, atque juxta continentiam & tenores earundem in debita executione poſuerimus: Quæ omnia libenter pro viribus Noſtris faciemus & exequemur, quod ut certum firmumque ſit, Signo Noſtro, quo nunc utimur, literas haſce conſignavimus, & manu Noſtra ſubſcripſimus. Datum Cracoviæ ſexta Februarii, Anno Domini Milleſimo, Quingenteſimo, Trigeſimo ſeptimo. Vid. plur. Rex, Pruſſia.

PROBATIO.

1. Dilatio ad monumenta.

SI quis ad Monumenta aliqua provocet, in Judicio Monumenta ea nominare, ac ſi quidem in Terreſtri Judicio litigarint, ad ſequentia Judicia dilatio illi dari debet, in quo quidem termino ſi Monumenta a ſe nominata non produxerit, cauſa in totum cadet, legali tamen impedimento, com-

pro-

probationeque ejus ſalva. Vid. Jus Terreſtr. Terr. Pruſſiæ tit. 6. de Proceſſu Civili, §. 36. Tenebitur autem quilibet, cum ad teſtimonium dicendum citatus fuerit, comparere & teſtimonium dicere, ſub pœna decem aureorum Hungaricalium, ſubque eadem pœna Subditos etiam ſuos ſtatuere, ſi teſtimonium ab illis requiratur; quam pœnam Judicium Terreſtre aut Palatinale, aut Commiſſariale, in qua cauſa verſabitur, mox decernere debebit, parsque a Judicio non recedendo eam parti a Judicio dependere, aut ſi eam non dependat, Judicium pro executione ad Officium Palatinale remittere debet. l. c. §. 37. Cum autem iniquum ſit, ut ad teſtimonium in aliena cauſa dicendum, in longinquiorem aliquem locum, cum ſumptu & moleſtia ſua quis evocetur, liberum unicuique erit, a quo teſtimonium exigetur, apud proximum Judicem, vel Officium quod elegerit, ſive Terreſtre ſive Civile, tam in Regno quam in Pruſſia, teſtimonium deponere, quod quidem teſtimonium, cum ab illo Judicio obſignatum, in Judicio, in quo cauſa vertitur, prolatum fuerit, eandem auctoritatem habebit, ac ſi in eo ipſo Judicio depoſitum fuiſſet. l. c. §. 38. Obſervari porro in omni teſtimonio debet, primum, ut pars, cum qualis intercedit, ad inducendum teſtimonium in Judicium illud, in quo teſtaturi teſtes ſunt, ad minimnm duabus ſeptimanis ante citetur, facultasque eidem fiat interrogationes ſuas, de quibus teſtis interrogetur, Judicio offerendi, contra teſtes, teſtimoniave eorum, quæ ei videantur, dicendi; quod ſi fecerit, Judex una cum teſtimonio utriusque partis interrogationes & oppoſitiones ſcripto comprehendet, atque utrique parti, ſi id petierit, ſub Sigillo edere tenebitur. l. c. §. 39. Si pars citata in termino non ſteterit, teſtimonia nihilominus recipientur, partique producenti edentur; libera tamen facultate alteri parti relicta, cum apud Judicem cauſæ prolatæ fuerint, ſi, quæ contra teſtes aut teſtimonia dicat, habuerit, apud Judicem cauſæ ea opponendi. l. c. §. 40. Si etiam teſtis aliquod proximum Judicium ſibi elegerit, ad quod pars citari aut venire non potuerit, teſtimonium nihilominus recipietur, ſalva

2. Pœna teſtium non comparentium.

3. Inductio teſtium in alio foro.

4. Forma inductionis.

5. Receptio teſtimonii in contumaciam.

ſalva contradictione, ſi quam habeat, alterius partis apud Judicem cauſæ. l. c. §. 41. Ne autem homines facile ad perjuria labantur, quilibet Judex, apud quem teſtimonium aliquod deponitur cauſam ſcientiæ interrogare partibus abſentibus teſtem debet, de ætate præterea ipſius, hora loco & tempore, tum an ipſe rei geſtæ interfuerit, an ex aliis eam cognoverit, aliaque quæ ad indagandam rei veritatem pertinere videbuntur, inquiret. Quo melius etiam liquere de veritate teſtimonii poſſit. utrique, ſive etiam alterutri parti, ſi altera id facere neglexerit, liberum erit, capita certa, de quibus teſtis interrogetur, Judici offerre; Judici autem ſecundum ea teſtem examinare incumbet. Ad quæ, ſive a Judice, ſive a parte propoſita, ſi ita teſtis reſponderit, ut rem ei notam aut cognitam fuiſſe veriſimiliter advertere poſſit, ad Juramentum eum admittat, ſi ſponte in ea jurare voluerit; ſin ſecus, Juramentum ei non deferet; dicta nihilominus ejus conſcripta ſub Sigillo parti petenti edet. l. c. §. 42. In termino Monumentorum producendorum pars, quæ ad ea provocarit, ſine ulla dilatione aut exceptione, ſub amiſſione cauſæ exhibere ea tenebitur; Quod cum fecerit, vel teſtimonia produxerit, Judex alteri parti mox in Judicio ea publicabit, poteſtatemque, ſi quis contradicere velit, ea refutandi ei faciet: quod cum fecerit, ad definitivam ſententiam Judex procedet, niſi forte ad alia inſtrumenta & teſtimonia ipſe etiam Actor provocet; tum enim, quantum temporis uni parti ad inſtrumenta teſtimoniave ſua producenda tribui debeat, ſupra ſtatutum eſt, tantundem & eadem conditione, alteri quoque parti tribuetur. Quæcunque deinde pars fidedigniora inſtrumenta & teſtimonia protulerit, ſecundum ea Judex pronunciabit. Simplici vero affirmatione aut negatione, etiamſi ad Juramentum quis ſe offerat, contra inſtrumenta & teſtimonia nemo niti poterit, neque cuiquam contra teſtes & inſtrumenta ſine ullis inſtrumentis aut teſtibus nitenti, Juramentum Judex decernet. Si autem ab utraque parte Inſtrumenta & teſtes fuerint, erit in poteſtate Judicis, ei parti, quæ fidedigniora documenta produxerit, ut in

Marginalia: 6. Forma examinis. — 7. Terminus probatorius.

in supplementum ea confirmet, Juramentum injungere. Actore autem nudis verbis tantum litem prosequente, nuda ejus affirmatio nuda partis conventæ negatione elidetur. l. c. §. 43. Lite jam in Jure contestata, & ita intentione & responsione constanter insinuata, tunc ambæ partes in eodem termino suas probationes indicare, nec non munimenta literaria, quæ ad fundandam intentionem illorum usurpare intendunt, publicare, & subinde Judici & parti copiam dare tenebuntur. In sequenti termino declarationes suas, & quod cum unoquoque probare intendunt producere, & sic consequenter ad interrogatoria seu positiones, reinterrogatoria reclusiva nec non examinationem testium procedere, & omnia testimonia literalia producere tenebuntur. Hoc in competentibus & Juridicis Judiciis, & ad hoc præstitutis terminis fatalibusque facto, si ulterioribus productis renunciatum & ad sententiam conclusum fuerit, ambabus partibus Acta communicantur aut traduntur, quibus una positione simul ad sententiam concludere possint; penes traditionem positionis ambæ partes stipulantur gvarandam, se in ista causa, neque in scripto neq, oretenus quicquam producturas, verum sententiam definitivam præstolaturas fore: hoc modo omnes processus continuari & finiri debent, amputatis omnibus reliquis ambagibus, & ulterioribus replicis duplicisque. Revis. l. 2. t. 11. art. 4. Reo Convento ratione bonorum, debiti vel aliarum quarumcunque causarum accusato & convento idque simpliciter & absque omni alia conditione malitiosè in sua litis contestatione inficiante, eo vero hujusce postmodum per sufficientem probationem convicto, tunc non solum id, quod ab ipso postulatum fuerit, sed etiam in pecunia duplicata, alioque quovis pretio, & ita petitam rem dupliciter Actori præstare & restituere tenebitur. l. c. art. 5. Quilibet, qui in Judicio aliquid postulat, id, quod est fundamentum suæ intentionis, ubi Reus Conventus negaverit, probare debet, & is, qui aliquid negat, probare non tenetur suam negativam, nisi ipse suæ negativæ fundamentum allegaret, ut illa negativa super aliquo facto subsisteret, vel contra

8. Inducenda probatio secundum Jus Culmense.

9. Pœna proterviter negantis.

10 Affirmanti incumbit probatio.

tra hasce res, quæ de Jure præsumuntur, aliquid negando allegaretur, aut alioquin similis causa existat, qua mediante, æqua Judicii cognitione ista negatio probanda veniat. Revis.
11. Si mulier virum in Jus vocet. l. 2. t. 16. Si mulier virum conveniat ob crediti causam; eamque in rem testes producere velit, magis probandum est, quod vir bonorum virorum testatione mulieris actionem elidere possit. Ob maleficium autem, vulnerationem, membrorum mutilationem vel homicidium, æque mulieri Jus est ac viro, eum qui pacem publicam violaverit in recenti facinore testibus convincendi. Emend. l. 2. c. 53. Correct. l. 3.
12. An Juramentum testibus prævaleat. c. 63. Nulli Jus Fasque esto, qui ob homicidium, vulnerationem, vel quodvis debitum, testium asseveratione munitum, in Jus vocatur, Juramento singulari actionem elidendi. Em. l. 2. c. 55. Correct. l. 3. c. 21. Revis. l. 2. t. 20. art. 2. Probatio per Protocollum. Vid. Documenta.
13 Fatale probationis. Lite per sententiam Judicis contestata, tunc ambæ partes habent tres quaterdenas, vel sex septimanas, quibus currentibus omnes suas probationes & emolumenta, seu quicquid alioquin ad rem pertinet, producere debent. Qui tale tempus silentio præterierit, postmodum ad nullam ulteriorem probationem admittendus est, nisi extra Judicium illud debitæ istæ probationes conciliandæ forent, ad quas afferendas tempus illud non sufficeret: hoc casu Judex pro qualitate & exigentia causæ dilationem necessariam uni vel alteri parti, concedere debet, nempe extra Terras Prussiæ tres menses, ultra mare & regionem annum & diem, hoc est annus & sex septimanæ & tres dies, pro cognitione Judiciali. Revis. l. 2. t. 14. art. 2. Probatio circa præscriptionem servitutis, Vid. Servitus, De Probatione tituli debiti, Vid. Debitor, Creditor.
14. Probatio in Criminalibus. Maleficia & facinora præcipue sequenti modo manifestantur & probantur: (1) Per propriam confessionem Rei Conventi. (2) Per sufficientia documenta & testimonia, (3) tandem per torturam, quando ad præcedentes sufficientes præsumptiones confessio a Reo elicitur, & postmodum bene-

benevole confirmatur: Ideo discretus Judex circumstantias & qualitates harum probationum bene ponderare, & ex iisdem informari debet, antequam ad sententiam vel alias procedat. Revis. l. 5. p. 2. t. 15. art. 1. Probationes præcipuæ in Criminalibus causis sunt, quando facinorosus in recenti facto comprehenditur, & id publice & benevole, absque illata aliqua relevante causa confitetur: Nam in tali casu non ulla ulteriore probatione opus est, sed Judex procedit sententionando pro modo causarum. l. c. art. 2. Quando accusatus factum diffitetur, tunc ille per testes vel alias probationes sufficientes convincendus est. Testes vero debent esse honesti, irreprehensibiles homines: effata illorum puris expressis verbis, ex causæ propria scientia, & non ex auditu fiunto. Super hæc præsente Reo isti testes inducendi, eorumque depositiones publicandæ sunt: In causis capitalibus non minus quam duo testes esse possunt. l. c. art. 3. Quando Actor & Reus æquales testes habuerit, præterea nullo personarum discrimine intercedente, tunc semper Reus ad evadendum propior est; nam in dubiis casibus, æquius est nocentem dimittere, quam innocentem condemnare. l. c. art. 4. Vid. plura Testis, Juramentum, Vindicatio, Dominium, Attestatio, Solutio, Auctor. Judæus, Documenta, Protocollum, Confessio, Creditor, Debitor,

15. Propria confessio.

16. Testium qualitas.

17 In dubia probatione favent Jura reo.

PROCESSUS.

Vid. Actio, Criminalia. Impedimentum legale. Contumacia. Citatio. Forum. Libellus. Litis Contestatio. Calumniæ Juramentum. Cautio. Dilatio. Feriæ. Probatio. Confessio. Testis. Documentum. Juramentum. Sententia. Appellatio. Executio. Arrestum. Expensæ. Processus

circa moderamen inculpatæ tutelæ. Vid. Moderamen. Plura vid. Hoſpes. Advocatus. Peregrinus & Iter. Proſcriptionis Proceſſum. Vid. Bannitus.

PROCURATOR.

Vid. Advocatus. Mandatarius.

PRODIGUS.

1. Quando maritus uxoris bona nequiter prodigat.

MUlier, ſi Marito malis moribus dedito nupſerit, qui facultates ejus, quas Parentes vel Cognati luculentas in dotem ſuam dederunt, nequiter prodigat ludo, alea, vel ejus generis alienandi modis illicitis, quibus & ſuas & uxoris fortunas evertere properat. Mulier eam profundendi licentiam Juris manifeſti remedio detrectare poteſt, nimirum Judicem ſuum adeat, ſibique tutorem optet, qui cauſam ejus agat. Quod ſi certis Indiciis Judici planum facere poterit, Maritum improbato more converſari, ſic ut ex ejus luxuria periculum ſibi fortunarum ſuarum immineat, idque teſtibus, qui rem ita ſe habere certe ſciant, affirmantibus oſtenderit, Judex tutorem quem petiit, ipſi confirmato. Is tutor cum Muliere ad poſſeſſiones bonorum ejus pergito, eaque adminiſtrato. Si quis eam ob rem Mulieri vim vel injuriam fecerit, ruptæ pacis publicæ notam incurrito. Mulier autem bona quæ Matrimonii cauſa viro contulit, vel dotis nomine tradidit, occupato, & in rem ſuam adminiſtrato. Eodem utimur Jure, ſi eveniat, ut quiſpiam in transmarinis regionibus, quinimo alibi vel intra vel extra Pruſſiam æs alienum clam contraxerit, ac interim filiam honeſti viri in Matrimonium duxerit, cum Patri & Cognatis de ejus ære, quo nexus erat, alieno, certum non conſtitiſſet, tunc enim debita Mariti, quæ ante ſponſalia contraxit, ex bonis vel dote Mulieris minime exſolvuntur, ſed integrum eſt Mulieri res ſuas dotemque ſuam tueri ac uſurpare, quandoquidem Mariti fortunarum

par-

particeps non fuit, ſed iniquis utique modis in fraudem illecta ſatis aperte videatur. Emend. l. 3. c. 62. Correct. l. 5. c. 58. Reviſ. l. 4. t. 14. art. 14. Cum mulier prodiga, vel quæ ſuæ mentis non ſit, quatenus talem eam eſſe publice conſtet, absq; Mariti ſcitu conſenſuve mutuam pecuniam accipit, Maritus eo debito non tenetur, nec ejus illud damno contrahitur; Si quid autem ad ipſum pervenit, vel adhuc penes Maritum reſidet, creditori non ſine ratione reſtituitur. Si conſumptum ſit, non autem in rem Mariti, ſiquidem juratus teſtetur, verſum eſſe, nullum ſuſtinebit periculum. Emend. l. 4. c. 40. Correct. l 3. c. 102. Reviſ. l. 4. t. 15. art. 5.

2. Prodiga uxor accipiens pecuniam.

PROFUGUS.

Vid. Fuga. Creditor. Debitor.

PROLOCUTOR, Vid. Advocatus.

PROMISSIO, Vid. Stipulatio.

PROPINATIO.

Nullus Capitaneus, Tenutarius vel Adminiſtrator bonorum Regalium in Terris Pruſſiæ cereviſiam braxare debet, ſolummodo ad menſæ ſuæ, & villarum Regiarum neceſſitatem. Propinare vero & in tabernas diſtribuere nullus præmemoratorum præſumat, verum uſus iſte tabernarum & propinatio perpetuis temporibus penes Civitates permanere, neque illa ullo inhibitorio, interdicto, vel alio quocunque modo, nullis coactis gravaminibus impediri poteſt. Cives utique & ruſtici in pagis a braxatione cereviſiæ penitus abſtineant; Idcirco etiam nullæ domus braxatoriæ in pagis exiſtere debent, niſi quis antiquitus vigore tenoris præmemoratæ Terreſtris Ordinationis, ad ejusmodi uſum braxandi præ-

1. Propinatio tantum Civitatibus eſt conceſſa.

tensum Jus haberet, quod tamen ad necessitatem tantum suæ mensæ, & non de tonnis mediastinis & integris evendendis seu extradendis intelligendum est: eo quoque modo, ut hic ille cum Civitatibus adjacentibus, secundum earum ordinationes, ratione ejusmodi braxationis suæ per transactionem componat. Quod post memoratum tempus obtentum est, in nullum præjudicium Jurium Civitatum redundare debet. Unicuique cremati braxatio & propinatio Capitaneis & Administratoribus bonorum Regalium simili modo interdicta & prohibita sit. Nobilibus vero vigore prædictæ ordinationis, prout hactenus, ita & inposterum liberum sit in proprias hæreditarias tabernas, cerevisias braxandi ex proprio illorum germine, & ex eo, quod census nomine & loco a subditis suis percipiunt. Positio vero & æstimatio Cerevisiæ in Civitatibus a Senatu, in Provincia vero a Consiliariis Terrestribus in Conventibus ordinariis fieri debet. Ex Constit. Sigismundi Tertii Anno 1542. Vid. Revis. l. 1. t. 6. art. 1. Vid. plura Braxatio.

PROPINQUI.

Propinquorum Jura. Vid. Retractus. Jus. Hæreditas.

PROPRIETAS.

Thesaurus in proprio fundo inventus. Vid. Thesaurus. Vid. plura Ædificatio. Navis. Materia. Titulus. Dominium. Possessio. Præscriptio.

PROSCRIPTUS. Vid. Bannitus.

PROTIMISIS. Vid. Retractus Jus.

PRO-

PROTOCOLLUM.

Scabinis nulla est necessitas imposita cujusvis causæ & actionis memoriam retinere, nisi cum quispiam quid illorum, quæ in Judicio aguntur, ad Acta publice referri petat, eamque ob rem Scabinis, quod par est præstet. Quæcunque autem ad Acta referuntur, eorum memoriam conservare, deque iis in Judicio testimonium dicere tenentur Scabini, quoties hoc ab eis petitur & postulatur. Emend. l. 2. c. 11. Corr. l. 2. c. 16. Revis. l. 2. t. 1. art. 7. Vid. pl. **Actio, Libellus, Documentum, Notarius, Acta.** 1. Effectus Protocolli.

PROVISIO. Vid. Usura.

PRUSSIA.

ANno 1454. per D. Casimirum Regem Poloniæ Prussia assumitur & incorporatur. Vid. Privilegium Incorporationis sub v. **Casimirus.** 1. Incorporatio.

Prussiæ Prælati, Barones & Nobiles, quotiescunque super Electione & Coronatione Regis deliberatur, simul admittuntur, & sua vota habent. l. c. §. 7. 2. Electio Regia.

Rex Casimirus promittit omnes incolas Terrarum Prussiæ favore, Gratia, benevolentia, & Regali Affectione se prosecuturum. ib. 3. Affectio Regia.

Rex contra quascunque adversitates, impugnationes quorumcunque hominum universis Incolis harum Terrarum defensionem & Assistentiam promittit. ib. 4. Protectio Regia.

Rex prædictas Incolas in Juribus, libertatibus, literis, Privilegiis, immunitatibus, quæ a Principibus Spiritualibus & Secularibus Regibus & Dominis Prussiæ obtinent, debet conservare, fovere, defendere, nec unquam Regi licitum est ea violari aut prævaricari permittere. ibid. 5 Conservatio Libertatum.

Amissa Privilegia iterum Rex largietur, ibid. Vid. pl. **Privilegium.** 6. Privilegiorum restitutio.

Dacia

7. Telonea abrogata. Dacia Germ. Funth-Zoll, it. in Pomerania Narzasz alias Porcus & omnia telonea in aquis & terra, nova aut antiqua observantia, dari solita, in perpetuum sunt sublata. ib. Vid. plura Teloneum, Dacia.

8. Naufraga bona. Bona ex Naufragio superexistentia Proprietariis Rex vult restituere. ibid.

9. Priv. Indigenatus. Dignitates & Officia item Castra & Tenutæ tantum Indigenis sunt conferendæ. Vid. Indigenatus.

10. Prussia suas causas ipsa judicat. Causæ omnes notabiles in Prussia, easque terras concernentes cum communi Consiliariorum Spiritualium & Secularium, Nobilium & Civitatum Majorum consilio terrarum prædictarum terminari, tractari & diffiniri debent. Priv. Incorporationis §. 7.

11. Pruss. non alienanda. Prussia a corpore & integritate Regni Poloniæ non debet alienari, sequestrari aut scindi. l. c.

12. Gades Prussiæ non sunt diminuendi. Casimirus promittit: Terras Prussiæ sub Nostro Regimine & Regni Poloniæ corpore consistentes, in suis antiquis gradibus, limitibus & terminis conservabimus, tuebimur, & defendemus, nec terminos & gades Terrarum ipsarum in aliquo diminui & periclitari, velut Regni Nostri partes individuas, ullatenus patiemur. ib.

13. Moneta. Prussia habet in Civitate Thorun, Gdansk, Elbing & Kynsberg facultatem cudendi monetam. ibid. Vid. plura Moneta.

14. Absentia Regis. In absentia Regis Deputati Terrar. Pruss. cum bene placito & voluntate Regis, ac cum consilio Prælatorum, Consiliariorum, Civitatum Majorum super quolibet defectu cognoscant, sunt constituendi: Hi itaque Gubernatores providentia, provisione & authoritate omnia suppleant & emendent. ib.

15. Priv. Mercatorum. Mercatoribus Terrarum prædictarum Prussiæ in Regnum Poloniæ ejusque Ducatus & Dominia venientibus, libertas & Prærogativa est concessa: ut quoties illos in quæcunque loca, Civitates & Oppida Regni & Dominiorum venire cum mercibus eorum, cujuscunque speciei vel materiei existant, con-

contigerit; licitum erit eis hujusmodi merces in loca, testudines, Cameras & tecta, quarum illis libera præstari debet arrendatio, deponere & pro suo arbitrio exponere in venalitatem, Stratasque omnes versus Hungariam, Russiam, Moraviam, Silesiam, Austriam, Saxoniam, Wallachiam, depositis tamen theloneis & stratis antiquis Civitatum Regni & Dominorum semper salvis. ib. Vid. plura Mercatura.

Reciprocam Sponsionem quam in D. CASIMIRI Poloniæ Regis verba, Ordines Terrarum Prussiæ, pro temporum illorum conditione, fecerunt, habetur itidem verbotenus sub v. Casimirus. 16. Reciproca sponsio.

In terris Prussiæ omnia Jura sunt sublata & abrogata, & unicum Jus Culmense in omnium reliquorum locum est suffectum, ut juxta ejus tenorem omnes causæ & controversiæ decidantur & determinentur. Vid. Culma. 17. Jus Culmense.

Div. Casimirus Rex in Privilegio verba facit; Abrenunciantes insuper devolutionem bonorum hæreditariorum, quæ Nobis & Dominio Nostro Jure Feudi cedebant & debebantur, ac ab eadem recedentes, successionem posteris eorum in perpetuum donantes. Vid. Privileg. Casimiri Anno 1476. 18 Allodia.

De expeditionibus bellicis, quid debeant Terrigenæ, & quibus armis adesse eos oporteat. Vid. Bellum, Feudum. 19. Expeditio bellica.

Quid debeant Terrigenæ in recognitionem Dominii. Vid. Feudum. 20. Recognitio Dominii.

De Libertate piscaturæ. Vid. Piscatura, Lacus, Newod. 21 Libera piscatura.

Anno 1477. Confirmavit D. Casimirus Rex omnia Privilegia, Libertates & ea omnia quæ Prutheni ab antiquo & diu habuerunt. Anno 1494. Confirmavit Albertus Rex. Anno 1521. confirmavit Sigismundus Rex. Vid. Privilegium. 22. Confirmationes Privilegiorum.

Rex debet jurare, se Privilegia & indulta, tam publice & privatim conservaturum, & quamdiu hoc ipsum Juramentum non præstiterit, Ordines etiam Terrarum & Civitatum, ad ser- 23. Rex de conservatione Privilegiorum debet jurare.

servandum suum Juramentum Regi præstitum astricti esse non debent; Sed ubi Majestas ejus satisfecerit, tum demum omnem fidelitatem & obedientiam præstare oportet. Vid. literas D. Sigismundi Regis ab Anno 1530. e Conventu Generali Cracoviensi feria sexta ante Dominicam feria proxima datas, sub. v. Privilegium.

24. Nisi Rex juraverit, de Privilegiis nemo obedire tenetur.

Post præstitum Jusjurandum sui Serenissimi Filii D. Sigismundus Rex, solenniter iterum cavet universis Subditis, ejus Majestati neminem parere debere, nec imperio obnoxios fore, nisi prius omnia Jura, Privilegia & libertates diplomate suo confirmaverit & juxta ejus tenorem in executionem posuerit. Vid. Ejus literas Cracoviæ sexta Februarii Anno 1537. datas sub v. Privilegium.

De Instantiis Judiciorum circa appellationes in Prussia. Vid. Instantia.

De Jure belli Terrar. Pruss. Vid. Bellum.

Declaratio Juramenti
D. SIGISMUNDI AUGUSTI
Regis,

Regno Poloniæ præstiti; illud ad Terras Prussiæ quoque pertinere illasque cum suis Subditis in illo esse comprehensas.

SIGISMUNDUS AUGUSTUS, Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ totiusque Prussiæ, Masoviæ &c. Dominus & Hæres: Significamus præsentibus literis, quorum interest, universis: Quoniam in dubium vertitur, an Jusjurandum Nostrum, quod anno millesimo quingentesimo trigesimo septimo solenniter præstitimus, Status quoque & Subditos Terrarum Nostrarum Prussiæ comprehendat,

hendat, cum ad Status tantum Regni Poloniæ videatur adstrictum, de aliis Dominiis ipsi Regno incorporatis nulla mentione facta: Nos pro liberatione fidei Divi Parentis Nostri, & securitate terrarum Nostrarum Prussiæ, præsentibus declarantibus & interpretantibus hoc Nostrum Juramentum, bona fide dicimus & affirmamus, Nostram intentionem & mentem, tunc cum juravimus, fuisse, nec alio sensu a Nobis intellectum esse, quam ut ipsum Juramentum etiam ad Terras Prussiæ pertineret, ipsæque terræ cum suis Subditis in illo essent comprehensæ, uti & comprehensos volumus & interpretamur. Harum testimonio literarum, quibus Sigillum Nostrum est impressum. Datum Peterkowiæ pridie Epiphaniæ Domini in Conventione Regni Generali, Anno Domini millesimo, quingentesimo, quadragesimo nono, Regni Nostri XIX,

Samuel Episcopus & R. P.
Cancellarius sst.

Relatio Reveren. in Christo Patris Domini Samuelis Episcopi Cracoviensis & Regni Poloniæ Cancellarii.

PUPILLUS, Vid. Tutor.

PURGATORIUM JURAMENTUM. Vid. Juramentum.

QUADRUPES. Vid. Animal.

QUIETATIO. Vid. Documentum.

RAPINA.

1. Palatini & Capitanei provideant de securitae publ. PAlatini & Capitanei, quisque in suo Palatinatu & Capitaneatu diligenter fines terrarum observent, ne prædones & grassatores ingrediendo & egrediendo impune grassentur. Vid. Constit. Terrar. Pruss. D. Sigismundi Regis ab Anno 1538. §. 24.

2. Defensio contra latronem. Cum quis aliquem in via publica prædandi animo invadit, atque ille defensionem parat, & latroni vitam adimit, nec amicis occisi, nec Judici damni aut mulctæ nomine sit obnoxius. Si fides illi non habeatur, quod corporis & rerum suarum tutelam occupaverit, quatenus facti testes secum sint in promptu, eorum testimonio stabitur. Si nulli sunt testes, religione Sacramenti res expeditur. Emend. l. 5. c. 52. Correct. l. 5. c. 35. Revis. l. 5. p. 2. t. 7. art. 13. 14.

3. Processus contra rapinam. Si quis Civium in aliena Provincia, vel alio quovis locorum bonis suis per rapinam exutus fuerit; is quamprimum factum resciverit, civile Judicium adeat, & Juramento profiteatur, tantum damnum in bonis suis ex rapina se passum, ut in eum Jus sibi dici magnopere desideret. Judex violentiæ querelam decernet, & ille de facto recenti conqueratur. Si hunc Juris ordinem omiserit, tribus deinde Judicii constituti vicibus causam peragat, & eodem, ut dictum est, modo juret. Quo facto, Judex raptorem edictis legitimis in Jus vocet, & absentem proscribat. Emend. l. 5. c. 70. Correct. l. 2. c. 51. Revis. l. 5. p. 2. t. 17. art. 1.

4. De rapina Jure vindicanda. Si quis conveniatur ob rapinam, qua rem alienam in potestatem redegit, sic ut recens facinus probari possit, ac violentiæ clamore Judex in rem præsentem vocetur, Judex Actorem e vestigio sequitor, ac in factum recens Jus dicito adversus raptorem & ejus facinoris socios, deinde rei possessionem Actori restituito, nisi conventus actionem & crimen Jure a se removerit. Qui præsens in Judicio convenitur, quatenus ex Jure profugerit, actione, qua agitur, convictus habetor. Emend. l. 5. c. 71. Corr. l. c.

5. Si vir bonus de rapina conveniatur. Si quis bonæ existimationis opinione præditus in Judicio constituto ob rapinam simplici assertione insimuletur, ubi factum recens non adsit, potius est, ut Jurejurando suo culpam de-

declinare possit, quam ut in suspicionem ejus facinoris vocari debeat. Emend. l. 5. c. 72. Correct. l. 3. c. 41. Revis. l. 5. p. 2. t. 17. art. 3. Si hospes hospitem rapinæ volet insimulare, quæ in extraneis Provinciis commissa sit, primum omnium in Judicio eo actionem proponat, ubi rapina recens facta dicitur. Sin ibi Jus suum consequi nequiverit, vel legitimo impedimento retractus in Judicium illud venire non possit, potestas ipsi erit, etiam in alio Judicio, quocunque venerit, experiundi, ibique Judicis Officio juxta ordinem illi Jus administrabitur, quatenus nemo contradicit. Tribus autem constituti Judicii vicibus actor causam peragat, priusquam ad Juris executionem procedatur. Emend. l. 5. c. 73. Correct. l. 3. c. 42. Revis. l. 5 p. 2. t. 17. art. 2. Qui rapiendi proposito vias obit publicas, secumque socios ducit, quorum ope rapinas convehat, & in peccatum perducat, non ille culpæ solum reus est, qui cæteris secum eundi fuit auctor, sed etiam cæteri, qui auctorem eum secuti sunt, eodem maleficio tenentur irretiti: nec enim solus late grassari poterat, neque prædas passim comportare. Si quis ex raptoribus præ manu sit, sine Judice capi potest, deinde vero ducendus est in Judicium. Et siquidem socius fuit rapinæ, æque ut princeps maleficii sententiam patietur. Si factum inficietur, ipsius prædæ vel rei raptæ testimonio, si adsit, si non adsit, aliis testibus, uti Juris est, facti convincatur. Emend. l. 5. c. 74. Correct. l. 5. c. 36. Revis. l. 5. p. 2. t. 17. art. 4. Si quis arcem vel prædium in crimen vocet, quod eo præda convecta sit, raptores autem omnes profugerint, atque is, qui prædio vel arci præest, factum inficietur, ipsa cum duobus una testibus conscientiam Juramenti religione purget. Si qui vero prædam usque ad receptaculi portas persecuti fuissent, hoc pacto præfecti testimonium refutatur. Judex autem res raptas repetat, nisi restituantur, arcem vel prædium & ejus præfectum, vel Dominum & cæteros, qui cum eo sunt, proscribat, in proscriptos autem, ut Juris est, deinceps animadvertatur. Emend. l. 5. c. 75. Correct. l. 5. c. 38. Qui causa rapinæ cum adversario transigit, infamis est. Revis. l. 5. p. 2.

6. Si hospes hospitem rapinæ reum faciat.

7. De Raptoris sociis.

8. De prædonum receptaculo.

9. Pœna Rapinæ. t. 23. art. 1. Unusquisque raptor qui delicti ex proposito patrati convictus est, quod scilicet per eum pax publica sit violata, pœnam gladii subit. Revis. l. 5. p. 2. t. 17. art. 5. Vid. plura Spolium.

RAPTUS VIRGINUM.

1. Processus & pœna raptus mulierum. CUm Virgo vel Mulier vi rapta, se nolente & repugnante in alienam domum pertracta fuerit, ibique exclamaverit, nec illi quispiam hominum auxilio venire posset, siquidem illi, qui tum in domo fuerant, eorum testimonio, qui clamorem audierant, rite coarguuntur, quod facinus celaverint, nec prohibuerint, ita Judicium in illos constituitur, ut una cum auctore ipsius facinoris capite plectantur. Si is, qui facinus fecit, deprehendi potest, absque Judice capitor, & in Judicium protrahitor. Si telo se defenderit, quo minos se captivum sistat, impune occiditor. Vis enim pudicitiæ violenter illata, eodem Jure cum proscriptionis Jure censetur. Emend. l. 5. c. 55. Correct. l. 5. c. 39. Revis. l. 5. p. 2. t. 10. art. 2.

RATUM.

Cautio de rato. Vid. Advocatus.

RADZINUM.

1. Incidentia Judiciorum. PAlatinalia Judicia celebranda veniunt singulis quatuor septimanis, nimirum in Palatinatu Culmensi prima mensis cujusque die Radzini. Vid. Jus Terrestr. Terrar. Pruss. t. 5. de Magistrat. & Judiciis. §. 2. 7. Judicia Terrestria Radzini exercenda, primo feria secunda post Festum Corporis Christi, secundo feria secunda post Festum Hedwigis Thorunii, & sic bis in anno in Palatinatu Culmensi habentur. l. c. §. 23. Vid. plura Terrestre Judicium, aut Terrestria, Convocatio.

REBELLIO.

SI quis Civis adversus Senatum temere insurgat, ubi Jus Culmense receptum sit, potestas esto Senatui, Civem illum ad se accersendi, ac eidem sub mulcta pecuniaria, vel sub relegatione unius vel duorum aut plurium annorum denunciandi, ut animum ab istac temeritate revocet & Magistratui æque cum cæteris Civibus obtemperet. Si dicto audiens esse noluerit, mulctam vel pœnam, sive ea sit relegationis, sive qua alia ex condicto sustineat. Si Consules Civitatis nomine quempiam relegaverint, ipsorum arbitrium est, an cum eo depacisci & relegatum in Civitatem recipere velint vel nolint? Emend. l. 1. c. 11. Correct. l. 1. c. 12. Revis. l. 1. t. 2. art. 12. Vid. plura Seditio.

1 Pœna intentatæ rebellionis.

RECEPTATOR.

Receptator Proscripti. Vid. Bannitus.

RECLAMATIO.

CUm quid aliquis modo ebrioso, ex ira vel errore factorum vel aliis similibus circumstantiis inconsiderate extrajudicialiter præmemorato modo confessus fuerit, tunc id revocare taliter tenetur: Ut Jurejurando suo probet, se ex prætactis & similibus causis sine ratione elocutum esse, & in rei veritate se non sic habere. Revis. l. 2. t. 17. art. 3.

1. Quomodo reclametur?

RECONVENTIO.

REus non reconventione uti poterit, sed si quid Actor ei debeat, peculiari Judicio prosequi debet. Terrestr. Jus Terrar. Pruss. tit. 6. de Magistrat. & Judiciis. §. 23. Generaliter constitutum est, ut Actor ibi forum sortiatur, ubi agit, ideoque post actionem Jure finitam in eodem foro conventi quoque actiones accipere & litem Juris Ordine prosequi cogetur.

1. Ubi & quando reconventio locum obtineat.

tur. Emend. l. 2. c. 35. Correct. l. 4. c. 59. Revisum addit: Si ex alia causa aliquem quis reconvenire velit, ad eam respondere non tenetur conventus, nihilominus tamen ad instantiam partis actoreæ sufficientem cautionem præstabit, sive jurato stipulabit, se in præfixo termino coram suo competente Judice sistiturum, & judicatum passurum. Revis. l. 2. t. 7. art. 9. Quando Actor libellum suum ad Acta insinuavit, tunc ad instantiam rei Conventi cautionem de reconventione præstare tenetur, nimirum quod eam in eodem Judicio in quo agit ex Actoratu, postmodum ex reatu suscipere velit. Revis. l. 2. t. 13. art. 1. Vid. plura Cautio.

2. Cautio de reconventione.

REGESTRUM.

1. Regestrum Judicii Terrestris.

CUm Judicium aliquod ordinarium celebrabitur, sive Terrestre, sive Palatinale, eadem die, in quam Judicium incidit, Notarius Judicii copiam sui facere tenebitur, ad eam partes nomina & causas deferent, qui regestrum omnium litigantium, nulli favendo, ita ut qui prior eum appellaverit, prior in album referatur, conscribet, idque publice ad valvas loci, in quo Judicia celebrabunt, proponet. Jus Terrestr. Terrar. Pruss. t. 6. de Process. Civil. §. 18. Ex eo deinde albo eo ordine, quo inscriptum nomen cujusque est, Præco præ foribus Judicii alta voce ter partes ad Judicium vocabit. l. c. §. 19.

REGIOMONTUM. Vid. Moneta.

RELEGATIO.

1 Condonatio relegationis.

SI quis Civis per Consulatum Civitatis nomine sit relegatus, in Consulum arbitrio est, an cum eo depacisci & relegatum in Civitatem recipere nolint vel velint. Emend. l. 1. c. 11. Correct. l. 1. c. 12. Revis. l. 1. t. 2. art. 12. Qui ob maleficium commissum ad tempus vel in perpetuum relegatus

2. Pœna relegati contra decretum redeuntis.

gatus eſt, is locum Judicii & quousque ejusdem Jurisdictio ſeſe extendet, vitare & inde abſtinere tenetur, quo transgreſſo, ſi eo in loco deprehenſus fuerit, & prior relegatio temporalis ſit conſtituta, tunc in perpetuum relegari debet, ſub hac admonitionis comminatione, ut ſub amiſſione ſui capitis per carnificem eo in loco non reperiatur. Si temere talem præmonitionem exceſſerit, & ibidem repertus fuerit, tunc in arbitrio Judicis conſiſtat, an fuſtigatione perpetuo, vel ubi prius delictum adeo enorme fuerit, aut ubi iſtum locum Jurejurando Judiciali exultionis evitare repromiſerit & ob alias incidentes relevantes cauſas, in corpore punire velit. Reviſ. l. 5. p. 2. t. 25. Relegatus non habet Jus Retractus ſeu Interventionis. Reviſ. l, 4. t. 6. art. 8.

RELUITIO.

SI cujus fundus in Judicio ſolenni nexu Juris pignoretur ratione debiti, centum marcarum, qui ducentis vel trecentis æſtimari poſſit, & creditor fundum ſingulis conſtituti Judicii diebus, ordine Juris, præconio forenſi inclamaverit, ſic ut in poſſeſſionem mittatur, & per decretum illi fundus addicatur, arbitrium ejus erit, fundum porro vendendi & ſibi retinendi: liberum autem erit debitori fundum intra diem annuam tanti, quanti venditus erat, redimere ac liberare. Sin creditor fundum non quidem vendat, ſed ſibi retineat, ac illi fundus per Judicem arbitrio bonorum virorum in æſtimatum addicatur, Jus itidem erit debitori intra diem & annum debito ſoluto, quod ſuum erat, recuperandi. Si intra diem & annum rei ſuæ liberandæ curam abjecerit, deinde nulla redimendi poteſtas relinquitur. Tenebitur autem creditor fundi pretium, quod ultra debitum excurrit illi reſtituere. Emend. l. 4. c. 72. Correct. l. 3. c. 84. Vid. plura **Abſentia. Arreſtum. Executio.**

1. De bonis a debitore tempore utili redimendis.

REMISSA.

1. De Remissa arbitrorum.

CUm arbitri coram Judicio causam recipiunt, eamque se determinaturos spondent, sic ut litigantes eam ob rem amplius in Judicium venire non debeant, arbitri eo casu Jure coguntur, ut intra sesqui mensem controversiæ limites recte definiant, nec ampliori tempore causam apud illos ventilari licet. Sin autem arbitri neque receperint causam coram Judicio, neque dirimenda ejusdem sibimet ipsis necessitatem imposuerint, sed dixerint, arbitrium suum sibi non liquere, litigantes eo casu ad Judicium solenne remitti debent, ut ibidem Juris ordine lis pertractetur. Emend. l. 2. c. 69. Corr. l. 2. c. 57. Revis. l. 2. t. 3. art. 2. Judex eum qui coram ipso Jure convenitur, ad aliud Judicium remittere non debet, nisi res de qua agitur, in alio foro sita est. Hoc enim casu apud eum de re controvertitur, cujus Jurisdictioni subjacet, vel nisi conventus sponte sua cognitionem de re controversa in alieno Judicio sit passurus. Neque Judici Jus est quempiam ab actione sua prosequenda excludere, nisi cum ejus consensu, qui convenitur. Emend. l. 2. c. 38. Correct. l. 2. c. 34. Revis. l. 2. tit. 7. art. 8.

2. De remissione ad aliud Judicium.

REMISSIO.

Remissio Juramenti. Vid. Juramentum.

RENUNCIATIO.

De renunciatione Hæreditatis. Vid. Hæreditas, Donatio, Testamentum.

REPRÆSENTATOR.

1. Jus repræsentationis circa hæredi-

QUicunque descendentes vocantur hæredes, masculini vel fœminini sexus, cæteros omnes tam in ascendenti quam

quam collaterali linea collatos, quantumvis in gradu cognationis illi sint priores, excludunt. Verbi gratia: Decedit quis, relictis post se pluribus filiis & filiabus, æqualiter omnes in viriles portiones succedunt. Item, decedit quis relictis superstitibus filiis & nepotibus, nepotes cum ejus filiis, hoc est cum patruis, avunculis, amita vel matertera suis, æque sunt hæredes in bonis avitis, non in capita quidem sed in stirpes. Personam enim Parentum referunt, easque portiones accipiunt, quas Parentes, si tum viverent, accepturi fuissent. Hoc Jus repræsentationis appellamus, in quo locum non habet vulgaris regula: qui gradu propior est, a Successione remotiorem excludit: Nisi Parentes, dum in vivis erant, portiones suas præcepissent, & Jure familiæ erciscundæ in Judicio constituto cum religione Jurisjurandi sui renunciassent. Hoc enim casu nepotes una cum defuncti filiis non admittuntur. Idem intelligendum de cæteris descendentibus: nec enim hæreditas recta linea excidit, quamdiu descendentes supersunt. Emend. l. 3. c. 24. Correct. l. 4. c. 34. 44. Revis. l. 3. t. 9. art. 1. & 3. Emend. l. 3. c. 26. Si quis vita decedens superstites habeat fratres vel sororem, utroque Parentum latere consociatos, & præmortui fratris filium: eo casu frater & soror fratris, vel sororis liberos, a capiendis bonis excludunt. Nec enim inter collaterales receptum est, ut Jure, quod ajunt, repræsentationis, in Parentis defuncti locum substituantur. Emend. l. 3. c. 33. Revis. l. 3. t. 9. art. 11.

[Margin: tatem, inter descendentes]

[Margin: 2. Jus repræs. inter Collaterales.]

RESPONSIO. Vid. Litis contestatio.

RES.

MAxime naturali libertati conveniens est, ut quemadmodum quisque velit, re sua utatur. Jus Terrestr. tit. 2. §. 1. Res finita. vid. Actio. Lis. Pax. Silentium. Res judicata, ibid. Cui res alienæ committuntur. Vid. Alienæ Res. Vid. plura Executio.

RESPUBLICA, Vid. Absentia.

RESTITUTIO IN INTEGRUM.

Quod spoliatus ante omnia restituendus sit. Vid. Spolium.

1. Restitutio caus. in integr. coram Jud. Terrestr.

SI citatus in aliquo termino aliquo legali impedimento retentus, aut etiam citationis ignoratione non comparuerit, de restitutione in integrum agere, legaleque impedimentum aut ignorantiam probare, tandemque restitutionem obtinere poterit. Jus Terrestr. tit. 7. §. 17. Vid. plura Absentia.

2. Processus, modus, causa & circumstantiæ restitutionis in integrum.

Quoniam sæpius evenire solet, ut tam minorennes quam majorennes personæ per sententias, contractus vel alios actus, sui Juris & emolumenti præjudicium aut detrimentum patiuntur, propterea beneficium restitutionis in integrum in Jure introductum est; & notandum est, quod restitutio in integrum nihil aliud sit, nisi reintegratio prioris status vel Juris, quando aliquis per emptionem, transactionem aut sententiam iniquitatem patitur & Juri detrahitur ejus, eo casu coram Judice competente in suo Jure in integrum restitui potest. Ista restitutio vero ex concessione Juris & propter prægnantes rationes evenire debet, verbi causa: Propter defectum ætatis, absentiam rei publicæ causa, incarcerationem, aliaque graviora impedimenta. Itaque quando contra minorennem, qui nondum annum vigesimum primum adimplevit, sententia fertur, vel ille per contractum damnum patitur, mediante hoc beneficio statum priorem integritatis obtinet, læsionem vero suam antea luculenter probare tenetur; libera desuper ei conceditur facultas, si volet, damni perpessi resartionem a suo Curatore seu tutore urgere. Itidem quando contra personam, quæ jam majorennis est, & Reipublicæ aut aliorum necessariorum negotiorum gratia extra Provinciam versatur, decretum gravaminosum pronun-

cietur

cietur, tunc ea perſona eo beneficio reſtitutionis uti poteſt. Item ſi quis è Patria relegatus, ſtante ſua abſentia, in ſuis relictis bonis damni aliquid patiatur, ut dehinc merito conqueri queat, ille æque reſtitui debet, præcipue ſi in gratiam receptus fuerit. Si etiam contra commodum publicum alicujus Civitatis ſeu Communitatis eodem modo, uti minorennis, in integrum reſtitui poteſt, & unusquisque aut pro ſe, aut per Procuratorem de hoc beneficio reſtitutionis agere poteſt, Procurator vero ad hoc ſufficienti plenipotentia inſtructus debet eſſe, alias in defectu hujus ſpecialis legitimationis, inadmiſſibilis cenſetur. Si abſens Mandatarium poſt ſe relinquit, tunc hoc beneficio haud fruitur. Hoc ſuperhæc probe eſt obſervandum, quod minor ſemper reſtitutionem in integrum precari poteſt priusquam annos viginti & unum natus; Poſt decurſum hujus vigeſimi primi anni habet quatuor annos utiles, i. e. usque ad vigeſimum quintum incluſive. Majorennis autem etiam quatuor annos utiles habet pro petenda reſtitutione in integrum, iſtique anni ordiuntur a die læſionis, aut ab iſta die quando quis domum redux factus ſit, & læſionem audiverit, niſi cauſa taliter ſit qualificata, ut in inſtanti e. g. detruſionis a poſſeſſione, interventionis &c. contradictione neceſſum ſit, tunc minor poſt annum quo major factus eſt; Major vero poſtquam domum redierit, reſtitutionem efflagitare, & actione interventionis experiri debet. Quando hoc modo Reſtitutio in integrum evenit, tunc omnes res in ſuo ſtatu & eſſentia uti ante decretum vel læſionem fuerant, ſunt conſtitutæ. Correct. l. 4. c. 60. Ad Reſtitutionem in integrum requiritur ſpeciale mandatum. Reviſ. l. 2. t. 5. art. 11. Vide plura Tutor, Uſucapio.

RETRACTUS.

SI quis vendat fundum, poſſeſſionem, ædes, prædium, cenſum hæreditarium, vel quam aliam rem, quæ immobilium appellatione venit, quanquam ipſemet per ſucceſſionem vel

1. Methodus Juris Retractus.

vel per emptionem, vel alio quovis titulo acquisivit, proximo consangvineo utriusque sexus potestas esto, intra diem annuum ab eo tempore computandam, quo traditio & adscriptio judicialiter celebrata fuit, Jure Protimiseos vel Retractus emptorem amovendi, ea lege & conditione, ut proximam sangvinis conjunctionem, nisi de ea publice constet, in Jure planam faciat, & Retractum tanta pecunia, quantam emptor dederat, præsentibus nummis evincat, quo facto emtor proximo consangvineo fundum emtum cedere ac restituere compellitor. Cum emtor intra diem annuam in fundum emptum necessarias, probabiles & utiles impensas fecit, neque consangvineus, cui retractandi Jus erat, novum opus illi Judicis auctoritate nunciavit, si is deinde fundum in familiam revocare volet, emptori tam emptæ rei pretium, quam sumtus in eam factos, arbitrio boni viri restituito. Si venditor dolo malo majus pretium in Judicio dixerit, quam quanto fundus venditus fuit, scilicet ut eo magis consangvineum a Retractu absterreret, quatenus is fidem illi habere noluerit, venditor de conscientia sua cum Jurisjurandi religione pretium verum nuncupato. Nam qui Jure propioris conjunctionis venditionem retractare cupit, non in amplius pretium, quam quo fundus verè venditus fuit, refundendum obligatur. Emend. l. 4. c. 19. Revis. l. 4. t. 6. art. 1.

2 Si res empta stante retractu perierit. Si proximus consangvineus emptorem ad retrahendam venditionem in Jus vocasset, ac emtionis pretium Jure & more solvisset, interim autem priusquam causa peragatur, fundus emtus subito casu interierit vel incendio perierit, vel alioquin deterior factus sit, consangvineo liberum erit arbitrium vel institutum prosequendi, vel ab actione desistendi. Emend. l. 4. c. 20. Revis. l. 4. t. 6. art. 2.

3. De cessione Retractus. Jus Retractus alii cedi non potest, nec ei quidem, qui ejusdem generis ac familiæ sit, nisi secundum eum, cui Jus istud competit, proximus esset ad quem alioquin Jus revocandi per ordinem fuisset perventurum. Emend. l. 4. c. 21. Revis. l. 4. t. 6. art. 3.

4. De fundo, qui debiti nexu obstrictus Si quis fundum vel possessiones in tantum æris alieni magnitudine oneraverit, ut nisi fundo vel possessionibus addictis cre-

est, revocando.

creditoribus satisfacere nequeat, hacque necessitate ducitur eum easve creditoribus vel in Jure solenni, vel extra Judicium in manu reliquerit, Jus nihilominus erit proximo consangvineo intra diem annuam, ex quo possessiones Jure evictæ vel sponte traditæ fuerant, exsoluto ære alieno, fundum in familiam revocandi. Emend. l 4. c. 22. Revis. l. 4. t. 6. art. 4.

5. De Jure Retractus minoribus competenti.

Si minori Jus protimiseos competat ad revocandam venditionem fundorum proximi consangvinei, & in ejus facultatibus tantum sit pecuniæ, quantum repetendæ rei venditæ sufficit, tutores autem intra tempus legitimum, pupilli nomine Jus revocandi fundi neglexerint, actio minoribus hoc casu contra tutores datur, quatenus absque authoritate Magistratus, qui summus est tutor, & legitima cognitione non interveniente Jus Minorum negligenter omiserint, vel prosequi supersederint. Emend. l. 4. c. 23. Revis. l. 4. t. 6. art. 5.

6. Si pluribus simul idem Jus retractandi competat.

Si is, qui fundum vel possessionem vendit, quatuor habeat fratres in vivis superstites, vel alios consangvineos plures ejusdem gradus, quorum singuli venditionem suo quisque compendio intra diem & annum retractare cupiant, illis omnibus idem a se revocandi Jus est. Si fundum communiter possidere nolint, vel alioquin inter se convenire non possint, sortis arbitrio discerneretur. Emend. l. 4. c. 24. Revis. l. 4. t. 6. art. 6.

7 Quoto gradu Jus Retractus admittitur.

Jus consangvinitatis vel cognationis in revocandis conditionibus iisdem gradibus censetur, quibus successio & Jus hæreditatis capiendæ connumerantur. Em. l. 4. c. 25. Secundum Revisum Jus idem statuitur Jus cognationis vel consangvinitatis usque ad septimum gradum inclusive computando. l. c. art. 7.

8 In quibus causis Jus revocandi locum non habeat.

Jus revocandi locum non hacet, nec admitti debet, nisi solum in emtionibus & venditionibus. Itaque nec ad permutationem hoc Jus extenditur, atqui quoties fundi vel possessiones permutantur, quo alterutri pretium sit adjiciendum, necessum est, ut pretium in permutationem adjectum minoris sit, quam fundus cui adjicitur; sic enim æque permutatio facta censebitur ac si fundi fuissent æquales. Præterea nec ex simplici donatione, vel quæ in mortis causam concepta est, nec in bonis ex testamento vel legato provenientibus, nec in bonis ex pacto vel

vel transactione cuipiam traditis Jus revocandi locum habet. Nisi forte donatio vel permutatio simulate fuisset mala fide in consangvineorum præjudicium excogitata. Exempli gratia: Si Donator cūm donatario clam convenisset, ut emtionis pretio contractæ donationis colorem prætenderent, hoc enim casu consangvinei simulatum donatarium Jure suo submovere possunt. Consangvineus, qui Juri suo sponte & expresse renunciavit, quive consors vel socius venditionis fuit, quive diem annuam silentio præterire passus est, Jus revocandi alienationem perdit. Spurii non amplius retractus Jure gaudent, quam Jus Successionis illorum admittit. Monachi & Regulares Jus revocandi consangvinitatis ratione non usurpant. Qui imperii edicto præscripti, vel ex Provincia, bonis in Fiscum commissis, relegati sunt, Jus retrahendi nullum habent. Si Vasallus fundum feudalem vendat, ejusq; consangvinei feudi Dominum offendissent, & ipso facto injuriose tractassent, ac ob eam rem Jure convicti fuissent, ii prærogativæ hujus beneficio censentur indigni. Qui Jure communi emere non possunt, iidem a Privilegio revocandi venditionem excluduntur ut fœminæ in bonis feudalibus, homines qui Sacris Ordinibus non sunt addicti in decimis comparandis, & si qui sunt horum similes. Item cum quis fundum vel aream emit eo animo, ut templum vel cœmeterium vel scholam publicam exstruat, vel locum in usus divinos aut utilitatem Reipublicæ convertat, venditionem consangvinei proximi revocare minime possunt. Si quis agri jugera duo vel plura quæ partim fructuosa, partim sterilia sint, æquo singulis pretio adscripto vendiderit, consangvineus proximus, ea quæ in fructu sunt sola revocare non potest, nisi sterilia Retractui conjungat. Emend. l. 4. c. 26. Revis. l. 4. t. 6. art. 8.

REUS. Vid. Actio.

REX.

R E X.

Regis Coronatio. Vid. Coronatio.

Dn. SIGISMUNDI Regis Literæ,

Quibus Ordinibus Terrarum Prussiæ, qui vigore Privilegii ad Electionem Filii vocati non fuerunt, postea tamen Electionem ratam habuerunt, cavet, quod ea præteritio illis fraudi esse non debeat, & specialiter obligat Sigismundum Augustum Filium, ut annum decimum quintum egressus, pro more Antecessorum, juret se Privilegia & Indulta tam publice quam privatim conservaturum, & quamdiu hoc ipsum Juramentum non præstiterit, Ordines etiam terrarum & Civitatum ad servandum suum Juramentum Majestati Ejus præstitum astrictos esse non debere, sed ubi Majestas Ejus satisfecerit, tum demum omnem fidelitatem & obedientiam præstare oportere.

SIGISMUNDUS, DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, totiusque Prussiæ ac Masoviæ &c. Dominus & Hæres. Manifestum facimus universis. Quia licet Privilegia & Libertates Statibus & Ordinibus Terrarum Nostrarum Prussiæ, tam Ecclesiasticis quam Secularibus, a Majoribus Nostris & concessa & concessæ ac per Nos confirmata & confirmatæ, inter alia id potissimum contineant, ut dicti Ordines & Status Prussiæ ad futurorum Regum Poloniæ, quotiescunque super Electione & Coronatione illorum deliberationem fieri contingat, Electionem & Coronationem vocari & admitti debeant. Quia tamen in eligendo Sereniss. Principe Domino SIGISMUNDO Secundo Rege Poloniæ & Magno Duce Lithuaniæ, Filio Nostro charissimo, hoc ipsum prætermissum est, non data quidem opera, sed quod Nobis

viventibus & Regno nondum vacante, magisque Divina ordinatione, quam humano consilio, Electio ipsa Majestatis suæ contigit: Considerantes tantam prædictorum Statuum & Ordinum Terrarum Nostrarum Prussiæ, erga Nos & Serenissimam Familiam Nostram, fidem, affectum & observantiam, ut hanc ipsam Electionem Serenissimi Filii Nostri, præter vocationem eorum factam approbaverint, & similiter ipsum eligendo ratam atque gratam habuerint: Nolentesque, ut per hujusmodi Electionem, ad quam vocati non erant aliquid inposterum Privilegiis & Libertatibus dictorum Statuum & Ordinum earundem Terrarum Nostrarum Prussiæ derogaretur: Decernimus, ut deinceps, quotiescunque Regem decedere, & Regnum vacare aut Electionem quomodocunque celebrari contigerit, Domini Consiliarii Ordinis utriusque Regni Poloniæ, antequam ad Electionem procedant, prius prædictos Status & Ordines Terrarum Prussiæ de hac ipsa novi Regis Electione certiores faciant, ac eosdem ipsos Status, secundum antiquam consvetudinem & contenta Privilegiorum eorum, ad eam vocent & admittant. Volentes præterea, pro tanta eorum in Nos & Filium Nostrum charissimum integritate, vicissim eis providere, ut & ipsi in suis Juribus & Privilegiis ac Libertatibus Consvetudinibusque approbatis absque ullo conservarentur detrimento, pollicemur illis præsentibus literis Nostris, quod quandocunque ipse Serenissimus Filius Noster, post mortem Nostram ad ætatem legitimam, nempe ad annos quindecim completos, perveniens, possessionem Regni & Dominiorum Nostrorum adire voluerit, tenebitur illis id totum præstare, quod Antecessores Nostri Reges Poloniæ & Nos ipsi præstitimus ex debito, ad quod ejus Majestatem, ut Filium & Successorem Nostrum, tenore præsentium obligamus, videlicet, quod jurare debebit omnia Jura, Libertates & Privilegia, Literas, Immunitatesque earundem Terrarum Prussiæ, tam Ecclesiasticas quam Seculares, Ecclesiis, tum ipsis Terris, earundemq; Prælatis, Baronibus, Nobilibus, Civibus, Incolis & quibuslibet personis, cujuscunq; Status & conditionis existentibus, per Divos Prædecessores Nostros

Prin-

Principes tam Spirituales, quam Seculares, Reges & Dominos Terrarum prædictarum, juste & legitime donatas & concessas, & per Nosmetipsos confirmatas, manutenere, servare, custodire & attendere, in omnibus conditionibus atque punctis, & omnia illicite ab eisdem Terris alienata aut distracta, pro posse suo, ad proprietatem earundem Terrarum recuperare: Terminos etiam earum non minuere, sed pro virili defendere & dilatare. Et quamdiu hoc ipsum Juramentum Majestas sua non præstiterit, & huic debito suo Regio non satisfecerit, Ipsi universi Status & Ordines earundem Terrarum & Civitatum Nostrarum Prussiæ ad servandum Juramentum suum, quod Majestati suæ præstiterunt, non erunt astricti neque obligati. Verum quandocunque post mortem nostram supradictis omnibus idem Serenissimus Filius noster, in ætate legitima existens, satisfecerit, & hujusmodi Juramentum debitum præstiterit, universi earundem Terrarum Nostrarum Prussiæ Status & Ordines Subditi Nostri, Illi ut vero & legitimo Domino & Regi suo coronato omnem fidelitatem & obedientiam obsequiaque, secundum Juramentum a se illi factum, præstare & exhibere tenebuntur. In cujus rei testimonium, Sigillum Nostrum præsentibus est appensum. Datum in Conventu Generali Cracoviensi, feria sexta ante Dominicam Judica proxima, Anno Domini Millesimo, quingentesimo, trigesimo, Regni vero Nostri vigesimo quarto.

Christophorus de S. Castel. Capit.
Cracovien. ac R. P. Cancel. sst.

II. Literæ
Dn. SIGISMUNDI *Regis,*

Quibus post præstitum Jusjurandum Filii, solenniter iterum cavet universis Subditis, ejus Majestati neminem parere debere, nec imperio obnoxios fore, nisi prius omnia Jura, Privilegia & Libertates Diplomate suo confirmaverit, & juxta ejus tenorem in executionem posuerit.

SIGISMUNDUS ejus nominis Primus DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſſiæ, Maſoviæ &c. Dominus & Hæres: Significamus tenore præſentium univerſis & ſingulis cujuslibet ordinis, dignitatis, & conditionis hominibus, quum ante ſeptem annos Conſiliarii Regni Noſtri, ſingulari erga nos Domumque noſtram Regiam ſtudio & propenſione permoti, tum imminentibus etiam Difficultatibus atque motibus, quibus nunc univerſus fere Orbis terrarum tumultuatur, obviam ituri, Sereniſſimum filium Noſtrum SIGISMUNDUM AUGUSTUM Regem ſibi & Regno Poloniæ nobisque Succeſſorem voluntate noſtra conſtituiſſent, ac ne res ea poſt hac ullo pacto in dubium revocari poſſet, Jurejurando ſigillatim dato fidem ſuam ipſius Majeſtati obſtrinxiſſent, quoniam is tum per ætatem nondum commode viciſſim ipſis Jusjurandum dare poterat, recepimus nos & ſpoſpondimus, & Regio verbo noſtro promiſimus, Ipſius Majeſtatem cum annum quintum decimum egreſſa fuiſſet, viciſſim ſubditis ſuis omnibus conſentaneum Jus jurandum eſſe daturam, cujus formula continetur iis literis, quibus fidem tum noſtram obſtrinxeramus. Nunc itaque cum tempus id veniſſet, liberavit ipſius Majeſtas fidem noſtram pro ſe datam, taleque Jusjurandum, quale modo deſcriptum eſt, conceptis verbis ad Sancta DEI Evangelia publice in Eccleſia Cathedrali Cracovien. quarta die Februarii præſentis anni dedit. At ne quid ea res diſcriminis mali afferret, ita tum quoque in Electione illa cautum publicoque omnium conſenſu conſtitutum erat, ut, quoad nos viveremus, penes nos univerſa poteſtas & Regium Imperium nihilominus maneret. Nunc etiam recepit idem Sereniſſ. Filius Noſter, ſpoſpondit & Regio ſuo verbo promiſit, literarumque Monumentis ea de re conſcriptis & ſigno ſuo conſignatis cavit, viventibus nobis nihil ſe poteſtatis & Jurisdictionis in Regno Poloniæ ſibi eſſe vendicaturum, neque quenquam invitum ad juſſa ſua; faciendum adacturum, ſed omnia, ſeque ipſum denique ſemper in poteſtate noſtra fore. Deinde quæcunque juraſſet publice, omnia ſe ſine ulla controverſia ſervaturum, defenſurum atque executurum

eſſe.

esse. Postremo, post obitum quoque Nostrum, neminem prædictorum Subditorum suorum sibi parere debere, nec fore obnoxios fidei imperioque suo, nisi prius ipsis universa Jura, Privilegia, Libertates, Literas & Immunitates, a supra memoratis Majoribus suis Divis Regibus Poloniæ, & a nobis etiam concessas ac donatas, quæque in posterum, dum vivimus, a nobis concedentur donabunturque, Diplomate suo Regio confirmaverit, & pro viribus suis juxta tenores earundem in executionem posuerit. Quæ omnia Nos quoq; pro eodem Serenissimo Filio Nostro recipimus, spondemus & Regio verbo Nostro promittimus. Id quod signatis his literis signo Nostro impresso consignatis testatum esse voluimus. Datum Cracoviæ sexta Februarii Anno Domini Millesimo, quingentesimo, trigesimo septimo, Regni vero Nostri Anno trigesimo primo.

Declaratio Juramenti D. *SIGISMUNDI AUGUSTI* *Regis*,

Regno Poloniæ præstiti, illud ad Terras quoque Prussiæ pertinere, illasque cum suis subditis in illo esse comprehensas.

SIGISMUNDUS AUGUSTUS, Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ totiusque Prussiæ, Masoviæ &c. Dominus & Hæres: Significamus præsentibus literis, quorum interest, universis: Quoniam in dubium vertitur, an Jusjurandum Nostrum, quod anno millesimo quingentesimo trigesimo septimo solenniter præstitimus, Status quoque & Subditos Terrarum Nostrarum Prussiæ comprehendat, cum ad Status tantum Regni Poloniæ videatur adstrictum, de aliis Dominiis ipsi Regno incorporatis nulla mentione facta: Nos pro liberatione fidei Divi Parentis Nostri, & securitate terrarum Nostrarum Prussiæ, præsentibus

declaramus & interpretamur hoc Nostrum Juramentum, bona fide dicimus & affirmamus, Nostram intentionem & mentem, tunc cum juravimus, fuisse, nec alio sensu a Nobis intellectum esse, quam ut ipsum Juramentum etiam ad Terras Prussiæ pertineret, ipsæque terræ cum suis Subditis in illo essent comprehensæ, uti & comprehensos volumus & interpretamur. Harum testimonio literarum, quibus Sigillum Nostrum est impressum. Datum Peterkowiæ pridie Epiphaniæ Domini in Conventione Regni Generali, Anno Domini millesimo, quingentesimo, quadragesimo nono, Regni Nostri XIX.

Samuel Episcopus & R. P.
Cancellarius sst.

Relatio Reveren. in Christo Patris Domini Samuelis Episcopi Cracoviensis & Regni Poloniæ Cancellarii. &c.

Vid. plura **Prussia.**

Caduca bona relabuntur ad Fiscum Regium. Vid. **Caduca.**

Ubi Princeps subditos suos convenire debeat. Vid. **Forum. Actio.**

ROBARIÆ CRIMEN.

Vid. **Rapina.**

RUMATIO.

1. Tempus præfixum rumationis.

UBi quis super bonis immobilibus & fundis Jus aliquod evicerit, tunc sequenti modo executio præstari debet, ut nimirum creditor in possessionem & proprietatem fundi, in quantum debitum ipsius concernit, Jure intromittatur, & debitori Rumatio in tempore dilationis debito, seu in tribus mensibus demandetur, & creditor in continenti intra immis- sionem

ſionem ad venditionem bonorum immobilium vel fundorum procedere poteſt, in quantum potuerit, & debet talis ſubhaſtatio bonorum vel fundorum manifeſte per publicationem notificari, vel alias pro uniuscujusque loci conſuetudine ſubinde procedi, ut id ad omnium notitiam pervenire poſſit: Attamen id omne tali modo, ut illi tres menſes ad Rumationem nihilominus liberi permaneant. Ubi etiam prædium illud alienatum vel venditum fuerit, tunc debitoribus & ejus proximioribus cognatis Jus Retractus reſervatur. Rev. l. 2. t. 23. art. 5. Vid. plura Retractus. Cum quis ad certum tempus aliquid locaverit, tunc poſt exitum iſtius temporis ad bona conducta condeſcendere tenetur, nullo vero tempore præmemorato vel expreſſo Dominus iſtorum bonorum, ante tempus ſemeſtre, quo illa ſibi condeſcendere deſiderat, Conductori reſignare tenetur. Hoc ſi non factum ſit, tunc tacite ſubintelligitur locationem de anno in annum renovatam in reſignatione non facta, nec non conductorem oportet, quando in conducto longius permanere nolit, ut id etiam quadrante anni ante exitum temporis, vel eo non præſtituto & expreſſo ante Rumationem Domino renunciare. Rev. l. 4. t. 7. art. 7. Ubi conductor ob Reſignationem vel Rumationem erga Dominum aliquem errorem habuerit, tunc de Jure ante Rumationis tempus deducere & expedire tenetur. Si vero id ex propoſito usque ad tempus Rumationis diſtulerit ad pertrahendum Dominum & in uſum ejus proprietatis impediendum, tunc cum eo minime audiendus, ſed primum ad condeſcendendum & poſtmodum ſuas condictiones, ſi quas habet, ad proſequendum adigitur. l. c. art. 8.

2. Rumatio Conductoris.

3. Error reſignationis.

RUSTICUS.

NOn liceat Ruſticis feras in nemoribus venari, nec laqueos in ſylvis & agris ponere, canes aut retia venatoria habere. Alioqui in poteſtate Dominorum ſit bombardas, canes, & retia hujusmodi aufferre, & pro qualitate exceſſus mandatum prævaricantes in decem marcis Domino fundi applicandis

1. Venatio Ruſticorum.

candis toties quoties punire. Exceptis foſſis pro Luporum captura, quas ſine tamen cujusvis præjudicio quilibet cum conſenſu dominorum ſuorum habere poteſt. Vid. Conſtitut. Terrar. Pruſſiæ D. Sigismundi Regis ab Anno 1538. §. 21.

2. Ruſtici non ſint armati. Ne ruſtici cum bombardis, cuſpidibus, lanceis, gladiis, aut ſimilibus armis publice aut privatim incedant, eaque deferant, niſi ad venationem, aut publicam pacem tuendam a Dominis & Poteſtatibus ſuis evocati fuerint. Sculteti etiam exceptis, quibus ob publicam functionem armatis eſſe liceat. l. c. §. 25.

Laudum Sredenſe in Conventu Generali Palatinatuum Poſnanienſis & Caliſſienſis die 16. Menſ. Decembr. Anno 1632. ſancitum. Conſtitutione Regni 1633. approbatum.

De profugis Ruſticis & Subditis.

NOs Conſiliarii & Equites Palatinatus Poſnanienſis & Caliſſienſis in moderno Conventu Sredenſi pro die 16. Menſis Decembris Anno præſent. 1632. congregati, perdentes magnam deſolationem & deſtructionem villarum Noſtrarum, Nobilium, Eccleſiaſticarum & Regiarum quæ inde ſuboritur, quod Subditi a Dominis ſuis hæreditariis aufugiunt, & ex villa in villam, ex civitate in civitatem migrando vagantur, neque ſe annis ſervitiis adjicere volunt, ſed aliqui illorum cubiculum apud ruſticos incolunt, aut in diem aut ſeptimanam ſaltem ſe locant, alii tugurio aut horto a Dominis in annum accepto, ubi per annum aliquando etiam brevius, ibidem habitaverunt, in alias villas migrant, alioqui nullibi fixa domicilia habent, unde villæ deſolantur, ſubditiq; depauperantur. Ideo Nos occurrendo huic deſolationi laudamus & vigore præſentis Conventus ordinamus, ut ejusmodi homines vagabundi, tam mares quam fœminæ, qui in una villa per annum & diutius habitarunt, ad alias villas absque

absque voluntate & consensu illius Domini, sub quo per annum vitam degerunt, se non transferat, imo vero, ut quilibet Dominus & Possessor tales retinere possit, neque iisdem, ut alio se conferant, permittat, & si forte aliquis horum fuga se subducat, hunc talem nemo ad villas suas aut oppida recipere debeat, quinimo eundem Domino suo extradere teneatur, sub pœna ducentarum marcarum pecuniæ Polonicæ, quo nomine forum habebit in Judicio Castrensi sine Appellatione. Dominis tamen hæreditariis liberum semper erit, nativos suos subditos proprios repetere, secundum Jura antiqua. Quod vero civitates & oppida concernit, inhærentes Constitutioni Anno 1593. de vagabundis sancitæ, ordinamus, ut nullus civitatensis tales homines vagabundos, annuis servitiis non addictos fovere præsumat sub pœna eadem 200. Marcarum ad Instantiam cujuscunque in Judicio Castrensi sub pœna Bannitionis decernenda: Imo vero tales omnes unicuique Nobili, vigore ejusdem Constitutionis Anni 1593. comprehendere, comprehensis catenas injicere, & ad labores stringere liberum erit, in quo Magistratus Civitatenses neminem impedire debent sub eadem pœna & foro. Interea tamen circa personas liberas & opifices longo jam tempore in Civitatibus, Oppidis & Villis habitantes, neque cum vagabundis & erronibus commercium habentes, easdem Civitates, Oppida & Villas conservatas esse volumus. Hi vagabundi & errones agrarias sibi impositas solvere tenebuntur, Laudumq; hoc ad omnia bona Regalia Spiritualia & Secularia se extendet, Adamus Albertus Przyiemski, Metator Castror. Regni, Mareschallus præsen. Conventus Srzeden.

Laudum hoc Constitutione Regni Anno 1633. approbatum, etiam ad Terras Prussiæ, protestantibus Civitatibus extenditur.

Qui Rusticos habet, Jus illorum illæsum conservare & debitam Justitiam administrare debet, juxta Constit. ab Anno 1490. Ubi in villa aliqua Colonus habens plures filios habitat, quando cum uno filio villam occupaverit, & œconomi- *2. De Jure Rusticorum.*

am exercuerit, reliquis liberum erit quovis locorum proficiſci, quo animus tulerit, uxoresque ſuo viſu ducere, vel in hocce vel in alieno ſolo. Si vero Pater tam infirmus fuerit, neque par oneri ruſtico perferendo exſtiterit, habens tantum unicum filium, tunc ille filius villam iſtam ſuſcipere, vel cum bona voluntate Domini ſui alium aliquem in poſſeſſione ſubſtituere tenetur. Sin vero quis ruſticos habuerit, quos antiquitus tanquam proprios ſibi addictos & ad agrum iſtum ſcriptitios eſſe teſtimonio ſufficienti comprobare poſſit, hi absque ſuorum Dominorum voluntate liberos ſe efficere non poſſunt, ſed cum omnibus rebus ſuis in poteſtate Dominorum ſuorum

4. De Ruſticis profugis. permanent. Reviſ. l. 1. t. 8. art. 1. Si cui ruſticus aufugerit, is nulla Civitate vel arce detineri debet, imo & in omnibus locis, trajectitiis, portubusque ſuper eo opera dari debet ne navigio traduceretur. Quocunque in loco iterum deprehenſus fuerit, domino ſuo reſtituendus eſt, etiamſi alicui alteri ſeſe repromiſerit, nihilominus priori Domino retradi debet. Juxta Conſtitut. ab Anno 1490. l. c. art. 2. Vid. plura

5. Non mercantur. Libertas. Ruſticis mercatura cum frumento vel aliis mer-

6. De venditione fundi illorum. cibus interdicitur. Rev. l. 4. t. 5. art. 2. Nullus Ruſticorum villam ſuam vendere debet absque conſenſu ſui Domini hæreditarii, ſub amiſſione pretii venditionis l. c. art. 16. Vid. pl. Subditus. Servus.

SACRILEGIUM.

1. Pœna Sacrilegii. QUi Eccleſias, Capellas, Monaſteria, Hoſpitalia & his ſimilia loca, ut furtum in ære & aliis talibus rebus ad iſta pertinentibus committat, attrectaverit, vel ciſtas, in quibus eleemoſynæ colliguntur, effregerit, & exinde alias doloſe ſuſtulerit, id delictum gravius quam furtum ordinarium punitur, & ſemper corpus & vitam concernit, in quo diſcretus Judex pro qualitate cauſarum, & magnitudine facinoris, procedere dignoſcet. Rev. l. 5. p. 2. t. 16. art. 12.

SAL.

SAlisfodinas Magister Ordinis Teutonici, tanquam Regale sibi reservaverit. Vid. Priv. Culm. §. 6. Ex quo etiam multorum querimoniis accepimus, quosdam Officialium Nostrorum, præsertim Tucholienses, prætextu Mandati prohibitorii de invectione Salis peregrini in Poloniam, innocentibus, antequam finibus Terræ appropinquent, Salem adimere; Quod quia iniquum est, sub gravi indignatione Nostra prohibemus, ne de cætero cuiquam adimatur, nisi ultra fines transgresso. Vid. Constit. Terr. Pruss. D. Sigismundi Regis ab Anno 1538. §. 26. 1. Ademptio salis.

SACERDOS.

Sacerdos ab expeditione executionis contra proscriptum immunis est. vid. Bannitus.

SALARIUM.

Vid. Advocatus.

NB. In Jure Culmensi Emendato pro honorario Advocatorum ponitur Salarium. vid. Emend. l. 2. c. 44. imo in capite sequenti 45. Merces vocatur.

SALVUS CONDUCTUS.

CUilibet etiam absque publicæ fidei suspicione una cum rebus suis commeare Jus est, nisi specialibus literis uti malit. Sin autem in quopiam territorio fortassis belli causa non satis explorata sit securitas, & mercator aliquis de damno sibi publice caveri petat, territorii Domino cavendi potestas est. Verum sive pretio sive gratis hoc impetratum fuerit, mercatori damnum, si quod eo nomine passus est, resarciri oportet: Is qui publicæ pacis cautionem edidit, damnum re- 1. De securitate Pacis publicæ præstanda.

resarciat, atque hoc Juris esto. Emend. l. 1. c. 15. Correct. l. 5. c. 20.

SATISDATIO.

1. An qui simpliciter promisit de satisdando cogendus sit?

SI quis alteri, vel pro sessione Consulum, vel præsentibus in Judicio Scabinis, pecuniæ solutionem certo die faciendam receperit, eamque promissionem stipulator haud invitus acceptaverit: nulla justa ratione deinde ante diem solutionis cedentem a debitore vel expromissore rem ullam vel satisdationem desiderabit, postquam semel fidem ejus in Juris loco secutus est. Verum si debitor constituto die non solverit, & ob sponsionem non impletam in Judicio Consulum vel Scabinorum conventus fuerit, non ignoti Juris est, ut creditor a debitore fidejussorem vel cautionem idoneam exigere possit, nisi satisdationem remittere vel cautionis illi gratiam facere maluerit. Cæterum si debitor ante diem solutionis dictam facultatibus ita labi ceperit, ut non solvendo futurus videatur, ad satisdandum eum cogi optima ratione defenditur. Emend. l. 4. c. 50. Cum fidejussor in fata concessit, hæredes utiq; non eo vestigio temporis ad solutionem compelluntor, sed principalis debitor, vel ejus hæredes primum excutiuntor. Quos si solvendo non esse cognitum fuerit, tum demum fidejussoris hæredes, quatenus ejus hæreditas obligationi sufficiat, solutioni faciendæ obnoxii sunt. Emend. l. 4. c. 59. Correct. l. 3. c. 90. Revis. l. 4. t. 11. art. 4. Cum quis in causa maleficii pro quopiam fidejubet, ut eum in Judicio sistat, si copiam ejus sistendi non habeat, æstimationem damni, quam Wergeldum vulgo vocant, præstare debet, nisi alias certa summa nominata in fidejussionis obligationem venisset. Emend. l. 4. c. 60. Correct. l. 3. c. 91. Si quis fidem interposuerit stato Judicii die sistendi alium, qui maleficii cujusvis causa reus agitur atque is interim è vivis migraverit, ejus morte fidejussor liberabitur, modo planum faciat, illum in rebus humanis amplius non conversari. Emend. l. 4. c. 61. Corr. l. 3. c. 93. Revis. l. 4. t. 11. art. 7.

2. De satisdatione hæredum.

3 De satisd. in Criminalib9.

Si

Si quis ob homicidium, vel vulnus illatum conventus fuerit, & ædes suas hypothecæ dederit Judicii, sistendi causa, ac interim profugiat, neque in Jure sistat, is tribus edictis evocandus est. Si tribus Juris constituti vicibus non comparuerit, tanquam in contumaciam sententia profertur, & ex hypotheca damni æstimatio actori & Judici Mulcta per Decretum adjudicatur. Emend. l. 4. c. 62. Correct. l. 3. c. 22. 4. De reali satisd.

Qui ob maleficium reus agitur, adversarius postulante Judicis authoritate cogitur, ut de sistendo fidejussorem constituat. Non amplius autem cavere tenetur, quam quanti Judicis mulcta est, ni vocatus in Jure compareat. Si fidejussor eum non stiterit, nec certa summa pœnæ nomine expressa est, adversario litis æstimationem quam Wergeldum vocari jam antea diximus, totam exhibeto. Emend. l. 4. c. 63. 5. Qui satisdare cogatur?

Civis qui fundum, ædes, tabernam, Officinam vel macellum habet, recte possessor appellabitur, eaque possessio illi cautionis est loco, si tanti sit quanti est actio qua convenitur. Emend. l. 4. c. 64. Correct. l. 1. c. 17. Revis. l. 4. t. 11. art. 1. 6. Qui non cogatur?

Qui in alterius debitum fidejubet, fidei suæ satisfacere tenetur. Oportet autem ut Creditor prius debitorem principalem conveniat, ac si is solvendo non sit, fidejussor pro debitore respondebit ac solutionem præstabit, nisi fidejussor rei principalis obligationem in se recepisset, quo casu beneficium excussionis non usurpabit, sed liberum erit Creditori etiam principali reo non convento a fidejussore solutionem exigere. Cum autem plures fidejussores concurrunt, majoris est dubitationis quinam priori loco sint conveniendi? quorum causam ita distingvemus. Si plures simul pro quopiam fidem interponant & hoc diserte conventum sit, ut singuli non in totam summam, sed in virilem saltem portionem obligentur: Creditor non amplius a singulis quam partes viriles consequetur: quibus solutis singuli liberantur, nec amplius conveniri possunt, licet sociorum aliquis solvendo non inveniatur. Sin autem plures fidejussores conjunctim in unam summam concurrant, omnes in solidum tenebuntur, sic ut creditori liberum sit singulos, quo velit, in universum debi- 7. De satisd. plurium fidejussorum concurrentium.

debitum convenire. Cæterum fidejussoribus, quia conjunctim sposponderint, beneficiorum divisionis Jure conceditur, cujus ea vis est, ut postulante fidejussore creditor jubeatur obligationem dividere, & fidejussores singulos in virilem portionem convenire, quod tum locum habet, cum singuli sunt solvendo. Nam quo casu cæteri solvendo non sunt, is qui convenitur in solidum præstare solutionem tenetur. Si vero plures fidejussores interveniant usitatis obligationem formulis conjunctim & divisim vel unus pro omnibus & omnes pro uno, vel similibus, eo casu creditoris optio, utrum omnes, vel singulos in universum convenire malit? Si unum in solidum convenerit, conventus solidum præstare tenetur, nec divisionis beneficio juvatur. Si solidum unus solverit, cæteri quidem fidejussores a creditore liberantur, sed creditor tenetur illi qui solus solvit, actiones suas cedere, quibus ille tam a principali reo, quam ex fidejussoribus quod ex reliquis portionibus illi deest, Jure consequatur. Emend. l. 4. c. 65. Revis. l. 4. t. 11. §. 3. Vid. plura Arrestum, Cautio, Stipulatio.

8. Satisd. in Criminalibus — Ob maleficium criminaliter accusatus ab accusatore Gvarandam petere potest, hæc est talis cautio ut nullam alteram conventionem expectare debeat, & qui Gvarandam seu evictionem præstat, eandem servare tenetur. Promittens alteri Gvarandam seu evictionem ob maleficium caput vel manum concernens, postmodum alter cognatorum venit & convenit eum ob eandem causam, ratione cujus evictio promissa est: Actor succumbens manum amittit, sed eandem luere potest dimidio Wergeldo, quod reo convento datur, Judici quoque mulcta præstatur. Revis. l. 5. p. 1. t. 14.

SATISFACTIO.

Satisfactio decreto. Vid. Executio.

SATUM. Vid. Ager.

SCABINUS, Vid. Judicium.

SCHOLASTICUS.

Forum Scholastici in delictis. Vid. Forum.

SCLOPETUM, Vid. Arma.

SCORTATIO.

QUando Conductor in sua mansione Scortationes exerceri patitur, tunc locator ante præfixum Terminum contractus e domo sua, certis tamen datis induciis amovere potest. Revis. l. 4. t. 7. art. 3.

SCRIPTURA.

IN criminalibus verbotenus & non in Scriptis accusandum & respondendum est. Rev. lib. 5. p. 1. t. 4. art. 3. Vid. plura Libellus. Chirographi, Apochæ & his similes scripturæ a privatis hominibus scriptæ, & illorum Sigillo confirmatæ, hæ testificantur plenarie contra scribentes, si vero ille duobus testibus probare potuerit, eam non suam manum esse, nec sigillum sua voluntate aut scitu, sed falso sub impressum esse, tunc eo ipso ab obligatione harum Literarum & in ea contenti debiti liber pronunciatur. Ubi vero in Chyrographo penes eum qui illum scripsit, etiam alii duo testes nominati fuerint, quorum subscriptio in documento una extat, hoc casu Chirographus omni suspicione & contradictione carere debet. Mercatorum libri & regestra, si fuerint competenter conscripta, & alias absque suscipione reperta, probant utique de Jure, eo tamen modo, ubi ad adversa parte per sufficientes reprobationes non poterunt refelli, is cujus liber est, eundem Jure jurando suo confirmare tenebitur. Cum

1. De Scripturis privatis.

nudis scripturis vel copiis non sigillatis nihil probari potest. Rev. lib. 2. t. 19. art. 4. Quando Scriptura quælibet, cujuscunque sit formæ, in Judicio producta & ab eodem pro valida pronunciata fuerit, tunc omnia per hoc in eadem Scriptura contenta, tanquam valida sunt æstimanda, nisi quid aliud singulare expressum fuerit. Nemini Protestatio adjumento esse poterit, ut unam scripturam ex parte tantum ipsi inservientem, & non in toto produxerit & insinuaverit, l. c. art. 5. Vid. plura Documenta, Notarius, Acta.

2. Scriptura non in partem sed in totum valeat.

SCULTETUS.

1. Gerat arma.

SCultetis ratione sui officii licitum est gestare arma. Vid. Constitut. Terrar. Prussiæ. D. Sigismundi Regis §. 25. ab Anno 1538. Moritur quis relinquens hæreditatem scultetialem, & simul relinquat post se Patris sui fratrem vivum utrinque conjunctum, & sororis sui filium etiam utrinque conjunctum, quis inter hosce habeat Jus ad hæreditatem Scultetialem? Ad hæc Jus procedit: Jus hæreditarium Scultetiale, & quicquid ad illud spectat, Sculteti post mortem, devolvitur ad proximiores hæredes utriusque sexus de Jure: Si sint etiam ad hoc Officium hæreditaria aliqua bona, vel prædia, vel census mutuati, hæc sequi & cedi debent Officio. Si vero vadia, mulctæ, æstimationes a Judicio constitutæ a Sculteto autem non perceptæ inveniantur, tunc pecunia talis spectat, si scultetus moriatur ad proximiores hæredes vel cognatos, tam masculos quam fœminas: Ast Officium Scultetiale, quod quis Jure hæreditario emit, devolvitur etiam ad hæredes utriusq; sexus, sic tamen ut masculus, si videatur idoneus, semper fœminis præferatur. Rev. lib. 3. t. 9. art. 19.

2. De Successione in hæreditate scultetiali.

SECURITAS. Vid. Salvus Conductus.

SE-

SEDITIO.

SI quis periculosam & malitiosam plebis seditionem ex proposito adversus Magistratum excitaverit & machinatus sit, ille quatenus convictus fuerit hujus delicti capitis amputationem meretur; Si vero talis Seditio per plures personas mota fuerit tunc principaliores autores vita, reliqui relegatione puniri & coerceri debent. Rev. lib. 5. t. 4. Vid. plura **Rebellio.** 1. Pœna seditiosorum.

SENATUS.

Vid. **Consulatus.** Senatores Prussiæ penes Jusjurandum consuetum etiam de Justitia rite administranda jurare debent. Rev. lib. 1. t. 2. art. 2.

SEPULCHRUM.

SI quis hominis mortui cadaver ausu proprio, sine permissu Magistratus sepulchro exemerit, cui id perpetrandi Jus fasque non est, vim & Ecclesiæ & mortuorum conditoriis fecisse judicatur, in cujus facinoris mulctam omnia sua bona quæcunque possidet, Ecclesiæ committit. Si bona, quibus mulctetur non habeat, ad palum in coemeterio religator, & quadraginta plagis vapulato, ac secundum auriculas tondetor. Si Clericus facinus hoc designaverit, Episcopus eum omni suæ dignitatis honore privato, ac in perpetuum exuito, sic ut ad conditionis suæ statum recuperandum nullo unquam tempore sit admittendus. Quicunque vero Judex facinus hoc eo modo, quo supra scriptum est, exequi neglexerit, & bonorum amissionem & honoris infamiam incurrito. Atque crimen hoc unicuique persequendi publice Jus esto. Emend. lib. 5. c. 62. Corr. lib. 5. c. 68. Revisum aliter statuit: Qui hominem mortuum proprio motu absque ullius consensu effoderit, vel sepulta cadavera attractaverit, postmodum terræ man- 1 Sepulchrum violatum.

mandaverit, is virgis cæsus perpetuo relegandus est; Si vero corpus illud seu cadaver insepultum reliquerit, vel tale facinus sæpe commiserit, & armata manu consumaverit, ille capite plecti debet. Rev. lib. 5. p. 2, t. 16. art. 13.

SEPULTURA.

SEpultura propinqui eximit a termino Judiciali. Vid. Impedimentum Legale. Expensæ funebres habent præferentiam præ omnibus Creditoribus. Rev. lib. 2. t. 24. art. 3.

SENTENTIA.

1. Quæ sententia prior.

CAusam, quæ prior in Judicium venit, priori loco sententiis ferendis Judices determinanto. Emend. lib. 2. c. 61. Corr. lib. 2. c. 12.

2. De sportulis sententiæ aliunde petitæ.

Si quæ civitates sententiam, quam ipsæmet ignorant, aliunde petiverint, Scabinis, qui Sententiam tulerant, in singulas earum tres quadrantes bonas unius Marcæ, nummorum scilicet ejus generis, qui eo loco probi sunt atque recepti, quibus ea, quæ potui ac esui sunt, comparari solent, sportularum nomine persolvunto. Uter litigantium causa ceciderit, Sportulas luito, vel ambo ex lege Conventionis æquis portionibus pendunto. Emend. lib. 2. c. 62. Corr. lib. 2. c. 5. Rev. l. 2. t. 21. art. 4.

3. Si Scabini in ferenda sententia dissenserint.

Si Scabini in eandem Sententiam simul pedibus ire nequeant, cum in Judicio constituto quid juris sit rogantur, licentiam habento in alterum vel tertium diem, qui Judicio dictus est, animi sensum prorogandi. Tertio sane die vel ipsi sententiam ferunto, vel si Jus nesciant, aliunde, unde fas est, petunto, nec in ulteriorem diem cognitiones sustinento. Emend. lib. 2. c. 63. Corr. lib. 2. c. 8. Rev. l. 2. t. 21. art. 2.

4. Si quis sententiam rogatus, quid Juris sit, nesciat?

Qui sententiam rogatus quid in ea causa Juris sit nesciat, illi tempus proferendi jus esto. Multi sunt enim qui non statim rationes expedire possint, quid quaque in re Juris sit constituti. Nemo proinde sententiam ferat ex suo saltem arbitrio vel ingenio, sed ex Jure scripto,

ſcripto, ſic ut conſcius ſibi ſit, juſtum hoc eſſe quod promulgat. Sin dubitet pœnæ divinæ ſemet obſtringit, quatenus ſententiam ex nuda ſaltem opinione tulerit. Si quis prætendat Sententiam male vel inique adverſus ſe dictam, eamque refutare volet, refutandi modus hic ſolennis eſt: Ego ſententiam iſtam redarguo, & injuſtam eſſe ajo, atque hanc in rem ad eum provoco, ad quem provocandi Jus eſt, hoc eſt, ad Judicem ſuperiorem, deinde cauſam peragat, uti Jure conſtitutum eſt. Stando Sententia refutatur, ſedendo fertur. Stando actori præſtatur æſtimatio damni, quod in Judicio committitur, & ſtando itidem Judicii mulcta luitur. Si quis ſecus fecerit modica mulcta juxta morem a Judice coercetur. Ne quis ſententiæ ferendæ Jus uſurpato, niſi qui in Judicium ordinem lectus eſt, & niſi cui Magiſtratus ſpecialiter id commiſit. Scabini vero prudentes leguntor, & ipſimet prudentes & non inepti ſunto ad ſententias dicendas & promulgandas. In quacunque cauſa judicaverit, ſeptem ad minimum numero ſubſelliis aſſidento; Si plures fuerint melius æquius eſto. Emend. lib. 2. c. 64. Sententiam quilibet refutare poteſt, quatenus Juris notio ſit, nec in eam rem municipali decreto pæna conſtituta eſt. Emend. lib. 2. c. 65. Corr. lib. 2. c. 6. Rev. lib. 2. t. 22. art. 1. Qui ſententiam retractavit, quam Scabinus in ejus detrimentum tulerat, & in eam cœteri Collegæ pedibus iverant, ſi Jure & ordine ſuperiorem Judicem appellaverit, quatenus cauſa cadit, & Scabini ſententia comprobatur, ſportulas in ſponſionem refutatoriam depoſitas amittito. Sin autem Scabinos male pronunciaſſe decretum fuerit, provocatori ſponſionis ſportulæ reſtituuntur. Emend. l. 2. c. 67. Corr. l. 2. c. 7. Rev. l. 2. t. 22. art. 5. Ubi additur quod virtute Conſtitutionis Regiæ coram Judicio terreſtri ſolvi debeant tres marcæ: In Conventu publico ſex floreni a 30. gr. In civitatibus novem Marcæ pro ſuccumbentia ſint enumerandæ l. c. Hoſpes civem conveniebat, rei vendicatione conventus nihil a ſe deberi probaturum ſe recipiebat. Hoſpes alteram Civi actionem intentabat, is ibidem ſe religioſo Jure fidei manusque ſuæ purgari poſſe profite-

5. De ſentent. refutanda.

6. De mulcta ſententiæ retractatæ.

7. De ſententia redarguatoria prorogatæ cauſæ.

fitebatur. Decreto dies probationibus peragendis constituebatur, ubi dies venit, hospes Jure provinciali probationes testium ac juris jurandi, uti decretum erat, postulabat. Scabini expectandum esse de plano interloquebantur, quamdiu Judicium exerceretur. Conventus interveniens ajebat, se pecuniæ, quam actor petebat, sponsionem facere; Si provocationi suæ ad Judicem, ad quem Jure provocari liceat, cedatur, ac decerni rogabat, an provocationem actor sequi teneretur? Hospes excipiebat se Juris cognitionem desiderare, si non Conventus Scabinorum decreto, quoad hoc die Judicio exercebitur, satisfecerit, sibi Jus crediti quod peteret, potius adjudicatum iri, quam ut adversarii provocationem sequi debeat. Utriusque causæ definitionem Scabini ad proximum solennis Judicii diem proferebant. Quæsitum est an probabilius admittendum sit, quod hospes causam obtinuerit, quando quidem civis probationes, quas receperat, non peregit? & non est incogniti Juris siquidem Scabini Controversiæ definitionem ad proximum stati Judicii diem protulerunt actore sciente neque legitimis modis contradicente, quod tam actor quam reus Judicii diem & Juris sui decisionem itidem, ut antea, opperiri debeant. Quamdiu enim sententiæ, quæ totam rem definiant, non promulgantur, nec hospes nec civis Jure suo defraudatus intelligitur. Emend. l. 2. c. 67. Correct. l. 5. c. 12.

8 Publicatio sententiæ. Judici licitum est vel in instanti sententiam ferre, vel causam ad deliberandum suscipere; Quando postmodum Decretum publicatur, pars partem adcitare debet, quibus semper adhoc Terminus peremptorius est conservatus. Revis. l. 2. t. 21. art. 2. Vid. plura Arbiter.

9 De sentent. arrestata. Si forte Parte aut Procuratore ejus in loco Judicii quidem præsente, per negligentiam tamen, vel etiam aliquam justam causam non respondente, Decretum latum fuerit, ante occasum solis arrestare integrum ei erit; quo quidem ita arrestato, sequente die aut Judiciis ante omnes alias causas de eo cognoscere Judicium tenebitur. Jus Terrestre Terr. Pruss. tit. 6. §. 17. De processu Civili.

10 Publicatio sententiæ. Libello denique Exceptionibusque utrinque propositis, instrumentis

etiam

etiam seu Monumentis, ac Testimoniis diligenter examinatis, definitivam sententiam ex scripto proferet Judex, Partibusque petentibus scriptam edet: appellare etiam ab ea volentem appellare permittet. l. c. §. 44. Appellationes autem a Causis Judicii Terrestris, antequam Judicium ex loco Judicii eadem die recedat, fient indifferenter ad Conventum generalem Terrarum Prussiæ, vel ad Tribunal Regni, quod prius horum celebratum fuerit. l. c. §. 45. Quisquis a Judicio Terrestri appellaverit, tres Marcas Judicio deponere tenebitur: Si vero a Conventu generali Terrarum Prussiæ, tres florenos per triginta grossos, qui, si Appellans in superiori Judicio succubuerit, in usum Judicii cedant; si causam obtinuerit ei restituantur sub pœna. l. c. §. 46. Non modo autem ab ultimis sententiis definitivis permitti Appellatio debebit, verum ab aliis etiam, quæcunque gravius aliquod præjudicium Parti adferre possent: Ab Accessoriis vero & Interlocutoriis vim definitivæ sententiæ non habentibus, ut quæ terminum saltem aut citationem, sine ipsius Causæ amissione, proferant, aut alias grave aliquod præjudicium Parti non adferentibus, tum omnibus, a quibus directe in Jure hoc Appellatio remota est, nulla Appellatio admittenda est. l. c. §. 47. Si quis Scabinum in Jure sedentem maligne reprehenderit ob dictam sententiam quam cœteri Collegæ calculo suo comprobassent, singuli Scabinorum injuriæ æstimationem ab eo, qui convicium fecit, exigant; Judex autem mulctam toties petat, quoties ille Scabinis injuriam passis æstimationem præstiterit. Emend. l. 2. c. 3. Correct. l. 2. c. 3. Prætori Scabinus sententiam dicere non cogitur extra Judicium, præterquam in non recentis criminis maleficio. Emend. l. 2. c. 4. Correct. l. 2. c. 11. Nemo præsumat sibi aliquod Jus ære conciliare; sed unicuique Justitia administretur in civitatibus sancitum est, ut Scabinis parvulæ dentur Sportulæ pro sua turbatione & labore in inquirenda causa Juris, & desuper Judicium suum aperiundi. Quando ex Scabinis alicujus civitatis quæritur, quid in ista aut alia causa sit Juris? Scabini causæ decisionem nesciunt & eandem desuper jamjam

11. Appellatio a sententia.

12. De convicio propter sentent. dicto.

13 Quando Scabinus sententiam dicere debeat?

14. De sent. aliunde petita, f. per corruptelam obtenta.

pecunia accepta, aliunde petunt, & dum petunt adinveniunt, ex legali ratiocinatione decretum, ut ſententia aliunde petita haud opus ſit, neque partes usque ad adventum peregrinæ ſententiæ non expectare teneantur, tunc Scabini pecuniam acceptam pro ſententia aliunde petenda refundere tenentur. Quando vero ſententia aliunde petitur, tunc ſuccumbens ſolvit Sportulas & victor ſuas expenſas recipit. Quando enim unus Scabinorum absque ſcitu & communicatione cum ſuis Collegis pro ſe & pro accepta pecunia decretum fert illud nullius eſt valoris, & ſi Scabinus eapropter convictus fuerit, in Scabinatu ulterius non eſt tolerandus. Correct. l. 2, c. 14. Vid. plura Executio, Appellatio,

SEQUESTRATIO.

1 Jura ſequeſturæ.

Duobus vel pluribus ſuper re eadem & ipſius poſſeſſione diſcordantibus, tunc hanc apud aliquem ſpontanea voluntate deponere poſſunt, usque ad finalem cauſæ exitum, judicialiter vero nemini bona ſua adimenda vel ſequeſtranda ſunt, niſi duobus de poſſeſſione alicujus rei contendentibus, nec confeſtim reperiri poſſit, ad quem iſta poſſeſſio vere pertineat, vel ſi majores rixæ, turbationes, deteriorationes & damna hujus rei, de qua litigium vertitur, ſint extimeſcenda, vel aliæ rationes juridicæ emergerent: attamen etiam quis ſequeſtrationem amovere poteſt, per datos fidejuſſores aut aliam ſufficientem cautionem de damno non ſubſecuturo. Apud quem itaque aliquid ſequeſtratum aut depoſitum fuit, ille gaudet rei depoſitæ poſſeſſione, ita, ut ſi deſuper aliquis contra eum intervenire nitatur, ejus interventionem elidere & impetitorem a poſſeſſione arcere poſſit. Tenetur inſuper rem depoſitam aut ſequeſtratam cauſa per ſtrepitum Juris evicta, finita aut transacta victori cedere & tradere. Reviſ. l. 4. t. 3. art. 5. Quando creditor a ſuo debitore ſolutionem acceptare noluerit, debitor vero a nexu debiti ſe lubentiſſimè vellet explicare, ulterioraque damna evitare, tunc eandem pecuniam numeratam & obſigillatam apud Judicem poteſt depo-

2. Quomodo debitor ſequeſtrare poſſit.

deponere, mediante qua depositione Creditori omnis aditus propter eandem pecuniam conveniendi præcisus est. Revis. l. 4. t. 15. art. 1.

SERVITUS.

Qui binas habet ædes continuas, sic ut aqua, quæ in urnis colligitur, canali vel tuba per alteras derivetur, si eas, ex quibus aqua fluere solet, vendiderit, & in Judicio constituto tradiderit, sine quapiam exceptione servitutis ejus, aquæ ductus non præstandæ, & emtor ædes illas cum aquæ ductu per vicinam aream defluente possidere ceperit. Venditor deinceps qui servitutem non excepit, prohibere non potest quo minus aqua per aream suam profluat, uti ante venditionem fluere solebat. Emend. l. 3. c. 6. Correct. l. 5. c. 10. Revis. l. 3. t. 4. art. 2. Si cujus ex domo stillicidium in aream vicini cassitare consveverit, idque vicinus pati noluerit, documentis tabularum publicarum, vel aliarum literarum vel idoneorum testium, qui sint homines integræ famæ, ætate & possessionibus præditi, probandum erit, quod stillicidium istud antiquitus ita cadere solitum fuerit, quodque vicinus sibi vel auctori suo patientiam ejus Juris præstiterit: Sic etiam Servitutem retinebit, modo per annos triginta & annuam diem sine interpellatione usurpaverit. Fistulam autem novam imponere, vel aliud stillicidium projicere, quo magis vel gravius nunc quam antea in aream vicini cadat, Jure prohibetur. Emend. l. 3. c. 7. Correct. l. 3. c. 11. Revis. l. 3. t. 4. art. 1. Qui domum ædificat, quam volet altissime tollendi Jus habet, nisi vicinorum luminibus ita officiat, ut illum altius tollere Jure prohibere possint. Si cujus lumina alterius ædificio obscuriora fiant, Senatum adito, atq; is luminis impedimentum ad Juris normam reducito. Emend. l. 3. c. 8. Correct. l. 5. c. 69. Revis. l. 3. t. 4. art. 3. Vid. pl. Feudum.

1. Servitus aquæductus.

2. Servitus stillicidii.

3. De luminibus officiundis.

SER-

SERVUS.

1. De homine in servitutem vendicando. SI quis hominem in servitutem vendicare velit, servum suum esse probare debet, ut Juris est, quatenus ille pro libero se gerat, sin se liberum non perhibuerit, Dominum sequatur; Si literarum testificatione subnixus sit, quibus natales ejus vel manumissionem mancipii dominus, unde oriundus est, confirmat, vel si libertatem testibus comprobare possit, pro libero censebitur, ac libertatis beneficio gaudebit, Emend, lib. 4. c. 33. Corr. lib. 3. c. 73. Rev. lib. 1. tit. 8. art. 3. Ubi addit: Si quis per quinquennium in alieno loco degat, Dominus ejus etiam quod ibi vivat habeat notitiam, servum non vindicet, neque currente quinquennio absentiæ contradicat, tunc servus hoc annorum spatio Jure præscriptionis libertate sua perpetuo fruitur, nec unquam per priorem

2 De mercede condicenda. dominum revocari potest. l. c. Si Servus mercedem a Domino condixerit, eamque Jure probaverit, vel obtinuerit, non ideo Dominus Judici mulctam committit, sed tenetur servo mercedem eo die, priusquam sol occidat, exsolvere. Emend.

3. Privilegium mercedis. lib. 4. c. 43. Corr. lib. 3. c. 67. In concursu creditorum merces Servorum præ omnibus creditoribus habet Privilegium.

4. De conductione servorum. Rev. lib. 2. t. 24. art. ultimo. Mercenarii diurni nullum cibum accipere debent, sub pœna trium marcarum bonæ monetæ, quam pœnam in civitatibus Senatus, in terrestribus Domini territoriales exigant. Excipiuntur vero hi qui in arcibus vel Monasteriis terrestribus mercede diurna laborant. Quilibet operarios conducere potest quam minimo pretio absque esculentis. Hortulanis vero Dominis suis laborantibus cibus est subministrandus & diebus singulis duo solidi exsolvendi. Triturantes decimum quartum modium accipiunto, contra faciens pœna trium marcarum b. m. a suo Magistratu mulctandus est. Qui non habet hortulanos, illi licet trituratores minimo quovis pretio conducere, absque tamen cibo. Qui se se alicui alteri ad servitia præstanda devinxerit ad spatium anni, eundem annum in servitio continuare tenetur; quod si sequenti anno permanere noluerit, id ipsum octo

septi-

ſeptimanis ante exitum anni domino indicare, idemque Dominus erga ſervum præſtare tenetur. Quicunque pluribus Dominis, & non uni ſolum ſeſe locaverit, huic adjudicandus erit, a quo primam arrham accepit, huic miniſtrato, & præterea a Magiſtratu punitor. Quilibet ſervus tenetur ſuo Domino fideliter ſervire, nec ullo unquam die, tam feriato quam operato, absque conſenſu Domini ſui exire; Quodſi vero ipſi conceſſum fuerit exire, tunc ſub pœna ad præſtitutum tempus ſeſe ſiſtito. Poſt finitum ſervitium nullus ſervus ſervaque ultra quatuordecim dies absque famulitio circumvagare debet, niſi apud Parentes ſuos commorati fuerint. Hoc ſimiliter de opificibus, foſſoribus, lignatoribus & reliquis operariis intelligendum eſt, qui contra fecerit, punitor, & ad ſervitium remittendus erit, ſecundum Conſtitut. ab Anno 1490. & 1566. Reviſ. l. 1. t. 8. art. 4. Qui a ſervitio diſcedit, a Domino literas teſtimoniales recipere debet, quibus deficientibus detinendus erit, & qui talem ſervum celaverit, pœna quinque marcarum mulctandus venit; Nemini etiam licitum eſt eosdem pernoctare, ſed de eorum præſentia debet denunciatio ſub pœna coram Magiſtratu fieri, niſi ex exteris Regionibus in cauponam venerint. Qui alicui Servitium promittit, deſuper arrham accipit, & nihilominus aufugit, ille in duplo domino quo conductus eſt, condemnabitur, & quicquid mercedis nomine acceperit duplicatum reſtituere tenetur, ſimulque condemnator in proximo caſtro in ferro laborare per dimidium anni. Cum hortulanus, ſervus, vel operarius alicui aufugerit, deſuper deprehenſus domino ſuo reſtitui debet ſub pœna 20. florenorum Hungaricalium, quando propterea requiſitus fuerit absq; dilatione in primo termino reſpondere & convictus ejusmodi pœnam in continenti deponere tenetur. l. c. art. 5. Omnes otioſi, impoſſeſſionati, nulla honeſta negociatione vel manus labore victitantes, neq; per alia relevantia impedimenta præpediti, quo minus honeſto labori incumbere poſſint, poſt præmiſſam præmonitionem, quando Magiſtratui de illorum ſtatu innoteſcit, primo ad quadrantem anni catenis ferreis illigati ad laborem cum aqua & pane a Ma-

5. Quomodo ſervus ſe gerere debet?

6. De otioſis.

Magiſtratu loci uſurpandi ſunt; Quo neglecto & poſtpoſito, poſtmodum de novo ſpatio quadrantis anni, ſi iterum absque famulitio circumvagaturi permaneant, tunc ad ſpatium totius anni ſupra memoratæ pœnæ ſubjaceant & tandem hoc etiam ſpreto adminiculo, deque novo per quadrantem anni ſi otio ſe conſecrarent, virgis cæſi, ex diſtrictu hujus loci perpetuis temporibus relegari & deportari debent. l. c. art. 6. De alienatione ſervorum. Vid. Ludus, Plura vid. Ruſticus, Opifex, Subditus,

SIGILLUM.

1. Quibus ſigillis in citationibus utendum.

SI ad Conventum Terrarum Pruſſiæ quis evocetur, Sigillum Terreſtre Palatinatus ejus, in quo reus fuerit, ei applicabitur; Si ad Palatini Judicium, ipſius Palatini: Si ad Tribunal, Terreſtre. Jus Terreſtre Terrar. Pruſſ. t. 6. §. 6. De proceſſu Civili· Quæcunque ex libris Terreſtribus eduntur, Signo Terreſtri obſignentur, quod apud Judicium eſſe debebit, manuque ejusdem Notarii Terreſtris ſubſcribantur. Jus Terreſt. t. 5. §. 35. De Magiſtratu & Judiciis. Pontificis Maximi ſigilla, Bullas vocamus, eorum diplomata, cum recte riteque dantur & accipiuntur, commodo ſunt & emolumento. Regum ſigilla permagnam vim habent. Et Epiſcoporum ac Principum, omniumque Communitatum Sigilla ſunt legitima atque hæc quidem, tam in aliis, quam ipſorum propriis cauſis & negotiis locum obtinent. Aliorum autem Sigilla nullam vim habent, præterquam in cauſis illorum propriis. Civitates itidem Sigilla habere debent cum conſenſu & permiſſu Principis. Sin absque Principis conſenſu habuerint nullius ſunt roboris præterquam in propriis illorum negotiis. Omnes Judices publice uti poſſunt Sigillis, eaque valent in cauſis ad illorum Jurisdictionem pertinentibus. Qui Privilegium conſcribit vel concedit ſeptem quam minimo teſtes adhibeto: quo plures ſint, eo melius fuerit. In quolibet Privilegio teſtimonium eorum, qui in rebus humanis eſſe deſie-

2. De variis ſigillis.

ſierunt, æque ac viventium ratum eſto. In conficiendis Privilegiorum literis annum nati Chriſti Salvatoris adſcribito. Teſtium etiam ſigilla ad rei majorem evidentiam adponere fas eſto. Emend. l. 1. c. 16. Corr. lib. 5. c. 64. Sigillo ſuo contradicere quis poteſt manus ſuo teſtimonio, ſic ut juret, ſigillum ſe nolente & neſciente literis appreſſum vel appenſum fuiſſe. Si teſtibus arguatur, teſtibus itidem propoſitam ſibi defendendi neceſſitatem intelligant. Emend. l. 5. c. 60. Corr. l. 3. c. 61.

3. Si quis ſigillo ſuo contradicat.

SILENTIUM.

SI quis cauſam ad finem Jure perduxerit, & petiverit adverſario pacem vel ſilentium a Judice, Judex pacis tenendæ legem præſcribito, ſic ut ex auctoritate Judiciali pacem litigantibus edicat, ac mandet, ne ob eam cauſam alter alteri moleſtiam exhibeat, qui ſecus fecerit, pœnam in contemptores pacis conſtitutam committit: alter vero ſi recte ſibi conſultum voluerit, cautio eſt, ut Scabinis conteſtandi gratia Sportulas præſtet, ac petat rem actis publicis adnotari. Hoc pacto Scabini teſtimonium rei geſtæ conſervabunt, ex quo hanc in poſterum utilitatem ille conſequetur, ut ſi deinceps adverſarius negotium eam ob cauſam fecerit, alter teſtificatione Scabinorum evincat, pacem vel ſilentium actionis dictam impoſitumque, ex quo conſequenter adverſarius parti læſæ æſtimationem injuriæ, prætori vero mulctam, illi rei dictam exſolvere cogetur, & in poſterum ab moleſtia alteri temere inferenda merito temperabit. Emend. lib. 2. c. 13. Corr. lib. 2. c. 40. Rev. l. 2. t. 2. art. 5.

1. De pace tenenda pro cauſis Jure finitis.

SOCIETAS.

SI quædam perſonæ in honeſtis contractibus & negociationibus ſocietatem iniverint, quod tum æquis modis transactum, collocutum, conventum, & concluſum fuerit, verbotenus vel deſuper confectis inſtrumentis & ſcriptis, illud omni modo

1. Societas mercatorum.

modo validum & firmum tenendum & censendum est. Rev.
2. De laudato damnato & lucro. l. 4 t. 8. art. 1. Quando etiam ex societate ratione sui laboris, sudoris, diligentiæ, vel etiam singularis alicujus experientiæ, in mercatura supra suam depositam summam capitalem aliquod lucrum insuper concessum, vel etiam totalis libertas damni approbata & conventa fuerit, illud ita tenendum & assequendum est. Societas etiam iniri potest ut unus saltem pecuniam deponat, alter sudorem & laborem pro certo lucro præstet, quod etiam validum censendum est. Quando vero unus damnum solum, alter autem lucrum recipere studet, in casibus quibus utrinque pecuniæ depositæ, & negotia pari sudore & labore prosequi debent, tunc ejusmodi conventio de Jure invalida censenda est. Si vero nullæ certæ partes & sortes reservatæ fuerint, tunc lucrum & damnum simul pro cujusque deposita capitali Summa redundat art. 2. l. c.

3. Jura Societatis de communi bono. Quilibet socius in causa communis societatis & negociationis talem diligentiam, curam & custodiam bonorum, quorum administratio illi demandata est, adhibere debet, qualem in suis propriis bonis & rebus præstare tenetur, quo non facto, & super illo probato, tenetur damnum sua negligentia vel incuria causatum, ferre & refundere: Quando vero ultra talem adhibitam diligentiam Societati damnum aliquod emerserit, illud in genere Societati communiter accidit. art. 3. l. c.

4. Quomodo Societas ex negotiorum gestione obligetur? Societas communis unum eligens, qui negocio præesset, is illud administraret, vel etiam absque electione prospiceret & pateretur, ut administratio per se ita fieret, tunc tota societas ratione ejusmodi negociationis ad lucrum damnumque redundans perferendum astringitur & obligatur: Simili quoque modo cum omnibus negociorum gestoribus & factoribus negocio e societate perfecto observandum & intelligendum est art. 4. l. c.

5. De communi debito societatis. Qualiacunque debita durante societate in alios homines collata contractaque fuerint, pro hisce socii omnes in solidum obligantur, hoc est, quilibet pro integro debito, ita tamen, ut si unus supra vel ultra suam portionem persolverit, hoc a suis consociis repetere potest. Art. 5. l. c.

6. Calculatio rationum. In conventione societatis certo tempore rationum distrahenda-

darum instituto, tunc illud absque contradictione tenendum est, tempore vero nullo denominato, tunc ad minus ad evitandas varias difficultates & ambages annuatim capitalis computatio ingeri & trutinari debet, ubi etiam aliqua suspicio vel incommoditas alia inciderit, ob quam unus vel plures sociorum ante tempus communes rationes calculi desideraverint, tunc illi obligantur rationes conferre & computare, & si aliqui defectus præter casum fortuitum appareant, reliqui ratione damni supervenientis resarcire non tenentur. Similiter, tametsi libri mercatoriales sub directorio unius tantum socii habeantur, nihilominus unicuique consociorum est facultas concessa libros suo lubitu perlustrare, & suam crescentem & deficientem fortunam observare. Art. 6. l, c. Si aliquis sociorum naturæ debitum persolvit, tunc ejus hæredes inviti ad continuandam societatem neutiquam sunt cogendi, multo minus reliqui consociii ad hoc possunt adigi, ut contra liberam voluntatem defuncti hæredes in societatem reciperent, nisi ista societas suam originem trahat ab avis, & ista societas familiam propagatam involvat, ipsique tutores hæredum in Societate permanere cuperent, tunc reliqui socii eosdem acceptanto, nisi in Contractu fundamentali alia conditio sit opposita. Art. 7. l. c. Hæredes defuncti tenentur in solidum ad omnia ea quæ cum suo Antecessore Societas concludit, ipseque stipulavit & confectum instrumentum subscripsit. Art. 8. l. c. Qui ad certum tempus societatem inivit, ante ejus effluxum non debet resilire; nisi alter socius ipse pactis conventis contraveniret, vel ut istæ res, propter quas societas fuerat stabilita, non possint haberi, & sic frustrata finis contractum evanescere faciat. Illi liberrime a Societate recedere Jura permittunt, qui reipublicæ causa procul iter facere ibiq; commorari debeat, sic ut societati interesse, ei providere, solidaque commoda promovere haud posset. Art. 9. l c. Societate finita & sublata, ex divisio omnium rerum, paratæ pecuniæ, omnium nominum & prætensionum, omniumque mercium sic evenire debet, uti tenor pactorum conventorum ab initio expresserat; Si vero nullæ conditiones singulares fuerint

7. Mors sociorum.

8. Heredes sociorum.

9. Quomodo Societas ante tempus finiatur.

10. Exdivisio Societatis.

fuerint inter partes expressæ, tunc secundum proportionem geometricam unius cujusvis summæ capitalis illatæ repartitio lucri & proventuum est instituenda. Art. 10. l. c. Quando in societate conventum sit, ut unus tantum pecuniam conferat, alter vero suum laborem impendat, & nihilominus certam portionem lucri exinde percipiat, quæritur an post finitam societatem illata massa pecuniæ sit inter utramque partem dividenda aut suo domino, qui eandem intulit, in solidum restituenda? Respond. Qui solus æs suum impendit, ille etiam solus recipit, nec alteri quicquam de eo debet, qui contentus esse debet, quod sine pecunia partem lucri pro labore suo sit adeptus. Si vero illata capitalis Summa stante societatis contractu, fuerit deteriorata, ille, cujus pecunia erat, suum damnum solus perfert, alter vero irritum & sine fructu desudavit laborem. l. c. art. 11.

11. Quando unus sociorum æs suum alter vero laborem impendat, quid circa exdivisionem finalem sit servandum.

SODOMIA.

SI homo cum pecude, juvene, aut viro, venerem suam exercet, omnes vita puniendi & in palo cremandi sunt. Rev. lib. 5. p. 2. t. 11.

SOLUM. Vid. Fundus, Ager.

SOLUTIO.

1. De die solutioni dicta.

SI cui pecunia vel argentum solvendum est, quatenus vel ad Judicii diem præsto non sit, vel pecuniam non accipiat, non ideo pecuniam suam amittit, sed diei saltem jacturam facit. Tribus autem stati Judicii vicibus Jus obire jubebitur, si non adsit, neque testimonia sua peragat, causam perdit, nisi causa gravior impediverit, puta si captivus sit, vel alia necessitate distentus, quo minus nuncium mittere potuerit, ad impedimentum legitime comprobandum: hoc enim casu damnum non patietur: Prætor ubique Jus administrabit prout decreto judicatum est. Cum autem quis ad probandam

bandam necessitatis fidem adfuerit, is Judicem adeat & impedimentum juramenti religione liquido contestetur: Judex autem, uti antea judicavit, ita nunc Judicium repetat, eodemque loco res habetur, ac si stato die ad peragendam causam adfuisset. Emend. l. 4. c. 49. Correct. l. 5. c. 40. Qui alicui aliquid debet, exsolutionem præstituto termino & die nec prius nec post præstare debet, in bona & in foro versatili moneta in solidum & non particulariter; nisi aliter inter Partes fuerit conventum. Si etiam in contractu certus locus solutionis fuerit designatus, tunc in eo & non alias parata pecunia enumerari debet: Si nullus locus solutionis contractui est insertus, tunc ordinarie exsolutio in domo debitoris expectanda est. Si vero creditor solutionem repudiat, & debitor nexu obligationis sese eliberare cupiat, habet eo casu remedium Juris ut debitam suam summam ad evitandum ulterius damnum coram Judice enumeret, obsigilet & deponat, quo facto, a creditore suo est liberatus. Revis. l. 4. t. 5. art. 1. Qui alium Jure convenerit ob pecuniam sibi debitam & necessitate jurisjurandi propter inficias adversarii expressa, causam vicerit, cogitur eo ipso die debitor & pecuniam actori solvere & Judici mulctam luere. Quin autem conventus debitum agnoscat, intra diem quartum decimum actori satisfacere tenetur, nisi faciat, Judici mulcta committitur. Deinceps solutioni præstandæ constituat prætor diem octavum, deinde triduum, deinde biduum, tandem etiam noctis interstitium. Quoties his vicibus non obtemperaverit, toties Judicis mulctam incurrit. Si neque debitum neque commissi mulctam exsolverit, Judex ejus bona manu capit, deinde Jure decretoque cogit ad debiti mulctæque solutionem; Si bona quæ possideri queant, non habeat, interdicto Judicio circumscribitur, cujus ea vis est, ut detineatur, ubicunque deprehendi possit, quoad a mulcta debitoque se præstiterit immunem. Quisquis eum interim receptaverit, mulctam itidem eidem Judex irrogabit. Emend. l. 4. c. 52. Corr. l. 3. c. 58. Revis. l. 2. t. 23. art. 2. Quilibet hæres hæreditarii debiti solutionem post auctoris obitum probare damnas esto,

2. De solutione in genere.

3. De solutionis die constituenda.

4. Solutionis titulus.

esto, ut Juris auctoritate definitum est. Qui ab altero debitam pecuniam exigit, cum ad Judicem ventum sit, debiti causam diserte profitetor; Si quid ex ludo vel alea quasi debitum petatur nec conventus respondeto nec Judex cognitionem interponito. Emend. l. 4. c. 51. Correct. l. 3. c. 50. Revis. l. 3. t. 6. art. 1. Convenit aliquis aliquem coram Judicio, ratione debiti, post autoris mortem, vel sui causa, & producit simul chirographum, seu alias scripturas judiciales, docentes, quod ante aliquot annos ista prætensio jamjam in Protocollo fuerit connotata, & sic suum Actoratum speciosa probatione firmat: Si conventus ad hæc litem contestando regerit, solutionem jamjam esse factam, tunc eandem solutionem probare tenetur vel per sufficientes testes, documenta avthentica, aut alio Juridico modo. Si hoc præscripto modo per reprobatoriales evincat, tunc documentum & assecuratio Judicialis, quam Actor produxerat, nullius est valoris. Revis. l. 4. t. 15. art. 2. An maritus debeat solvere debita per suam uxorem contracta? vid. supra Maritus. Cum moneta publice mutatur vel interdicitur, deinceps inter diem quartum decimum veteri moneta æs alienum exonerari & redimi pignora non prohibetur. Qui post eum diem nummos jam reprobatos emtionis vel solutionis nomine erogare, meminerit, neque venditorem neque creditorem, ut ejus generis nummos in solutum accipiat, cogi debere. Emend. l. 4. c. 55. Correct. l. 5. c. 19. vid. plura Moratorium, Executio. Si quis alteri de damno sibi dato controversiam faciat, eo quod pecuniam in certum diem debitam ex præscripto suæ sponsionis non exsolverit, tenetur actori conventus respondere, sive non spospondérit. Emend. l. 4. c. 35. Correct. lib. c. 49. vid. plura Creditum. Qui est solvendo contra eum non debet initium processus Arrestum esse. vid. Arrestum. Quando circa mutuum solutio fieri debeat. vid. Mutuum. De subdelegatione in solutionem. vid. Assignatio, Sponsio.

5. De probatione solutionis.

6. De solutione monetæ improbatæ.

7. De actione damni pecuniarii.

SOROR. Vid. Hæreditas.

SPOLIUM.

UT Palatini & Capitanei quisque in ſuo Palatinatu & Capitaneatu diligenter fines Terrarum obſervent, ne prædones & graſſatores ingrediendo & egrediendo impune graſſentur. Vid. Conſtitut. Terrarum Pruſſ. D. Sigiſm. Regis §. 24.

1. Purgentur fines a prædonibus.

De Spoliato ante omnia reſtituendo.

SI quis ex poſſeſſione fundi alicujus, ſive fœminam dotem in bonis aliquibus inſcriptam habentem, ſive quemcunque alium, bonorumque quorumcunque, vi aut alio quocunque modo expulerit, ad Officium Palatini loci duabus ſeptimanis ante terminum Citatione poſita, in Jus vocatus, primum terminum peremptorium habebit. Palatinus autem inquiſitione de expulſione cognoſcet. Ac ſi quidem ex poſſeſſione ejectum aut motum eum eſſe apparuerit, nulla de proprietate & dominio cognitione, aut ullis aliis Exceptionibus admiſſis, ſed iis ad ordinarium Judicium Terreſtre aut forum competens rejectis, nulla mora interpoſita, ſpoliatum priſtinæ poſſeſſioni reſtituet, Appellatione tamen directe ad Regni Tribunal ſalva inter cauſas Officii cognoſcenda. Jus Terr. t. 6. Vid. plura Rapina.

2. Spoliatus ante omnia reſtituendus.

SPONSIO.

QUicunque ſpondet alteri in Judicio conſtituto pecuniam in certum diem præſentibus nummis exſolvendam, ſi Judex & Scabini ſponſionibns ejus teſtes ſint, quam primum dies venit, præſenti manu ſolvere jubetur, uti ſpoſponderat, nec cogitur actor res alias præter pecuniam paratam in ſolutum accipere, niſi quod ſponte ſua fecerit. Emend. l. 4. c. 44. Correct. l, 3. c. 101. Reviſ. l. 4. t. 10, art, 4. Si quis alteri pro-

1 De ſponſione pecuniæ in diem certum exſolvendæ.

2. Si pecunia in ſolutio-

nem promissa ab aliis Creditoribꝰ arresti nexu constringatur.

promiserit pecuniam certo die sine cujusvis impedimento vel contradictione præstandam, nisi sponsionem inficietur, solutionis sibi proposuit necessitatem. Cæterum ante diem solutionis cedentem Jus non est creditoribus ejus, qui pecuniam spospondit, eandem præoccupandi vel Arresti nexu pignorandi. Sin autem promissor diem distulerit, quem solutioni dixerat, & post eum diem pecunia pignoretur vel condicatur, expensas omnes pro liberanda pecunia factas, quo ipse suo die non solvens impedimenti causam dedit, stipulatori refundere & nihilominus pecuniam, uti spospönderat, exsolvere tenebitur. Emend. l. 4. c. 55. Correct. l. 3. c. 97. Rev. l. 4. t. 10. art. 5.

3. Effectus sponsionis.

Quando aliquis alteri ad dandum aut faciendum per verbales obligationes promittit, & alter promissum cum gratiarum actione acceptat, tunc promissor verbis suis stare tenetur. Si fidem datam fallit, alter de Jure actionem ex stipulatu contra eum instituet. Revis. l. c. art. 1.

4. Requisita sponsionis,

Ejusmodi vero promissiones, seu sponsiones debent pro fundamento habere fidem, honestatem, & possibilitatem, alias in Jure non subsistunt, & nullius valoris censentur. Qui igitur cum obtestatione in suum honorem pro salvanda sanitate, corpore & vita aliquid spondet, quando sponsioni non satisfacere potest, ejus honor hinc inde nulla infamiæ notula afficietur. Si etiam aliquis fraudulenter carceribus innodatus ad spondendum aliquid cogeretur, neutiquam satisdabit, quando Juramenti religione planum faciet, quod sponsio ista è vi & metu fraudulantam trahat scaturiginem. l. c. art. 2.

5. Captivi sponsio,

Captivi sponsiones in Jure obtinent neutiquam, nisi mediante sua fideli sponsione dimissus sit, ut se constituta die iterum sistat, quo casu datam fidem servare & sponsioni satisfacere merito tenetur. Si etiam aliquis liber factus spospönderit & juraverit Jusjurandum exultionis & evitandæ diffidationis, illud similiter servare tenetur. l. c. art. 3.

6. De diversis debitis diverso die condictis.

Si quis in Judicio constituto spospönderit, interposita bonorum omnium hypotheca, se debitum certo die soluturum, ab eodem debitore etiam alii creditores, tam antè quam post hanc sponsionem, æs suum Jure obtinuerint ac evicerint, hunc servabimus

mus ordinem, ut illi primum Jure decretoque adjudicata habent. Deinde ſtipulatorem, cui in dièm certum ſponſio ſub hypotheca bonorum facta eſt, vocabimus: tandem reliquos, qui poſt ſponſionem æs ſuum evicerunt, in debitoris bona vel poſſeſſiones, quas quæque habet, vel poſt mortem relicturus eſt, admittemus. Emend. l. 4. c. 46. Correct. l. 3. c. 98. Cum quis alteri ſpoſponderit pecuniam certo die ſolvendam, eamque in rem fidejuſſorem conſtituerit, ut vel ipſe vel fidejuſſor ſponſioni ſatisfaciat, ſiquidem deinde debitor probaverit, debitum a ſe recte ſolutum, liberabitur etiam fidejuſſor. Emend. l. 4. c. 47. Correct. l. 3. c. 99. Rev. l. 4. t. 11. art. 5. Spondet quis alteri præſentibus arbitris, Judice & Scabinis in Judicio conſtituto, pecuniam certo die dandam ſine quavis impedimenti exceptione, ejusque ſponſionis ergo bonorum omnium hypothecam proponit, aliquanto deinde tempore poſt eam ſponſionem fundum emit, & ex eo fundo penſionem annuam certo die præſtandam, alii cuipiam in Jure cedit ac tranſcribit, prior creditor debitum ſuum ex penſionibus fundi, qui poſt ſponſionem emtus fuerat, petere non poteſt, ſed qui penſiones fundi ſuis deinde nummis acquiſivit, Jus ſuum controverſia recte tuebitur. Emend. l. 4. c. 48. Correct. l. 3. c. 100. Reviſ. l. 4. t. 10. art. 6. Vid. plura Stipulatio. Cautio.

7. Debitore liberato liberatur etiam fidejuſſor.

8. Quatenus bonorum omnium hypotheca ſit accipienda.

SPORTULÆ.

Vid. Expenſæ. Sententia. Notarius.

SPURIUS.

Spurius non habet Jus retractus. Vid. Retractus.

Filius & filia naturalis partem ſuam hæreditatis ex bonis maternis æque capit, ut cœteri fratres & ſorores legitimi, ſive ante vel poſt naturalem conſtante jam matrimonio inter homines eſſe cœperint. Emend. l. 3. c. 27. Correct. l. 4. c. 45.

1. De liberis naturalibus ſive ſpuriis.

2. De liberis legitimandis. c. 45. Revis. l. 3. t. 9. art. 4. Si quis ex Concubina liberos sustulerit, deinde justis nuptiis eam sibi junxerit, ac itidem ex ea postquam in manum convenerat, liberos genuerit, priores liberi censentur legitimi, propter matrimonium subsecutum. Itaque patri diem functo, tam priores quam posteriores æqualiter succedunt ex Juris præscripto. Emend. l. 3. c. 28. Correct. l. 4. c. 47. Revis. l. c. art. 5.

3. De hæredibus spuriorum. Si spurius morte sua decedat, liberis jam extra vitam positis, hæreditatem ejus ab intestato venientem primum omnium mater capit, sin mater diem obierat, defunctus bona sua materna, ad fratres vel sorores devolvit, si nec fratres quidem vel sorores in præsenti sint, hæreditas in caducis censebitur. Emend. l. 3. c. 31. Correct. l. 4. c. 46. Revis. l. c. art. 16.

STANNIFABER.

FAbri Stannarii ad cantaros duas libras stanni, & tertiam plumbi recipere debent; Lagenæ & reliquæ species de puro stanno sunt laborandæ, & quælibet pars a senioribus contubernii cum signo civitatis, a Magistro vero qui illud conficit cum suo signo domestico signari debet; Falsum vero opus concidi & operatori officium ad quadrantem anni deponere injungendum est. Revis. l. 1. t. 7. art. 5.

STAROGARDIA.

De Judiciis Starogardiensibus. Vid. Neoforum, Radzinum.

ELectio Notarii in Conventu Starogardiensi a Palatino post prioris Notarii excessum, intra sex septimanas in dicendo haberi debet. Jus Terrest. Terr. Pruss. tit. 5. §. 18.

STELLIONATUS.

Vid. Advocatus.

STILLICIDIUM. Vid. Servitus.

STIPULATIO.

SI quis alteri vel pro sessione Consulum, vel præsentibus in Judicio Scabinis, pecuniæ solutionem certo die faciendam receperit, eamque promissionem stipulator haud invitus acceptaverit: nulla justa ratione deinde ante diem solutionis cedentem a debitore vel expromissore rem ullam vel satisdationem desiderabit, postquam semel fidem ejus in Juris loco secutus est. Verum si debitor constituto die non solverit, & ob sponsionem non impletam in Judicio Consulum vel Scabinorum conventus fuerit, non ignoti Juris est, ut creditor a debitore fidejussorem vel cautionem idoneam exigere possit, nisi satisdationem remittere vel cautionis illi gratiam facere maluerit. Cæterum si debitor ante diem solutionis dictam facultatibus ita labi ceperit, ut non solvendo futurus videatur, ad satisdandum eum cogi optima ratione defenditur. Emend. l. 4. c. 50. Correct. l. 1. c. 16. Rev. l. 4. t. 10. art. 7.

1. An qui simpliciter stipulavit satisdato cavere cogendus est.

STUDIUM.

LIberis non licitum est mutuo dare, nisi Studiorum gratia, unde parentes exinde co̅modum sentiunt, ac uti parentes æs mutuum per liberos contractum exsolvere non tenentur, nihilominus tamen ad refundendum mutuum studiis impensum merito obligantur. Revis. l. 4. tit. 10. art. 6.

1. Expensæ studiorum.

STUMA.

Quando Stumæ Judicia celebrentur. Vid. Judicium.

STUPRUM.

QUi ob vim publice factam, vel stuprum violenter illatum, actione quasi de plano vel simplici convenitur, si con-

1. De stupro violento.

 scien-

scientiæ religionem suam & manu interposuerit, noxa se liberabit. Si testibus præsentibus accusetur, testium itidem suppetiis accusationi eximetur. Si vero vim aut stuprum violentum intervenisse cognitum fuerit, sive reus in facto recenti deprehensus & captus sit, nequaquam crimen declinare poterit, sed capitale supplicium sustinebit. Emend. lib. 5. c. 53.

2. Processus stupri violenti.

Si quis alicui honestæ matronæ, uxori aut virgini per vim & contra ejus voluntatem virgineum & uxoralem honorem abstulerit, in facto recenti deprehensus, captus, ad Judicium deductus, & ratione delicti deprehensus fuerit, si ultro confiteatur, aut Juris ordine convincatur, capitis supplicium sustinebit. Si vero neget delictum, proximior est fœmina facti eum ad convincendum, quam ut se excuset; Si vero Vir in carcerem deduceretur, ut causa comperendinetur, nihilominus mulier, quæ fuit violata, delinquentem coram Judicio sistet, & eum facti accusabit, si eat inficias, tunc expurgabitur fide dignorum testium depositionibus. Corr. l. 3. c. 31. Rev. l. 5. p. 2. t. 10. art. 1.

3. Pœna stupri violenti.

Si virgo aut vidua vi in aliam domum contra suam voluntatem rapiatur, eaque clamorem attollat, sic ut propter clamorem aliquis in auxilium superveniat, tunc omnes domesticos, qui tunc præsentes erant, per hos qui per clamorem moti acceleraverant, convincere potest quod omnes sint complices machinatores & promotores delicti, eaque propter eorum capita una & violenti Stupratoris sunt amputanda. Et si delinquens in facto recenti deprehenderetur, tunc absque Judicio potest capi & coram Judicio sisti. Si se opponat & defendat contra capientes tunc potest impune occidi, nam stuprum violentum & proscriptio sunt parile Jus. Corr. lib. 5. c. 39.

4. Processus propter stuprum violentum.

In causa stupri violenti judicat Prætor & Scabini cum scitu Burggrabii. Si aliquis mulierem aut ancillam violenter stuprat, & in facto recenti vir deprehensus cum clamore ad Judicium trahitur, si testes adsunt, qui clamorem vim passæ audiverunt & corpus delicti revera existat, delinquensque convinci queat, suum scelus amissione suæ vitæ expiare debet. Si actio sit comperendinata, per Judicem & Scabinos cum scitu superioris Magistratus, ut supra dictum est judicatur.

tur. Si vero nullum appareat corpus delicti aut factum recens, tunc accusatus propior ad Juris rigorem evadendum est quam ut convinci possit. Corr. lib. 2. c. 23. Si aliquis accusatur simplici conventione de stupro violento, tunc Jure jurando se potest purgare. Si vero accusatur cum testibus tamen sine clamore, tunc se cum duobus testibus eliberat; Quando vero stuprum violentum Juris ordine fuit probatum, & cum clamore causa in Judicium sit devoluta, tunc per sex testes omni exceptione majores conventus se expedire potest; Ast si in facto recenti captus est, nullo modo superveniente ulteriori probatione se enodari poterit, sed pœnam gladii subit. Corr. lib. 3. c. 30. Si stuprum violentum intendens per defensionem Virginis aut mulieris retrudatur, ut malum propositum eliberatâ fœminâ nullam habeat effectum; tunc delinquens prævia accusatione & probatione mali propositi pro qualitate conditionis, status, personæ & ipsius delicti annali incarceratione & relegatione coërceri debet. Revis. lib. 5. p. 2. t. 10. art. 3. Cum mulieribus circumforaneis vel Amasiis, nec non nutricibus etiam stuprum violentum committitur, per quod vitam amittimus, si scilicet illæ absque ipsarum gratia fuerint stupratæ, l. c. art. 4.

5. Defensio Juridica in causa stupri.

6. Nondum patratum stuprum.

7. Alia stupri species.

SUBDITUS.

Subditi contra suos Dominos non habent locum standi in Judiciis. Jus Terrar. Pruss. Tit. 6. §. 2. De Processu Civili. Vid. plura Servus, Rusticus.

SUCCESSIO. Vid. Hæreditas.

SUPERCILIUM.

Vid. Vulnus.

SUPPLE-

SUPPLETORIUM JURAMENTUM.

1. Cui sit deferendum. SI ab utraque parte Instrumenta & testes fuerint, erit in potestate Judicis, ei Parti, quæ fide digniora documenta produxerit, ut in supplementum ea confirmet, Juramentum injungere. Actore autem nudis verbis tantum litem prosequente, nuda ejus affirmatio, nuda partis conventæ negatione elidetur. Jus Terrest. Pruss. Tit. 6. §. 43. De processu Civili. Rev. lib. 2. tit. 18. art. 8. Vid. plura Juramentum.

SURDUS.

1. Surdi Jura. STandi autem locum in Judicio non habent: Liberi contra Parentes in personalibus Actionibus; subditi item contra Dominum, & vice versa, cum ob potestatem, quam quisque in suos habere debet, nullum cum suis Judicium intercedere debeat. Proscripti item & infames. Muti autem, surdi, pupilli, mulieres, mente capti, conveniri quidem, & convenire poterunt, non tamen absque Tutoribus. Jus Terrest. Terrar. Pruss. tit. 6. §. 2. De Processu Civ. Surdus non potest deponere testimonium. Rev. l. 2. t. 18. art. 1.

SWICIE.

Quando Judicium ibi exerceatur. Vid. Judicium.

TARGOWEN.

1. Targowe abrogatur. INcolæ terrarum Culmensium ab omnibus oneribus Podwodarum, Targowe, aliisque his similibus angariis immunes sunt. Rev. l. 1. t. 4. art. 1.

TELO-

TELONEUM.

UT autem nostræ liberalitatis, æquitatis & justitiæ dextram, his subjectionis eorum & nostræ acceptationis felicibus, dante Domino, primitiis, sentiant in universos & quemlibet eorum effusam, & in mutatione Principum commutatam etiam & sublatam deprehendant oppressionem, Daciam quæ in vulgari Funthezol dicitur; Item alia omnia telonea in aquis & terra, nova aut antiqua observantia, in Terris duntaxat prædictis Prussiæ quomodolibet constituta: Item in Terra Pomeraniæ exactionem sive Daciam, quæ Porcus, alias Narzasz, veteri institutione Ducum Poloniæ vocabatur, Regia munificentia tollimus, abrogamus, deponimus, ac solutionem illarum perpetuis temporibus resolvimus, dimittimus & relaxamus. Nullo unquam tempore per Nos aut Successores Nostros Poloniæ Reges, ex quacunque causa aut occasione instituendam aut imponendam. Vid. Privilegium Incorporat. Terrar. Pruss. D. Sigismundi Regis ab Anno 1454.

TEMERUM LITIGIUM. Vid. Lis.

TENUTA.

Tenuta tantum indigenis est conferenda. Vid. Indigenatus.

TERMINUS.

TErminus seu Granicies. Vid. Condescensio. Si quis tumulos vel veteres, vel nuper Judicialiter constitutos, vel alia signa metalia, seu integra, vel ex parte aliqua disjecerit, exciderit corruperitve, Terminum in Judicio Terrestri habebit. Ex Actoris & Citati Controversiis absque quavis mora & dilatione de medio sui duos Scabinos ad indagandam rei veritatem, Partibus termino constituto, in campum mittet.

1. Pœna termini moti.

tet. Et ſi compertum ſit limitem temere violatum corruptumve eſſe, ibidem in inſtanti præſentibus Scabinis violatum limitem citatus reſtaurabit. Ratione vero pœnæ quinquaginta Aureorum in Judicio Terreſtri in primis terminis Terreſtribus conſervatum terminum habebit. Jus Terreſt. Terr. Pruſſ. Tit. 7. §. 24. de Finibus regundis. Iisdem pœnis tenebitur, qui privatim ſine autoritate Judicii limites ſignaque aliqua limitanea erexerit, conſtituerit, feceritve. Quarum pœnarum nomine eodem omnino modo, quemadmodum contra legitimi termini motorem, contra eum procedetur. l. c. §. 25. Qui ex malitia & iniquo propoſito ſigna limitanea amoverit, ſucciderit exſtirpaveritque, ille pro qualitate cauſæ corpore luat. Si vero id ex malo propoſito fiat in ſignis talibus, quæ dirigendis navigationibus & arti nauticæ inſerviunt ille gladio puniendus eſt. Reviſ. l. 5. p. 2. t. 18. art. 8. De teſtimoniis certa die & termino exhibendis. Vid. **Teſtimonium.** Terminus Solutionis. vid. **Solutio.** plura vid. **Citatio. Contumacia. Libellus. Actio.**

TERRESTRIA.

1. Terreſtria Judicia. Judicia Terreſtria in ſingulis Palatinatibus quotannis bis ſerventur, ita ut in Palatinatu Culmenſi primum Judicium feria tertia poſt Dominicam Quaſimodogeniti: Secundum autem feria tertia poſt Lamperti celebretur. In aliis autem Palatinatibus juxta veterem conſvetudinem obſervetur. Ex quibus quidem Judiciis Terreſtribus Appellationes ordinariæ fiant ad Conventus Generales Terrarum Pruſſiæ; A Conventibus autem Generalibus ad Regium Tribunal Noſtrum, donec alterutra partium tres conformes ſententias obtinuerit. Vid. Conſtitut. Terr. Pruſſ. D. Sigiſmundi Regis ab Anno 1538. §. 2.

2. A Terreſtri Judicio Appellatio. Ut autem frivolæ & temerariæ Appellationes non nihil cohibeantur, quisquis in Judicio Terreſtri ad Conventum generalem appellaverit, tres Marcas in Judicium reponat; Si vero a Conventu generali ad Nos appellatum

tum fuerit, sex floreni per triginta grossos deponantur. Et si appellans coram Judice appellato succubuerit, in usum publicum Judicii, in quo erant repositi, cedant; alioquin parti restituantur. l. c. §. 3. Nec Palatini causas ad Jus Terrestre spectantes, nisi de Consensu partium, judicent, & provocantes ad Judicium Terrestre remittant: Exceptis causis levioribus, quæ videlicet valorem decem marcarum non excedant. Hæ quidem sine strepitu Judicii de simplici & plano ab eis componi possunt. In causis autem sangvinis & facto recenti deprehensis, indilatam Justitiam ministrent, nec partes contendentes ad componendum amice inter se controversiam cogant, nec ullas pœnas exigant, nisi per Judicium decretas. Quatum pœnarum tertia pars Judicio Terrestri, reliquæ duæ partes Palatino loci cedant. l. c. §. 4. Palatini & Capitanei citati tam in Judicio Terrestri, quam Conventuum publicorum, respondere sint obligati: Exceptis Actionibus super Bonis Nostris Regalibus emergentibus. Capitanei autem juxta continentiam Privilegii Terrarum Prussiæ sint indigenæ, possessionati, ratione quarum possessionum si Bona terrestria fuerint, Judicio Terrestri sint subjecti. l. c. §. 5. Ut autem temerariæ lites amputentur, Commissarios sive Judices delegatos non deputabimus in causis ad Judicium Terrestre spectantibus, & minus in eo jam pendentibus, nisi per Appellationem ordinariam, de qua superius dictum est, a sententia definitiva seu interlocutoria jam lata ad Tribunal Nostrum devolutæ fuerint; Exceptis causis limitum Bonorum Nostrorum Regalium, & divisione fratrum & proximorum. l. c. §. 6. Vid. plura **Judicium. Forum.** Civibus Bona Terrestria, & Nobilibus Civilia Bona liberum sit deinceps emere, ita tamen, quod ad paria onera utrinque ferenda sint obligati, quod scilicet Cives ratione Bonorum Terrestrium omnia Nobilitatis onera, & Nobiles ratione Civilium Bonorum omnia civilia onera, æquis passibus ferant. l. c. §. 20. Sacerdotibus bona Terrestria Ecclesiis suis donare, cedere, aut incorporare absque speciali consensu Regio, non licet; & tametsi hoc etiam eveniat, non aliter, nisi de subditis intelli-

3. Palatini nequaquam causas ad Judicium Terrestre spectantes ad se trahant.

4. Palatini habent ratione bonorum forum suum in Judicio Terrestri.

5. In causa Terrestri Rex non deputat Commissarios

6. Cives possunt emere bona Terrestria.

7. Ecclesiis non donanda, inscribenda aut approprianda sunt bona Terrestria

gendum esse debet, ne servitia, quæ communi utilitati ex bonis Terrestribus competunt intereant; pro illorum privatis personis Sacerdotes bene bona Terrestria emere possunt, quæ si stante illorum vita aliis addicta vel donata non fuerint, post mortem illorum cognatis & consangvineis ordinaria successione cedere debent. Revis. l. 4. t. 5. art. 4. Vid. Constitut. Terr. Pruss. D. Sigismundi Regis ab Anno 1538. §. 19. Vid. plura Conventus, Feudum.

TESTAMENTUM.

De Donationibus & Testamentis secundum Jus Terrestre.

1. Testamenti confectio secundum Jus Terrestre.

DOnatione inter vivos donare, inscribere, vendere sua bona, ad Acta tamen aliqua avthentica, unicuique & cui voluerit, liberum erit: cum maxime naturali libertati conveniens sit, ut quemadmodum quisque velit re sua utatur. Testamenta autem de bonis mobilibus quibuscunque non autem de immobilibus, qui factionem Testamenti habuerint, condere eis liberum erit. Ut firma ac legitima Testamenta sint, ad minimum ipsius Testatoris sana mente ac trium fidedignorum testium manibus & Sigillis subscipta & obsignata esse debent: Quod si ipse Testator nesciverit, quartus testis in præsentia cæterorum nomine illius subscribat. Si etiam in Jure id Testator facere maluerit, integrum illi erit, ad Acta quæcunque avthentica ultimam voluntatem suam disertis verbis profiteri, atque in Acta referendam curare, aut etiam Testamentum sua solius manu subscriptum & sigillo obsignatum, clausum ad eadem Acta offerre: cujus oblationis & traditionis Actus Actis Officii inscribi debet. Morte deinde Testatoris consecuta, intra tres menses ad instantiam Officii, apud quod Testamentum depositum fuerit, vel etiam Officio id negligente, ad instantiam cujuscunque, qui interesse suum putaverit, peremptoriè Successores ad Officium citentur, ad audi-

audiendum & videndum, Teſtamentum illud clauſum per Officium aperiri & publicari: in terminoque ſive comparuerint, ſive non, Teſtamentum nihilominus aperiatur & publicetur atque in Acta inſcribatur. Quacunque ratione Teſtamentum quis condiderit, vel teſtibus nimirum adhibitis, vel apud Acta aliqua publica, toties, quoties viſum ei fuerit, ante mortem voluntatem ſuam revocare, mutare, in univerſumq; quod viſum fuerit, addere, detrahere, minuere & vel integrum teſtamentum inducere, abolereve, vel parti ejus derogare, integrum ei erit, ita ut ad mortem cujusque voluntas ambulatoria & libera ſit, ſemperque noviſſima quæque voluntas rata habeatur. Si hæreditati, in quam debeat ſuccedere, quis renunciaverit, ſive filius, ſive quicunque alius; ad debita quidem ſolvenda aut alia onera hæreditatis non tenebitur, bona autem omnia creditoribus dimittere debet: ac ſi ſuſpicio aliqua fuerit, ex hæreditate aliquid ad illum perveniſſe, a creditore ad Judicium Terreſtre vocatus, terminum peremptorium habebit, in quo corporale Juramentum præſtet, nihil ex bonis defuncti ſe poſſidere, aut dolo malo poſſidere deſiiſſe, quod ſi præſtare recuſarit, ac liquidum debitum, quod petetur, fuerit, ad ſolvendum cogatur. Jus Terreſtre Terrar. Pruſſ. tit. 2. tt. Cuilibet liberum eſt, dum in vivis agit, dumque publice converſatur, amico vel cognato, cui volet, liberalitatis affectu, quin etiam extraneo, referendæ, quam acceperat, gratiæ cauſa res mobiles & pecuniam donare, tantum quantum volet, ſic ut poſſeſſionem e veſtigio amittat & in donatarium transferat. Qui vero ob adverſam valetudinem decumbit, amplius donare non poteſt, niſi quantum ſemel manu brevi citra alterius adminiculum translectulum porrigere valeat, neque neceſſum eſt, ut hanc in rem proximioris hæredis conſenſum roget. Fundos autem & poſſeſſiones, & res immobiles, ſine hæredum conſenſu donandi Jus non eſt, præterque eas quæ non a Parentibus profectitiæ, ſed ex rudi fundo & donatoris negociatione, labore & ſimili titulo comparatæ ſunt. Has enim nolentibus etiam hæredibus donare licet, ſic

2. De donationibus inter vivos & de teſtamentis.

ſic ut coram Domino ſuperiore, vel in Judicio conſtituto, præſentibus Judice & Scabinis, donatio peragatur. Hæc donatio etiam ſub conditione fieri, & in tempus mortis conferri poteſt, ut donator rem donatam cum omni fructu, quoad inter homines erit, poſſideat & donatario poſt mortem demum donantis, niſi inter vivos donationem revocaverit, pleno Jure relinquat ac cedat. Quicquid vero vel inter vivos vel infirmitatis tempore ſine hæredum conſenſu donari poteſt, idem accipiendum eſt etiam in Teſtamento vel ultima voluntate poſſe donari, legari, dari poſt teſtatoris mortem donatario vel legatario accipiendum habendumque. Salvo nihilominus & illæſo cujusvis civitatis & loci more plebiſcitove. Emend. l. 3. c. 12. Teſtamenta condere & mortis causa diſponere cuique licitum eſt, cui non ſpecifice eſt in Jure interdictum. Teſtari vero non poſſunt minorennes, i. e. qui annum vigeſimum primum nondum adimpleverunt. Item homines læſæ mentis & furioſi, donec iterum rationis & intellectus ſui compotes facti ſunt. Item omnibus prodigis, quibus adminiſtratio ſuorum bonorum a Magiſtratu interdicta eſt, adempta eſt. Item his, qui muti & ſurdi ſimul ſunt, & omnibus his, quorum bona propter patrata crimina Fiſco adjudicata ſunt. Reviſ. l. 3. t. 8. art. 1. Quia unicuique licitum eſt mortis cauſa de relictis ſuis bonis diſponere; hinc inde ultima iſta voluntas vel publice vel privatim exprimitur & teſtamentum in occluſo in loco Judicii poteſt inſinuari aut etiam extra Judicialiter. l. c. art. 2. Qui itaque judicialiter occluſum teſtamentum vult inſinuare, ille, ut perſonaliter compareat neceſſe habet ſuamque ultimam voluntatem in ſcriptis ad acta porriget & proponet, quod in his ſcriptis ultima ſua voluntas & diſpoſitio ſuorum bonorum poſt ſuum obitum contineatur, cum petitione ut hoc teſtamentum ad Acta ſuſcipiatur, & facultas renovandi, mutandi & caſſandi reſervetur, aut poſt eventualem ſuam mortem, his, quorum intereſt publicetur, & avthentica copia detur. Hoc Teſtamentum a Judicio eſt ſuſcipiendum, declaratio ad Acta connotanda, & univerſum Inſtrumentum ſeu diſpoſitio mortis

3. De his qui teſtamenta condere poſſunt.

4. Libera diſpoſitio mortis cauſa.

5. De teſtamento occluſo.

tis causa pro solenni & valida est judicanda. l. c. art. 3. Si aliquis impedimento legali detentus, ipse ad Judicium personaliter venire nequeat, ille ex consensu Judicii, Judicem, Scabinos & Notarium Judiciorum in suam mansionem aut residentiam vocabit, illisque suum Testamentum insinuabit, aut ultimam voluntatem declarabit. Hoc eundem habet valorem quasi in Judicio Constituto solenniter sit factum & haud opus est testibus. l. c. art. 4. Si vero aliquis propter subitos casus, impedimenta, tempusque pestilentiale, Scabinos apud se habere nequit, ille scriptum suum Testamentum duobus fide dignis & inexceptibilibus testibus una cum Notario insinuabit, cum petitione præsens Instrumentum ut coram Judicio Actis incorporari faciant, qui testes postmodum proxime sequenti Judicii die absque ambagibus coram Judicio comparere, & sub robore Juramenti Corporalis recognoscere debent, quod præsens testamentum ex propria Testatoris manu acceperint, eum sanæ mentis invenerint, & claris verbis intellexerint, quod in hoc instrumento ejus testamentum & ultima voluntas contineatur. Si vero etiam ad requisitionem Notarius Judiciorum haberi non possit, tunc ejus loco tertius testis est adhibendus & adjungendus, per quem itidem, uti supra dictum est, attestatio fiat; quod ideo coram Judicio non attestatur, illud nullius valoris. l. c. art. 5. Omnia occlusa Testamenta, si non in totum, tamen in partem, Testatoris propria manu, cum expressione pronominis & cognominis, subscripta, & consvetum sigillum proprium adimpressum esse debet, in quorum defectu Testamentum invalidum censetur. Qui vero ipse Scripturæ & literarum est expers, illi conceditur, ut alius scribat & subscribat, si modo recognoscat & declaret, quod omnia contenta, quæ sibi sincere sint prælecta, ratihabeat, instrumentumque suo Sigillo confirmet. l. c. art. 6. Tametsi cæcitas sit defectus naturæ, tamen cœcus libere Testamenta facere potest; nam si mortis causa cœcus dispositurus est, præter septem testes octavum adhibeat, qui persona publica & jurata aut Notarius sit, ille voluntatem testatoris concipiat, scribat & prælegat. l. c. art. 7. Quod viro sano corpore existenti, sine

6. Quando quis personaliter ad Judicium venire nequit.

7. Quomodo in causa necessitatis testamenta sine Notario & Scabinis condantur & insinuentur.

8. De subscriptione & sigillatione.

9. De testamento cœci.

10. Quantum quis in testa-

mento donare possit. fine consensu suorum hæredum donare est licitum, de hoc etiam in Ordinario testamento & ultima voluntate pro lubitu potest disponere. l. c. art. 8.

11. Legata ad pias causas. Qui in scriptis, ut supra dictum est, ad pias causas aliquid legare vult, & ultimam suam voluntatem coram duobus testibus manifestat & recognoscit, hoc prævia attestatione coram Judicio robur & valorem obtinet. l. c. art. 9.

12. De testamentis quæ sine scriptis verbotenus fiunt. Si aliquis ratione relinquendæ suæ post se hæreditatis sine scriptis Testamentum condere vult, hoc publice coram Judicio, aut coram Judice & duobus Sabinis, vel in casu necessitatis & tempore pestis coram duobus fide dignis testibus, vel in absentia Notarii Judiciorum coram tertio teste faciat, qui de facto Testamento relationem & attestationem ad acta ferent, quid per testatorem verbotenus sit actum, tunc hæc acta & actitata plenarium juris vigorem, tanquam omnes adhibitæ fuerint solennitates, habebunt. l. c. art. 10.

13. De Parentum testamentis in genere. Pater & mater, quando Testamenta facere, vel mortis causa disponere volunt, suis liberis, si causam exhæredandi non habeant, ad minimum eorum legitimam absque onere relinquere debent, & hoc etiam de liberis erga Parentes intelligendum est, sic tamen, si eorum plures essent, omnes unam tantum partem avi illorum vel suorum Parentum percipere, & pro persona una computari debent. l. c. art. 11.

14. Quid sit legitima. Quando Pater vel Mater unum, duos, tres vel quatuor Liberos post se relinquat, tunc legitima, deducto omni ære alieno, est tertia pars omnium bonorum. Si vero sint quinque liberi tunc post exsoluta debita legitima est dimidietas omnium bonorum existentium. l. c. art. 12.

15. Quando liberi sine causa exhæredantur. Si Pater aut Mater uni vel pluribus liberorum in suo Testamento debitam legitimam non relinquat, sed tacite illos prætereant, aut expresse exhæredent, & nullam exhæredandi legitimam causam allegent, tunc præteriti & exhæredati liberi inofficiosum hoc testamentum impugnare & invalidare possunt. l. c. art. 13.

16. Impugnato testamento quomodo cum legatis procedendum. Quando liberi præmemorato modo parentum suorum Testamenta impugnant aut annihilant, nihilominus Legata in Testamento contenta suo stant talo & valent, nisi ista Legata etiam legitimam exhauriant; hoc casu ista adimplenda venit, & de residuo Legata, in quantum Massa hære-

hæreditaria sufficit, pro rata portione sunt exsolvenda, & hoc non solum de inofficiosis testamentis, sed etiam de donationibus intelligendum est, nimirum ut liber ratione supplendæ legitimæ agere, supplementumque accipere debeat. l. c. art. 14. Quemadmodum Parentes oportet liberis suis legitimam relinquere, sic etiam poscit naturalis æquitas, ut liberi, si descendentes hæredes non habeant, & testamenta facere velint, ut Parentibus suis etiam legitimam statuant. Legitima vero est, tertia pars omnium bonorum tam parentum quam avorum. l. c. art. 15. Qui in hæredem est constitutus, ille post aperturam Testamenti intra tres menses declarabit, an jacentem hæreditatem sit aditurus aut renunciaturus, hoc si non eveniat, proximi hæredes ad perficiendum inventarium, & ad expedienda Legata admittuntur. l. c. art. 16. Si aliquis velit Testamentum facere, & hæredes ex linea ascendenti & descendenti nullos habeat, ille suos collaterales hæredes, tametsi sint fratres, non instituere, sed eis quartam partem omnium bonorum relinquere tenetur, & si eos ultra quartam partem læserit, invalidum est. l. c. art. 17. Unicuique licitum est voluntatem suam mutare, emendare, augere, minuere cassare, & quomodo seu quoties volet annihilare, tametsi de hoc non faciendo se expresse obligaverit. Nam hominis voluntas liberrima debet esse usque ad mortem. Interim tamen circa ejusmodi mutationes & cassationes testamentorum, eædem Solennitates sunt observandæ, quæ circa confectionem requirebantur. l. c. art. 18. Si Testamentum intra Annum & diem non impugnatur, ad idem invalidandum quilibet postmodum irritos suos impendet conatus; nisi aliquem sufficiens impedimentum legale retinuerit, quod coram Judicio probato, Judicium vero cognitionem Juris interponito, an allegatum impedimentum sit sufficiens nec ne. l. c. art. 19. Si Maritus coram bannito Judicio uxori suæ, consanguineo, vel etiam peregrino bona mobilia aut immobilia post suam mortem Jure hæreditario habenda & cum plenaria proprietate dominioque possidenda donaret, ea tamen conditione ut donator donec viveret Dominus rei donatæ velit esse: Quæritur: An Donatarii post mortem

17. De legitima Parentib9 relinquenda.

18. De acceptanda & repudianda hæreditate.

19. De testamentis eorum qui non habent Parentes aut liberos.

20. De mutatione testdamentorum.

21. Quo tempore testamentum sit impugnandum.

22. De donationibus mortis causa Judicialiter præstitis.

Donantis meliore Jure quam proximi hæredes dona ante aut post mortem donatoris impugnare & in controversiis vertere possent? Ad hæc Jura statuunt bona mobilia, immobilia & se moventia alicui coram Judicio donata & attributa, vel proprio studio acquisita, parta & lucrata potest quis suæ uxori, amico vel extraneo, quomodocunque voluerit, mortis causa & post mortem suam possidenda sine hæredum contradictione vel impeditione donare & tradere, ac si eadem ex manibus dederit vel insinuaverit. l. c. art. 20. Maritus & Uxor, qui una in matrimonio & secundum Jus Flammingicale hæreditarium in communione bonorum vivunt, unus alteri, suis liberis, consanguineis, aut aliis ex suis bonis donare & legare, quodcunque ad donandum & legandum necessarium est, possunt; Ista donatio vel testamentum vero tantum portionem donantis vel testantis concernat, ne alterius conjugis portio deterioretur & immisceatur, nisi ex bona voluntate inter conjuges aliter conventum, & suo Juri renunciatum sit. l. c. art. 21. Maritus suæ Uxori & Uxor Marito, cum adhuc sunt inter vivos, sua bona reciproce donare potest, ut pars super vivens defuncti consanguineis ad minimam quartam partem bonorum, quæ hæredibus alias ab Intestato competiisset, exsolvere teneatur, advitalitio Jure, ut ultimus superstes Conjux, quoad vixerit, iisdem bonis utatur, fruatur, attamen ut cautio cum satisdatione præstetur ad instantiam hæredum, successu temporis ista bona non deterioratum iri, decesso & mortuo etiam altero conjuge, tunc utrinque cognati & hæredes admittantur, ut tam mariti quam Uxoris hæredes æqualiter admittantur, & primo prædefuncti hæredes vel successores bona dividere & ultimi demortui in hisce electionem habere debent. l. c. art. 22. Si Maritus, prout de Jure fieri potest, coram Judice & Scabinis in Judicio Bannito uxori suæ post obitum suum annuum censum certo die levandum & percipiendum, quoad viveret, donaret. Si Uxor ante diem levandi census moriatur, tunc iste census ad mortui Mariti hæredes resultat, nam quia Uxor præfixum diem percipiendi census non supervixit, etiam hæredes illam pecuniam non possunt exigere. l. c. art.

23. De donatione inter conjuges.

24. Conjugum reciproca donatio.

25. De annuo censu donato.

art. 23. Vid. plura Donatio, Exhæredatio. Super litigiosis rebus ex Testamentis perfectis nulla transactio fieri potest, ne illius effectus impediatur, & unicuique, quod illi relictum est, plenarie tribuatur. Quando etiam aliquis in Testamento vel alioquin sumptus & alimenta reliquerit, dederit, vel adhuc dare debeat, tunc nulla transactio desuper iniri potest. Si vero jam perempta fuerint, tunc cum iis pro lubitu disponere potest. Rev. l. 4. t. 13. art. 2.

26. In causa testamentaria non procedit transactio.

TESTIS. TESTIMONIUM.

SI quis ad Monumenta aliqua provocet, in Judicio Monumenta ea nominare, ac siquidem in Terrestri Judicio litigarint, ad sequentia Judicia dilatio illi dari debet, in quo quidam termino, si Monumenta a se nominata non produxerit, Causa in totum cadet, legali tamen impedimento, comprobationeque ejus salva. Jus Terrestr. Terrar. Pruss. Tit. 6. §. 36. De Processu Civ. Tenebitur autem quilibet cum ad testimonium dicendum citatus fuerit, comparere & testimonium dicere, sub pœna decem Aureorum Ungaricorum, subque eadem pœna subditos etiam suos statuere, si testimonium ab illis requiratur; quam pœnam Judicium Terrestre aut Palatinale aut Comissoriale, in quo causa versabitur, mox decernere, Parsque a Judicio non recedendo eam pati ac Judicio dependere, aut si eam non dependat, Judicium pro Executione ad Officium Palatinale remittere debebit l. c. §. 37. Cum autem iniquum sit, ut ad testimonium, in aliena causa dicendum, in longinquiorem aliquem locum, cum sumptu & molestia sua, quis evocetur, liberum unicuique erit, a quo testimonium exigetur, apud proximum Judicem, vel Officium, quod elegerit, sive Terrestre, sive Civile, tam in Regno quam in Prussia testimonium deponere, quod quidem testimonium cum ab illo Judicio obsignatum, in Judicio, in quo causa vertitur, prolatum fuerit, eandem authoritatem habebit, ac si in eo ipso Judicio depositum fuisset. l c. §. 38. Observari porro in omni testimonio debet, Primum, ut pars, cum qualis interce-

1. Provocatio ad testimonium.

2 Pœna testium non comparentium.

3. Testimonium in quolibet Judicio deponitur.

4 Citatio Partis ad audiendum testimo-

nium, & exhibitio effatorum. dit, ad inducendum testimonium in Judicium illud, in quo testaturi testes sint, ad minimum duabus septimanis ante citetur, facultasque eidem fiat Interrogationes suas, de quibus testis interrogetur Judicio offerendi contra testes testimoniave eorum, quæ ei videantur dicendi; quod si fecerit, Judex una cum Testimonio utriusque Partis Interrogationes & Oppositiones scripto comprehendet, atque utrique Parti, si id petierit, sub Sigillo edere tenebitur. l. c. §. 39. Si pars citata in termino non steterit, testimonia nihilominus recipientur, partique producenti edentur; libera tamen facultate alteri Parti relicta, cum apud Judicem Causæ prolatæ fuerint, si, quæ contra testes aut testimonia dicat, habuerit, apud Judicem causæ ea opponendi. l. c. §. 40. Si etiam testis aliquod proximum Judicium sibi elegerit, ad quod Pars citari, aut venire non potuerit, testimonium nihilominus recipietur, salva contradictione, si quam habeat, alterius Partis apud Judicem causæ. l. c. §. 41. Ne autem facile homines ad perjuria labantur, quilibet Judex apud quem testimonium aliquod deponitur, causam scientiæ interrogare, Partibus absentibus, testem debet, de ætate præterea ipsius, hora, loco & tempore, tum an ipse rei gestæ interfuerit, an alias eam cognoverit, aliaque quæ ad indagandam rei veritatem pertinere videbuntur, inquiret. Quo melius etiam liquere de veritate testimonii possit, utrique sive etiam alterutri Parti, si altera id facere neglexerit, liberum erit, capita certa, de quibus testis interrogetur, Judici offerre, Judici autem secundum ea testem examinare incumbet. Ad quæ sive a Judice sive a parte proposita, si ita Testis responderit, ut rem ei notam aut cognitam fuisse verisimiliter advertere possit, ad Juramentum eum admittet, si sponte in ea jurare voluerit; sin secus, juramentum ei non deferet, dicta nihilominus ejus conscripta sub Sigillo Parti petenti edet. l. c. §. 42. In termino Monumentorum producendorum Pars, quæ ad ea provocarit, sine ulla dilatione aut Exceptione, sub amissione causæ exhibere ea tenebitur; Quod cum fecerit, vel testimonia produxerit, Judex alteri Parti mox in Judicio ea publicabit, potestatemque, si quis contradicere velit,

5. Si pars ad audiendum testimonium non comparuerit.

6. Quando testis ipse sibi forum eligit.

7. Examen testium.

8. Terminus probatorius & qualitas probationum.

velit, ea refutandi ei faciet: quod cum fecerit ad Definitivam ſententiam Judex procedet, niſi forte ad alia Inſtrumenta & Teſtimonia ipſe etiam Actor provocet: tum enim quantum temporis uni parti ad Inſtrumenta Teſtimoniave ſua producenda tribui debere ſupra ſtatutum eſt, tantundem & eadem conditione alteri quoque parti tribuetur. Quæcunque deinde Pars fide digniora Inſtrumenta & Teſtimonia protulerit, ſecundum eam Judex pronunciabit. Simplici vero affirmatione aut negatione, etiamſi ad Juramentum quis ſe offerat, contra Inſtrumenta & Teſtimonia, nemo niti potuerit, neque cuiquam contra Teſtes & Inſtrumenta ſine ullis Inſtrumentis aut Teſtibus nitenti, juramentum Judex decernet. Si autem ab utraque parte Inſtrumenta & Teſtes fuerint, erit in poteſtate Judicis, ei parti, quæ fide digniora documenta produxerit, ut in ſupplementum ea confirmet, juramentum injungere. Actore autem nudis verbis tantum litem proſequente, nuda ejus affirmatio nuda partis Conventæ negatione elidetur. l. c. §. 43. Ad Senatum ſi quis ſponte veniat, & alteri ſponderit aliquam pecuniæ ſummam certa die ſolvendam, vel ſi quid aliud, cujuscunque ſit generis, probe faciendum receperit, ac aliquis poſtea de fide conventionis haud impleta teſtimonium Senatus allegare volet; dubitabatur, an teſtimonium illud Jure ſubſiſtat, quove modo ſit deducendum? Juris auctoritate definitum eſt: Cum unus vel plures coram Senatu quicquam ſpoſponderint vel receperint, quatenus id factum eſſe Conſules probe ſciant, ſic ut juramento ſuo factum aſſerere velint, magis eſt, ut teſtimonium Conſulum prævaleat, quam ut illi ſponſionem abnegare debeant. Si autem Conſules factum aſſerere nolint, ſponſionem illi mediante juramento ſuo abnegare poterunt. Quicquid Conſules aſſerunt, ſe præſentibus actum, quod recte meminerint, non alia jurisjurandi religione probare tenentur, quam qua Civitati jam antea ſunt obſtricti. Si quis aliquem conveniat ob debitum pecuniarium, & conventus ad Senatum provocet, æquum videtur, ut Actor auctoritatem amicæ transactionis ergo ſequatur. Sin cauſam Senatus ad Judicium Ci-

9. Teſtimonium Conſulum.

vile rejecerit, legitimæ porro notioni res committatur. Emend.
10. De testimonio Judiciali. l. 1. cap. 13. Corr. l. 1. cap. 13. Si quis aliquem in alio foro maleficii convenire voluerit, cujus in alio foro instituta fuerat accusatio, Judex & Scabini, pro quorum subselliis prius Judicium inchoatum fuerat, quid actum sit, ex libris suis Judicialibus in alienum Judicium liquido testentur. De cæteris quoque causis in Jure tractatis, Judex & Scabini vel tabulis publicis vel affirmatione sua in subsidium alterius Judicii testimonium ferant, & ex alio Judicio cum ita res tulerit, ejusdem generis testimonia recipiant. Emend. l. 2. c. 14. Revis. l. 2. tit. 18. art. 12. Ubi additur: Quando etiam in alio Judicio testes sunt examinandi, interrogatoria eidem Judicio, in quo causa est inchoata, sunt insinuanda, quibus perlectis & trutinatis, per literas mutui compassus ad alterum Judicium transmittantur, ut ibi examen testium existentium instituatur. Ubi partes omnia sollicitare, attentare, juramentum de deponenda veritate audire, & effata testium in occluso rotulo referre tenentur. l. c.
11. Filius Patris testis idoneus non est. Cum Patri vel ob maleficium vel ob debitum in constituto Judicio controversia movetur, ac eidem testium laudandorum facultas proponitur, ejus filii testimonium in re Patris dicere non possunt, sive sint emancipati, sive nunc etiam in potestate manuve patria conversentur. Emend. l. 2. c. 51. Correct. l. 3. 38. Revis. l. 2. t. 18. art. 2.
12. De corruptela testium. In quamcunque causam testis quispiam producitur, ne pecuniam munusve eo nomine accipito, quod si ad Judicem testimonii dicendi ventum sit, ei, contra quem juratur, testem illum refutandi Jus esto, quoniam pecunia muneribusve ad testimonium dicendum sit conductus. Si neget sibi pecuniam vel munus in eam rem promissum datumve, sacramento innocentiam comprobato. Adversarius vero testibus, quibus id liquido constat, evincito, pecuniam illi munusve datum promissumve, & in eam rem ab ipso acceptatum. Testis hoc modo convictus Judicii perjurium duobus digitis luito, & insuper infamia notator, nec amplius ad dicendum testimonium admittitor. Emend. l. 2. c. 48. Correct. l. 5. c. 61. Revis. l. 2. t. 18. art. 3.
13. De testibus examinandis. Testes qui in singu-

ſingulas cauſas dantur, Judex ſeparatim in privato ſingulos audiat & examinet, nec quisquam teſtium aliquid dicat cæteris audientibus. Si de eadem cauſa unum eundemque ſermonem attulerint, tot teſtes ad probandam veritatem idonei judicabuntur, quotquot illorum æque dictis conſentiunt. Qui per decretum juſſus fuerit duobus teſtibus cauſam probare, ſi teſtium quos produxit, duo ſimul æque dictis conveniant, expedita probatave res eſto. Emend. l. 2. c. 49. Correct. l. 5. c. 47. Reviſ. l. 2. t. 18. art. 6. & 7. Minorennes, qui nondum in tutelam pervenerunt, teſtes eſſe non poſſunt. Fœminæ, niſi in iis cauſis, quibus eas Jure prohiberi receptum eſt, teſtimonii dicendi Jus habent. Tutores ſeu Curatores, qui ob tutelam perfide geſtam eo devenerunt, ut pupilli, qui in eorum tutela curave erant, bona illorum Judiciali decreto poſſederint. Item furioſi, fatui, cœci, ſurdi, banniti & proſcripti, hæretici, perjuri, quicunque de hisce criminibus in Jure convicti ſunt, ad dicendum teſtimonium ne admittantur. Emend. l. 2. c. 50. Correct. l. 5. c. 46. Reviſ. l. 2. t. 18. art. 1. Ubi punctum de teſtimonio fœminarum illuſtratur, in quibus caſibus teſtimonium dicere non poſſint, nimirum in teſtamentis, chirographis & inſtrumentis publicis. l. c. Qui ob debitum pecuniarium actionem inſtituit, eamque teſtibus comprobare volet, quatenus teſtes ſint bonæ exiſtimationis & probatæ fidei, eorum ſuffragio rem obtinebit. Teſtibus in Judicio ſiſtendis dies decreto præfigi ſolet. Actori ſex ſeptimanarum terminus, aut ſi malit, die, qui Judicio proxime celebrando conſtitutus eſt, niſi conventus ſe innocentem prætendat. Sin autem exceptionem pecuniæ ſolutæ objiciat, actoris teſtes hac exceptione declinabit, ſic ut ipſimet Juris adminiculo ſolutionem factam probandi ſit facultas. Emend. l. 2. c. 52. Correct. l. 3. c. 57. Reviſ. l 2. t. 18. art. 10. Si mulier virum conveniat ob crediti cauſam, eamque in rem teſtes producere velit, magis probandum eſt, quod vir bonorum virorum teſtatione mulieris actionem elidere poſſit. Ob maleficium autem, vulnerationem membrorum, mutilationem vel homicidium, æque mulieri jus eſt ac viro, eum

14. Qui teſtes eſſe non poſſunt.

15. Si quis actionem ſuam teſtibus comprobare velit.

16. Si Mulier virum in Jus vocet.

eum qui pacem publicam violaverit, in recenti facinore testibus convincendi. Emend. l. 2. c. 53. Correct. l. 3. c. 63.

17. De testimonio ad certum diem edendo.

Qui coram Consulatu per sponsionem receperit, se quempiam alicujus facinoris ad certum diem testibus convicturum, si non convicerit, vel ad diem condictum, non adsit, litem perdit, & adversarius actione liberatur, nisi qua causa gravior obstiterit alteri, quo minus in Judicio adesset. Causam autem absentiæ Consulatui probabit Juramento ad DEUM testem, & sacrosanctum ejus verbum composito, uti Juris authoritate constitutum est. Emend. l. 2. c. 54.

18. An juramentum testibus prævaleat?

Nulli Jus fasq; esto, qui ob homicidium, vulnerationem, vel quodvis debitum testium asseveratione munitum, in Jus vocatur, Juramento singulari actionem elidendi. Emend. l. 2. c. 55.

19. Testibus jurament. remitti potest.

Actor si cui sanctissima affectione ductus, vel bonorum virorum intercessionis ergo juramenti gratiam facere volet; non alienum erit a religione Judicantis, ut in eam rem consentiat. Emend. l. 2. c. 56. Correct. l. 2. c. 29.

20. De denominatione testium.

Si aliquis testes judicialiter indicturus est, eosdem antea coram Judicio denominare debet, & simul suos articulos exhibebit, ad quos testes de scientia sua interrogandi sunt. De his articulis parti adversæ, contra quam testes inducuntur, copia communicanda est, ut altera pars in sequenti termino, quando testes se sistunt, sua contra interrogatoria, si visum fuerit, inferre possit. Quæ contra interrogatoria Judici solum & neutiquam adversæ parti insinuantur, testesque desuper, quando ordinarie ad hoc adcitati sunt, examinari debent. Qui testes vero ab initio in Judicio non fuerunt denominati, eorum postmodum adminiculo pars neutiquam frui potest; nisi aliquis Juramenti sui religione comprobet, quod ab initio nullam habuerit notitiam, sed postmodum de eis sit factus certior. Quo casu pars cum ejusmodi testibus audienda & admittenda. Taliter etiam cum omnibus scriptis, documentis & reliquis probationibus observandum est. Revis. l. 2. t. 18. art. 4.

21. De inductione & juramento testium.

Quando testes inducuntur, parti adversæ liberum est, suas exceptiones, si quas habeat, contra personas testium, proponendi, ubi postmodum judicialiter decernendum est, qui testes

testes sint admissibiles nec ne. Qui vero admissibiles judicantur, omnes in præsentia partium suum Juramentum præstare debent, nisi illud expresse a partibus remittatur, & forma rotæ in hoc consistat: Quod ad omnes articulos & contra interrogatoria in hac causa, quantum interrogati notitiam habuerint, se genuinam veritatem fideliter & sine dolo deposituros. Se super hæc a semita sanctæ veritatis neque donationibus, favore, amicitiaque neque odio, ira, invidia, inimicitia, metu & aliarum rerum causa seductum iri, uti eos Deus adjuvet & ejus sanctum Evangelium. Ad eorum depositionem dilatio pro recollectione usque ad proximum Judicii diem conceditur. l. c. art. 5. Quando testes iidem in eadem causa deponunt, tot, qui in effatis conveniunt, producenti sunt proficui. Si vero alicui injunctum sit, ut duobus testibus actionis suæ intentionem comprobet, & inter multos testes duo tantum testes unanimiter pro producente deponant, tunc suæ probationi debitæ satisfecisse judicandus est. l. c. art. 7. Testes ad requisitionem Judicis oportet non solum suam scientiam, sed etiam causam suæ scientiæ indigitare, & de hoc solum testari debent, quod propriis oculis viderunt. Ejusmodi testimonia enim solum Juris valorem habent & inexceptibilia sunt. De auditu vero hoc tantum testimonium Juris talo consistit, quando de eo deponitur, quod ex ore illius, contra quem testes sunt inducti, auditum fuit, sive quod de valde veteribus rebus & ex hominibus omni fide dignis compertum est, tamen hoc ultimum testimonium in tantum vim Juris obtinet, ut Actori Juramentum suppletorium deferatur. Particulares testes, qui in fundamento causæ non conveniunt, nihil probant. Similiter de dubiis, obscuris & sibi invicem contradicentibus effatis est statuendum. Qui falsa deponit, & hujus ex effatis contestium convincitur, illius testimonium non solum ruet, sed etiam pœnam falsi luet. l. c. art. 8. Si aliquis testimonium ferre renuat, ad hoc per remedia Juris, h. e. per mulctam & aliam pœnam, ut ad minimum tertio se termino sistat, cogi potest. Nisi ejusmodi sint personæ, quæ illi, contra quem

22. De numero & harmonia testium.

23. De effatis testium & pœna falsi.

24. An testis ad testandum cogi possit?

testandum est, proxima consangvinitate conjunctæ sint. Nemo etiam inter testandum propriam allegare turpitudinem obligatur, præprimis quando antea nullius opprobrii inculpatus fuerit. Nihilominus gravi senio provecti, ægroti, Matronæ & aliæ personæ quæ in solio dignitatum sunt constitutæ neutiquam adigi possunt, ut se personaliter coram Judicio sistant, sed earum testimonium in causa necessitatis in earum lapideis audiendum est. l. c. art. 10. Quando Judicium bannitum attestatur, hoc omni testimonio majus Jure mediante. l. c. art. 13. Quia sæpius accidit, ut ante motam litem, testes ad futuram causam necessarii longinquum iter suscepturi sint, ut illorum reditus sit incertus & necessitate exigente suo tempore coram Judicio induci non possint; sive ejusmodi testes adeo morbo & senio sint correpti, ut ante tempus probationis eorum obitus sit præsumendus; sive si morbi pedechiales & pestilentiales subito homines devorent, tunc ejusmodi testes in his & aliis similibus casibus in continenti induci & audiri, sive Actores prævia sollicitatione ad alia Judicia, mediantibus literis mutui compassus, remitti possunt, ubi pars adversa, quando prius de hoc facta est certior, cum suis Contrainterrogatoriis admittitur. Et hoc sosolummodo ab Actore intelligendum est. Reus vero ejusmodi testimonio quando & quoties ejus necessitas requirat sine impeditione uti potest. Quando pars adversa præfixa die non compareat, nihilominus testes examinandi & eorum effata coram Judicio usque ad ordinarium terminum in occluso manere debent. l. c. art. 14. Quando utraque pars ulterioris testimoniis renunciavit, & ad instantiam ipsius vel solius producentis testium apertura rotuli sollicitatur, tunc Judex prævia competente citatione rotulum aperire, & partibus copiam concedere tenetur. Quando tali modo rotulus est apertus, tunc nemo partium ulteriores testes inducere potest. l. c. art. 15. Possunt etiam testes post aperturam rotuli de novo examinari. Quando scilicet rationem suæ notitiæ haud indigitarunt. Item ubi effata sunt obscura & dubia, vel quando non sufficienter ad articulos sunt examinati,

25. An super Judicium bannitum sit testimonium.

26. De testimonio in perpetuam rei memoriam.

27. De apertura rotuli.

28. Iteratio examinationis testium.

minati, vel pars ipsa leuterationem effatorum poscit. Eo casu Judex ex officio testem post aperturam effatorum de novo examinare & ex eo circumstantias exquirere potest. l. c. art. 16. Quando in criminalibus Reus suum delictum non fatetur, tunc id per testes vel alia sufficientia monumenta probandum est. Testes vero honesti & inculpatæ vitæ homines sint, & clarissimis verbis propriam suam scientiam & rationem hujus, non vero ex auditu aliorum, deponant. Illi Testes etiam in præsentia Rei produci, & eorum testimonium aperiendum est. In criminalibus vero causis non minus quam duo testes esse debent, quando in criminalibus Actor & Reus similem numerum testium habent in quibus nulla differentia personarum & circumstantiarum est; tunc Conventus ad evitandum proximior est. Enimero in casibus dubiis melius est nocentem absolvere, quam innocentem condemnare. Revis. l. 5. p. 1. tit. 15. art. 3. &. 4.

29. De probationibus per testes in Criminalibus.

30. Paritas probationum

THORUNIUM.

PArochia Thorunensis dotata est quatuor Mansis juxta civitatem, & aliis quadraginta, ubi ei fuerint assignati, & in eadem Ecclesia Crucigeri Jus Patronatus suæ Domui retinuerunt, eis in Plebanis idoneis provisuri. vid. Privileg. Culm. ab Anno 1233. §. 5. Eligi debent, tam Judices, quam Scabini, & Notarii, in aliquo districtu Palatinatus ejus, in quo Judicia administrare debent, possessionati Nobiles, Indigenæ, integræ famæ. In Palatinatu vero Culmensi, ex Consulari Ordine Civitatis Thoruniensis duo sint Scabini, secundum consvetudinem antiquam, a Nobilitate modo suprascripta eligendi, in numerumque octo Scabinorum referendi. Vid. Jus Terrestre Terrarum Prussiæ de Magistratibus & Judiciis. tit. 5. art. 21. Cum monetæ justam & fidelem ligam pondusq; habentis cusio Terram quamlibet & nobilitet & fæcundet: Volumus, ut in quatuor locis terrarum prædictarum, videlicet in Thorun, Gdansk & Elbing & Kynsberg, duntaxat gwerra præsenti durante, fidelis & justa, imaginem Nostram

1. Parochia Thorunensis.

2. Ad Judicium Terrestre Palatinatus Culmensis duo Consules Thorunenses eligi debent.

3. Civitatis Thorunensis Jus monetam cudendi.

& ſubſcriptionem tituli Noſtri continens, Moneta cudatur præfatorum Prælatorum Spiritualium & Secularium, Militarium, Civium, Terrigenarum Terrarum prædictarum impenſis. Pace autem, Domino ſuffragante, habita, tantum in Thorun & in Gdansk, ſine præjudicio Privilegii Thorunienſis Civitatis, Noſtris Regalibus cudatur impenſis; Proviſo tamen quod Moneta ipſa in pondere, & grano & liga debita nullatenus minuatur. Vid. Privileg. Incorporat. Terrarum Pruſſ. D. Caſimiri Regis ab Anno 1454. §. 7. in fine. Judicia Terreſtria haberi debent in Culmenſi Palatinatu, Radzini & Thorunii bis in anno; primo feria ſecunda poſt Feſtum Sanctæ Hedwigis Thorunii: In Michalovienſi autem Septimana una ſemper poſt Culmenſia Judicia, & alternatim Brodnicii & Neofori: In Mariæburgenſi, Stumæ, primo feria ſecunda poſt conductum Paſchæ; ſecundo feria ſecunda poſt Lamperti: In Palatinatu Pomeraniæ, in ſingulis Diſtrictibus Judicia itidem haberi debebunt bis in anno; & Dirſſavienſia quidem Starogardiæ, primo feria ſecunda poſt Feſtum Circumciſionis Domini; ſecundo feria ſecunda poſt Feſtum S. Lucæ Evangeliſtæ: In aliis itidem Diſtrictibus, locis conſvetis, ita nimirum, ut Svecenſia duabus ſeptimanis Dirſchavienſia ſubſequantur; poſt Svecenſia vero aliorum porro Diſtrictuum una ſeptimana invicem ſe conſequantur: Quæ ſi in diem feſtum inciderint, feria proxima ſubſequente celebrentur. Vid. Jus Terreſtre Terrar. Pruſſ. De Magiſtratibus & Judiciis. tit. 5. §. 23.

4. Quando Judicia Terreſtria Thorunii celebrentur?

TORTURA.

1. Quando Judex ad torturam procedere poſſit.

NUllus Judex prius ad torturam procedat, niſi cauſa ſit Criminalis, corpusque & ipſam vitam concernat, & nullæ aliæ probationes adſint, quibus aliter rei veritas erui poſſit; enim vero tamdiu facti munimenta ad manus ſunt, cruciatio torturæ ſuſpendi & corpus delicti per probationes liquidum fieri debet. Torturam autem ſufficientia indicia & præſumptiones præcedere neceſſum eſt, quibus decretum Judicis ad tor-

torturam nitatur. Jus Rev. l. 5. part. 1. tit. 17. art. 1. Quando reus ad propositam accusationem litem negative contestetur, Judici vero nullæ relevantes probationes ad manus sint; tunc sedulo trutinet sincera indicia, momenta & signa, suspiciones & præsumptiones, ut mediantibus his ad ulteriorem indagationem veritatis descendere, imo ad torturam progredi possit. Revis. l. 5. tit. 16. art. 1. 1) Præsumptio & indicium scatere potest ex circumstantiis suspectæ personæ, vita & gestu, an audax & impietatibus inebriata persona sit, malæ famæ & nominis, quæ paria delicta patrandi consuetudine se jam imbuerit, eaque propter nunquam insimulata fuerit, sic ut maxima suspicio in eam redundet quod scelus perpetraverit. Interim tamen ejusmodi suspicio non ab ejus inimicis aut impiis hominibus, sed ab indifferentibus Viris promanet & eliciatur. 2) Indicium desumi potest ex loco, quando scilicet suspecta persona in loco periculoso & ad committendum scelus apto deprehendatur, aut in ipso loculo delicti consumati videretur. 3) Ex quotidiana vita, quando aliquis scienter cum talibus versetur, habitet & collegialiter degat, qui ejusmodi sceleribus intaminati & arguti sunt. 4) Suspicio & indicium grave fundatur in prævia inimicitia, odio & invidia, quam suspecti erga occisum exercuerunt, item an ex delicto emolumentum apparens causatum sit? 5) Ex morientis inculpatione quando desuper moriatur aut inculpationem suam juramento confirmet. 6) Ex fuga suspecti, quando aliquis statim post commissum delictum se per fugam eripiat & excedat. Adhæc multa alia indicia supersunt, quæ proprie non describi aut determinari possunt, sed secundum supra allegatas præsumptiones secundum qualitatem personarum & circumstantiarum per Judicem rationabiliter trutinari, in quantum locum habere possint, debent. Uti sunt: præviæ minæ; effata testium; quando aliquis extrajudicialiter de patrato facinore gloriatur, factumque fatetur; quando aliquis cum occisi aut læsi consanguineis transigit, sive cum ipso læso amicabiliter componit; quando apud aliquem res raptæ & furtivæ apprehenduntur; quando suspectus in suis sermonibus variat, publice mentitur, titubat, ex alte-

2. De Judicis præsumptionibus.

3. De diversis præsumptionibus, indiciis & suspicionibus.

alteratione per ſtuporem colorem genarum mutat, & ſtatim perculſi & abjecti animi incipit fieri, & quod ulterius in acceptatione & inquiſione reorum Judici accidere poteſt, quæ omnia ſumma diligentia obſervanda ſunt. l. c. art. 2. Iſtæ præſumptiones vero non ſimpliciter ſunt accipiendæ nec ad eas decerni debet; ſed neceſſarium eſt ut illæ per duos viros omni exceptione majores comprobentur. Si vero etiam unicus modo ſit teſtis, qui integræ & probatæ fidei exiſtat, & ſic in cauſa deponat, quod ipſe teſtis ocularis fuerit, tunc etiam ex ejus effatis præſumptio deſumi poteſt. l. c. art. 3.

4. Quomodo præſumptiones & indicia probari debeant?

Quando itaque Judex ejusmodi præſumptiones & indicia præ ſe ferat, eaque ſufficienter probata ſint, nil ominus eidem haud eſt licitum ad Criminalem pœnam progredi. Enimvero nullus homo corpore aut vita puniendus eſt, niſi factum ipſe fateatur & ſufficiens probatio adſit. Ad acceptationem autem, incarcerationem & torturam, mediantibus ejusmodi indiciis Judex facile procedere poteſt contra reos. Nilominus ejusmodi indicium plerumque in diſcretione Judicis ſitum eſt: propterea unusquisque Jurisdictionem exercens ſit providus, omnia ut debito & competente modo ventilet circumſpecte. l. c. art. 4.

5. An aliquis ad indicia & præſumptiones condemnari poſſit?

Unusquisque Judex circa torturam ſummam adhibere debet temperantiam & prudentiam, ne inæquitate & forma excedatur. Propterea cauſarum gravitas & difficultas, perſonarum qualitas, circumſtantiæ & occaſio, ut & atrocitas & lenitas perſonarum diligenter ſunt attendendæ, & ſic omnes cauſæ promoveantur & peragantur. Si plurimi per torturam examinandi veniunt, apud illum fiat initium, qui eſt ſuſpectiſſimus, & plurioribus indiciis gravatus habetur, ſive qui cæteris delicti complicibus timidior & effœminatior videtur. Item diſtinguendum inter juniores & ſeniores, viros & mulieres, robuſtos & imbecilles, ſanos & morbulentos, ut per minimum torquendorum periculum & difficultatem veritas in liquidum reduci & erui poſſit. Reviſ. l. 5. p. 1. t. 7. art. 2.

6. Quomodo tortura fieri debeat?

Omnes perſonæ ſive ſint mares ſive fœminæ præviis relevantibus indiciis torquendo examinari poſſunt, exceptis his qui in Jure expreſſe eximuntur: Uti

7. An omnes perſonæ torqueri poſſint?

Uti sunt minorennes pueri, omnes qui in dignitatibus & officiis sunt constituti, senio decrepiti, prægnantes fœminæ, milites, Nobiles & Doctores. l. c. art. 3. Quando reus conventus præviis indiciis inter torquendum nihil fateatur, non sine indiciis recenter repertis iterum torquendus est, sed omnes suspiciones extinctæ & deletæ sunt judicandæ, & si non aliud novum gravamen contra reum Judici deferatur accusatus Juramento exultionis præstito dimittatur, Judex vero manet indemnis, quia per aperta indicia reum gravantia ad torturam animi legali motu fuit adactus. Si vero reus delinquens sub doloribus torturæ factum fateatur, postea vero inficias eat, eo casu Judex torturam iterare potest; enimvero ista confessio, tametsi sub tortura facta sit, generat præsumptionem & probationem contra eum, qui confessus est, & sufficit ad reassumptionem torturæ. l. c. art. 4. Quando captivus sub tortura factum fateatur, postmodum vero factum neget, Judici liberum est tribus vicibus examen doloriferum iterare, si captivus contumaciter perseverat, neque novæ præsumptiones incidunt, tunc incarceratus mediante juramento exultionis dimittitur, neutiquam tamen ab actione absolvitur: Siquidem successu temporis ex aliarum relationum meritis accidentaliter emergentibus actio revivicari potest. l. c. art. 5. Sæpius accidit, tametsi delictum compatratum abundanter sit probatum, tamen captivorum propria confessio non obtineri possit, ut hinc inde Judices dubiorum procellis fluctuent, an definitive sententiam ferre, sive propriam confessionem per cruciatus extorquere debeant? Ultimarium medium equidem fuit in observantia; Quia vero imminet periculum, quod per tolerationem dolorum & cruciatuum item immutabilem negativam malefici, apertissima & luce meridiana clarior veritas supprimatur & totaliter extingvatur, & sic per contumaciam captivi Juris cognitio, totusque processus criminalis annihiletur, imo publice probata scelera impunita maneant: Propterea inposterum Judici facultas sit concessa, stante suo robore plenaria & luculenta probatione, suum decretum formandi publicandique, illudque

8. Iteratio torturæ.

9. Quoties inquisitio per torturam repeti possit?

10. An per torturam captivi propria confessio sit extorquenda, quando abundans subsit probatio?

illudque postmodum exequendi, tametsi propria confessio deficiat. Si vero Judex præviis sufficientibus probationibus nihilominus equuleo reum imponere vellet, hoc non propter primarium negotium, quippe quod abundanter probatum est, sed propter alias circumstantias, scilicet ratione consortium criminis, causarum, loci & temporis, fieri debet. Interim tamen Judici liberum sit opportunis mediis, e. g. per comminationes & territiones propriam confessionem expiscari. l. c. art. 6. Quando captivus sub tortura factum profitetur, non propterea Judici licitum est in continenti ferre sententiam, sed post aliquot dies, quando dolores aliquantisper evanuerint, captivum ad se requirere, & amicabili modo examinare debet: Quando itaque in sua confessione perseverat, Judex ex fundamento hujus confessionis suum decretum formare & Jure mediante exequi potest. Si illa confessio etiam alios homines implicaret, Judex sine præviis præsumptionibus, eos non statim torturæ demandare præsumat, sed antea omnes circumstantias trutina suæ mentis ut & concomitantes occasiones bene ponderabit, nisi ille, de quo confessum est, sit persona suspecta, malæ famæ aliisque præsumptionibus gravata. l. c. art. 7. Sine prægnantibus causis Judici haud licitum est ad torturam descendere: Si nihilominus decernatur tortura, omnis cautio & moderatio est adhibenda, ne debitus modus excedatur & vitæ captivi damnum inferatur. Si vero Judex aliquem ex malo proposito & subdoloso modo torqueat, quem torquere non competebat, sine præviis indiciis, tortusque desuper moriatur, tunc Judex vita puniendus est. Si autem non moriatur, secundum cognitionem Magistratus Judex de damnis debite satisfacere tenetur. Existente vero casu ut aliquis de Jure virtute genuinorum indiciorum torqueatur, Judex ab omni impetitione immunis manet.

11. De valore & effectu torturæ.

12. De pœna Judicis, qui indecenter & injuste tortus est.

TRITURA.

1. Jus triturantium.

TRiturantes decimum quartum modium accipiunt, contra faciens pœna trium Marcarum b. m. a suo Magistratu

ſtratu mulctandus eſt. Qui non habet hortulanos illi licet trituratores minimo quovis pretio conducere, absque tamen cibo. Reviſ. l. 1. t. 8. art. 4.

TUCHOLIA.

De Judiciis Tucholiæ exercendis. Vid ſupra Thorunium.

EXercenda ſunt Judicia in Palatinatu Culmenſi, Neofori: in Mariæburgenſi, Stumæ: in Pomeraniæ vero, durante vita moderni Palatini vel Starogardiæ, vel in oppido Swiecie, vel Tucholiæ, vel Snarſſeviæ. Qui vero inpoſterum conſtituentur Palatini, ſingulis quibusque octo ſeptimanis Judicia habebunt, & ita quidem, ut in Culmenſi Palatinatu, Radzini ſemper habeantur; in Mariæburgenſi Stumæ, in Pomeraniæ alternis vicibus Starogardiæ, in oppido Swiecie & Tucholiæ. Jus Terreſt. Terrar. Pruſſ. De Magiſtratu & Judiciis. t. 5. §. 7. *1. Quando Judicia Terreſtria Tucholiæ exerceantur.*

Multorum querimoniis accepimus, quosdam Officialium Noſtrorum, præſertim Tucholienſes, prætextu Mandati prohibitorii, de invectione Salis peregrini in Poloniam, innocentibus, antequam finibus terræ appropinquent, Salem adimere. Quod quidem iniquum eſt, ſub pari indignatione Noſtra prohibemus, ne de cætero cuiquam adimatur, niſi ultra fines transgreſſo. Vid. Conſtit. Terrar. Pruſſ. D. Sigismundi Regis ab Anno 1538. §. 26. *2. Tucholienſibus non adimatur ſal.*

TUTELA.

Jus Terreſtre Terrarum Pruſſiæ, Titulus III, de Tutelis.

OMnibus liberos impuberes habentibus, integrum ſit quoscunque illis videbitur, Tutores vel Teſtamento vel ad Acta quæcunque avthentica conſtituere. §. 1. *1. Parentes conſtituere poſſunt tutores.* Siquis nullis Tutoribus relictis deceſſerit, Tutores legitimi ſint proximi agnati, qui nimirum maſculino ſexu pupillis conjuncti *2 De legitima tutela.*

 ſint:

sint: deficientibus agnatis, proximi cognati, qui per fœminam pupillos cognatione attingunt. §. 2. Quod si ex linea agnatorum, aut agnatis deficientibus, cognatorum pari propinquitatis gradu plures tutelam vendicare sibi voluerint, Judicium Terrestre tres ex ipsis, si tot sint, deligat, quos pupillorum rationibus magis expedire judicaverit. §. 3. Quodsi vel nullos agnatos aut cognatos habeat, aut si fuerint, legitimis causis a tutela se excusent, Judicium Terrestre, a quocunque eo nomine appellatum, in proximis terminis Terrestribus tutores duos aut tres idoneos, & sufficienter ibidem possessionatos, dare pupillis, tenebitur. §. 4. In educandis pupillis, voluntatem defuncti Parentis, aut si de ea non constiterit, proximorum agnatorum aut cognatorum Tutores spectent. §. 5. Sive autem Testamentarii fuerint, sive legitimi, sive dati, tutelæ suæ administrationem a confectione Inventarii ordiantur. Ad quod conficiendum, intra mensem post susceptam tutelam, Judex Terrestris loci illius, a tutoribus requisitus, duos Scabinos in bona pupillorum delegabit, qui confectum inventarium manibus suis subscribant & sigillis muniant, quod Tutores in proximis Judiciis Terrestribus ad Acta referant. §. 6. Quod si a Tutoribus prætermissum fuerit, quanti a pupillis aut hæredibus eorum, moderatione Judicis præcedente, in litem jurabitur, tantum damni nomine præstare illis tenebuntur. §. 7. Confecto inventario, res, quæ temporis tractu perituræ videantur, quam optima conditione poterunt, quam primum vendent, pecuniamque ex illis redactam, una cum reliqua pecunia pupillari ex utilitate pupilli, inque rem illius collocabunt. Si debita aliqua extiterint, mobilia bona vendant, ex quibus ea solvant. §. 8. Immobilia bona non nisi ex sequentibus causis & decreto Judicii Terrestris, causa aliqua earum in Judicio Terrestri prius probata, vel vendant, vel alienent, vel obligent. Causæ autem, ob quas decreto & æstimatione Judicii accedente, alienare, aut obligare ea poterunt, hæ sint: Dotis solvendæ: Alimentorum pupillis, si aliter expediri ea non possunt, constituendorum: Damna ex obligationibus aliquibus, aut usuris, si

3. Si plures tutelam sibi arrogare velint.

4. Tutores ex officio constituti.

5. Educatio pupillorum.

6. Confectio inventarii.

7. Pœna tutor. inventarium non conficientium.

8. Bona corruptibilia sunt vendenda.

9. In quibus modo causis immobilia possint alienari pupillorum.

ſi ea non explicarentur, provenientia : ad extremum, liquidorum debitorum ſolutio. Extra hasce cauſas, aut etiam cum aliqua harum cauſarum prætendetur, ſi absque decreto Judicii veneant, dominium non transferetur, recteque poſtea a pupillis vindicari poterunt. §. 9. Cum plures Tutores fuerint, etſi unus tutelam adminiſtrarit, pupillis tamen hæredibusve eorum omnes conjunctim, & ipſi & bona eorum in ſolidum obligata erunt. §. 10. Si tutor tutoresve ſuſpecti ſint, vel bona pupilli male adminiſtrent, libere erit cuicunq; vel propinquo vel etiam alieno, qui cura pupilli tangatur, ad Judicium Terreſtre vel Palatinale eum eosve vocare. Ac ſi ex rationibus proventuum vel certis aliis indiciis ſuſpectus fuerit, aut tutelam male adminiſtrare reperiatur, Decreto Judicii a tutela removeatur, ac ſi quid damni ex adminiſtratione ejus ad pupillum pervenerit, præſtet, omniaque ſecundum Inventarium alteri tutori a Judicio delecto reddere cogatur. §. 11. Si durante tutela ex tutoribus aliquis mortuus fuerit, ſuperſtites tutelam adminiſtrent; cujusque tamen Tutoris bona aut hæredes, non per amplius tempus tenebuntur pupillo, quam per quod tutelam quisque geſſit, ita ut ſuum quisque factum, aut ejus cui in bonis ſucceſſit, tantum præſtet. §. 12. In tutela ad decimum octavum ætatis annum minorennes ſint, quem cum attigerint, Judicio Terreſtri annum ætatis probent, adminiſtratioque rerum ad illos pertinentium a Judicio eis decernatur. Decreto interpoſito tutores omnia bona tam immobilia quam mobilia, eorum in uſum, poſſeſſionem & adminiſtrationem ſine dilatione ulla tradere eis tenebuntur, tutelæquæ ſuæ adminiſtrationis tam ipſorum bonorum quam omnium fructuum, redituum & proventuum, præſentibus duobus propinquis pupilli, rationem eis reddent. Et adminiſtratio quidem bonorum, tam immobilium quam mobilium mox ad eos transferetur : immobilia tamen bona, antequam vigeſimum quintum ætatis annum expleverint, niſi ex iis cauſis & modo, ex quibus & quo Tutores alienare ea poſſe ſupra conſtitutum eſt, alienare nullo modo poterunt. §. 13. Si moram aliquam Tutores

10. Omnes tutores tenentur in ſolidum.

11. De ſuſpectis tutoribus.

12. De mortui tutoris hæredibus.

13. Quando pupilli ſint majorennes facti.

14. Quando tutores pupil-

lis non statim bona exhibent. hac in re fecerint, ad Judicium Terrestre, aut Officium Palatinale peremptorie citentur, quantique in litem a pupillis juratum fuerit, sine exceptione & Appellatione ulla, damni nomine eis præstare, bonaque nihilominus iis restituere, & rationes reddere teneantur. §. 14.

15. Quando unus majorennis frater adhuc minorennes habeat. Quodsi plures fratres fuerint, ut quisque eorum ad legitimam ætatem pervenerit, ita usum sortis, saltem cujusque eorum, modo supra definito, tradere ei tenebuntur: reliquorum autem fratrum minorennium & sortium illorum, conjunctim cum fratre adulto, tutelam & administrationem continuabunt. Divisio autem bonorum perpetua non nisi tum fiet, cum decimum octavum ætatis annum omnes compleverint. §. 15.

16. Tutori sunt damna refundenda & expensæ. Si sumptus aliquos necessarios, vel in personam pupilli, vel in bona vel in Judicia, vel rem aliquam ad illum pertinentem tutor fecerit: si eam ipse, cum ejus causa aliquo iret, aut negotia ejus gereret, aliquid insumserit, cum Officium suum nemini damnosum esse debeat, recte in rationes referet. §. 16.

17. Lata culpa tutori solummodo damnosa. In universum, nihil præter dolum & latam culpam, quæ dolo proxima est, præstare tutor debet. Itaque si, cum ipse omnia fecerit, vel Procurator ad Judicia pupilli delectus, vel Minister administrationem rei familiaris, in rebus pupilli aliquid peccarit, aut fortuitus aliquis casus, qui provideri non poterit, damni aliquid rebus pupilli attulerit, præstare id Tutor non tenetur. §. 17.

18. Pupillus rem suam non deteriorem reddit. Omnibus autem in rebus Pupillus meliorem suam conditionem, etiam sine tutorum authoritate, facere poterit, deteriorem non. §. 18.

19. Actio pupilli contra tutorem. Quod si pupillus, postquam ex potestate tutoris excesserit, damnum passum se ab eodem senserit, Actionem eidem ob male administratam tutelam infra tres annos & tres menses, Præscriptione inposterum obstante instituere debebit. §. 19.

20. Fœminæ semper sunt sub cura. Mulieres in aliena cura & tutela semper sint, & filiæ familias quidem in parentum aut fratrum, si adulti sint, tutorumve agnatorum, vel iis non existentibus, proximorum cognatorum. Uxores cum maritorum consensu, tutore adhibito, liberam disponendi facultatem habeant. §. 20.

21. De tutoribus petendis & rationibus Puer quatuordecim & puella duodecim annorum tutorem petere possunt cum Magistratus con-

consensu, quem volunt. Tutor autem minoribus, vel matri vel proximis cognatis de administrantis tutelæ rebus, singulis annis, quatenus ab eo petuntur, rationes reddere tenetur. Emend. l. 3. c. 52. Correct. l 4. c. 50. Revis. l. 4. t. 14. art. 4. tutelæ reddendis.

Post Patris obitum minorennes superstites, quamdiu nec in tutelam suam pervenerint, nec alium tutorem, ob debiti causam in Jus non vocatur, nec vicissim ipsi creditum petendi vel exigendi habent Jus. Si quis autem minorennium nomine creditum petere desiderat, idem versa vice eorundem nomine debiti actiones excipere non refragetur. Emend. l. 2. c. 24. Correct. l. 4. c. 51. 52. Revis. l. 2. t. 10. art. 3. 22. De minoribus conveniendis.

Non possunt esse testes Tutores seu Curatores, qui ob tutelam perfide gestam eo devenerunt, ut pupilli, qui in eorum tutela curave erant, bona illorum Judiciali Decreto possident. Emend. l. 2. c. 50. Correct. l. 5. c. 46. Rev. l. 2. t. 18. art. 1. 23. Tutor res minorum perfide administrans non potest esse testis.

Si minori Jus protimiseos competat ad revocandam venditionem fundorum proximi consangvinei, & in ejus facultatibus tantum sit pecuniæ, quantum repetendæ rei venditæ sufficit, tutores autem intra tempus legitimum, pupilli nomine Jus revocandi fundi neglexerint, actio minoribus hoc casu contra tutores datur, quatenus absque authoritate Magistratus, qui summus est tutor, & legitima cognitione non interveniente Jus minorum negligenter omiserint, vel prosequi supersederint. Emend. lib. 4. c. 23. Revis. lib. 4. t. 6. art. 5. 24. De protimiseos Jure minoribus competenti.

Quoties liberi intra legitimos ætatis annos constituti sunt, proximi cognati, & quidem natu majores, qui natalibus iisdem pollent, & in ejus Judicii districtu larem collocatum habent, illorum tutores sunto, donec ad adultam ætatem pervenerint, tunc enim tutores illis omnia bona sua restituere coguntur, nisi rationibus liquido demonstrent, vel alias sufficienter probent, quid in pupillorum utilitatem versum sit, vel quid per rapinam aut alios fortuitos casus sine tutorum culpa perierit. Emend. l. 3. c. 50. Revis. l. 4. t. 14. art. 2. 25. De legitimis tutoribus

Cum filius annum ætatis vicesimum primum est egressus, alterutro parentum defuncto, superstitem alterum ad bonorum divisionem Jure compellere potest. Si tutor vel curator 26. De minoribus, eorum tutoribus & curatoribus.

bona pupilli vel minoris malo more gesserit, matri vel cuivis alii cognato adversus tutorem & curatorem actio competit, sed & Consulatus Civitatis & Magistratus in Districtu Terrestri auctoritatem interponere possunt, ut Tutor vel Curator causam dicat, & quod male gessit restituat. Si convictus fuerit, res minorum mala tractasse fide, infamiam incurret, nec ullam deinceps tutelam vel curam administrandi Jus habebit. Si Tutor ab hostibus captus sit, interim alius ejus loco substituitur, ille reversus in pristinum administrationis statum reponitur. Tutor pupilli sui res quas ad se recepit, in utilitatem pupilli convertere debet. Si quid aliud ipsis fecerit, quod a Jure sit alienum, pupillo Jus est conveniendi, quam primum majorennitatem suam attigerit, Tutor autem ipsi eo nomine respondere tenetur. Minor qui decimum quartum annum complevit, alium si volet tutorem petere potest, sive prior res ejus bene sive male gessit, petat autem cum prudentioribus cognatorum approbationibus. Etenim si suo sibi tutorem constituere volet arbitrio, nec Senatus nec Magistratus Terrestris, nec propinqui temeritatem ejus ferent, sed si prior tutor probe rem gessit, deinceps etiam administrabit. Quilibet adolescens, qui suis ipsemet rebus non sufficit, tutorem accipiat, ad ætatis annum usque vicesimum primum, interim res suas ipse dispensare non potest, nisi tutoris authoritas interveniat. Tutore defuncto adolescens rem suam a quocunque possessore Jure vendicabit. Si pupillus rem suam e manu tradidit auctore tutore, nec inde quicquam, quod probari possit, in utilitatem pupilli rediit, pupillo contra hæredes tutoris actio competit. Si post tutoris mortem pecunia pupillaris penes ipsum inventa fuerit, quam nondum in puppilli commodum erogavit, ex ea pupillo satisfaciant hæredes, priusquam de suo expendant. Emend. l. 3. c. 51. Corr. l. 5. c. 55. Rev. l. 4. t. 14. art. 5. 6. 7.

27. De tutoribus vivo Patre constitutis, deque legitimis & dativis.

Pater si volet, dum inter homines versatur, tutores liberis suis constituere non prohibetur: quamvis non proprie tutela dicatur, quamdiu pater superstes est. Eo defuncto si liberis tutores inter vivos non dedit, proximus cognatus, si idoneus

idoneus est tutor esto. Si defunctus vel defuncti liberi cognatos vel consanguineos nullos habeant, ejus loci Magistratus officium erit curatores, qui bonis minorum præsunt, constituendi. Emend. l. 3. c. 53. Corr. l. 4 c. 53. Rev. l. 4. t. 14. art. 1. Ubi additur, quod proximi cognati sub amissione Juris successionis teneantur intra mensem coram Magistratu de constituendis Tutoribus sollicitare. l. c. Tutor qui pupillorum proximus hæres est, consensu & opera cæterorum cognatorum, interveniente, Magistratus, qui summum tutorem agit, legitima cognatione, res & bona pupillorum citra cujusvis impedimentum administrandi dispensandique Jus habet, prout ipsi melius visum fuerit. Sin autem in bonis pupillaribus male versetur, de eo pupilli, cum ad ætatem suam pervenerint, tutori controversiam movebunt, isq; Jure respondere compelletur. Emend. l. 3. c. 54. Corr. l 4. c. 55. Rev. l. 4. t. 14. art. 13. Ubi additur: Si etiam minor propriis manibus bona dispenderit cum consensu tutoris, tutor nihilominus pro damno, si sufficienter probatum sit, tenebitur, quia minoris commodum & emolumentum observare tenetur; si vero tutor decesserit, tunc minor ejus hæredes convenire potest, & illi in Jure respondere tenentur, de omnibus bonis Minoris apud ipsos exstantibus, vel quod alias Minoribus per negligentiam, dolum aut dolum malum sit detractum. l. c. Tutores pupillorum suorum res immobiles, possessiones seu fundos sine consensu Magistratus ne vendunto, neve alienanto. Emend. l. 3. c. 55. Corr. l. 4. c. 13. Rev. l. 4. t. 14. art. 8. addendo: Si vero eveniat alienatio, tunc minor non solum tutores eorumque hæredes convenire, sed etiam sua bona apud quemcunque possessorem condicere & vindicare potest. l. c. Decedens qui res hæreditarias quidem reliquit, sed plurimo ære alieno obstrictus est, habent & Minores ejus liberi legitimos tutores, ii vero tutelam obire nolunt, eo fortassis studio, quo magis ac diutius creditores frustrentur. Quæsitum fuit, quo remedio creditoribus consuleretur. Sane Juris auctoritate prospectum est, ubi tale quid accidit, ut creditores proximum agnatum in Jure conveniant, quasi is officio tutelæ ideo fungi nolit

28. De rebus minorum administrandis.

29. De rebus minorum non alienandis.

30. Si tutor legitimus tutelam gerere nolit.

nolit, quo magis in debito consequendo creditores impediantur. Si fatetur eam ipsam ob causam tutela se abstinere, Jure cogitur pupillorum nomine debiti conditiones suscipere. Sin autem Jure jurando se purgaverit, non eam utique ob causam tutelæ munus aspernari, litem agnoscere non cogitur. Creditores vero si volent, a Magistratu pupillis tutores petant, deinde hæreditatem ad pupillos pertinentem debiti nexu publice obstringant, ac Jus suum in ea bona solenniter prosequantur, eoque modo debiti sui solutionem ex iisdem bonis expediant. Emend. l. 3. c. 56. Corr. l. 4. c. 54. Rev. l. 4. t. 14. art. 3.

31. De excusatione tutorum.

A tutela excusantur omnes, quicunque rei publicæ causa munus vel Officium administrant, utpote qui Magistratum publice gerunt, qui Principi sunt a Consiliis, Milites, Nobiles & Medicinæ Professores. Excusantur etiam a tutela, quicunque morbo sontico laborant, sic ut suis ipsis rebus super esse nequeant: & qui septuaginta annorum onere premuntur ætatis habent excusationem, & qui trium tutelarum munera jam antea sustinent, quasquidem ipsi sponte non ambiverint, a quarta, legibus excusantur. Emend. l. 3. c. 57. Revis. l. 4. t. 14. art. 12.

32. Quibus non est necesse dari tutores.

Cum minor ad justam ætatem pervenerit, hoc est annum vicesimum primum compleverit, non magnopere tutoribus indigebit: si modo judicetur idoneus, qui res suas suo commodo gnaviter administret: Mulieres autem & Virgines tutoribus semper indigere non est incognitum. Emend. l. 3. c. 58. Correct. l. 4. c. 55. Revis. l. 4. t. 14. §. 13.

33. De tacita pupillorum hypotheca in bonis tutorum.

Quanquam tutores Jure scripto communi teneantur cautiones præstare pupilli rem salvam fore: consvetudine tamen Juris Culmensis receptum est, ut tutorum facultates & bona pupillis ob gestam tutelam tacite sint obligata, sic ut in bonis tutorum aliis creditoribus pupilli sint potiores ad detrimenta rerum suarum ex iis resarcienda. Tutor non rebus solum, verum etiam personæ datur: quapropter ejus muneri vel maxime incumbit, ut pupilli secundum generis dignitatem & patrimonii facultates, liberalibus disciplinis erudiantur, & bonis moribus conformentur. Em. l. 3. c. 59. Revis. l. 4. t. 14. §. 9.

34. Quis ex tutoribus

Cum tres vel quatuor

sunt

sunt tutores in rem pupillorum Jure constituti, omnes æque tenentur rebus pupillaribus prospicere, & omnes simul in eam causam erunt obnoxii. Verum si uni vel pluribus administratio bonorum a cæteris demandata fuerit, at illorum culpa vel negligentia res pupillorum fit deterior, primum illi convenientur, qui gesserunt, & ad damnorum restitutionem cogentur, quatenus illorum facultates patiuntur. Si quis illorum solvendo non sit, cæteri contutores, licet non gesserint, in id, quod pupillis deest, recte convenientur. Cum unus ex tutoribus in fata concesserit, ejus hæredes tamdiu pupillaribus actionibus manent obnoxii, quoad bonorum ratio constet integra, sic ut defunctus tutelæ gestæ nomine amplius conveniri non possit. Emend. l. 3. c. 60. Revis. l. 4. t. 14. §. 10. Legum decrevit authoritas, ut virgines & mulieres in omnibus actionibus pro quovis tribunali tutores in litem habeant, alias ad agendum a Judice non admittantur. Maritus Uxoris tutor est, si præsens sit: Sin extra Provinciam agat, Uxor auctore Judice tutorem optato, eum scilicet, qui vel Mariti vel Uxoris cognatus aut propinquus sit. Hoc ideo constitutum est, quia majoris gratiæ sunt Mulieres in Judicio quam Viri. Nam illæ si quæ in Jure verba faciant, quæ quoquo modo causæ vel Juri illarum detrimento fraudive esse videantur, modo postea inficias eant, nullius testimonio refelluntur. Si mulieribus Jusjurandum deferatur vel adjudicetur, non tutores illarum, sed ipsæmet in conscientiam suam juranto. Tutores pro mulieribus fidejubento, ipsæ autem judicatum faciunto. Hæc tutelæ species tamdiu consistit, quoad maritus domum revertatur, vel quoad ipsa mulier constitutum tutorem retinere velit. In singulas enim causas fœminis, Jus est, novum tutorem optandi & priorem abdicandi. Emend. l. 3. c. 61. Correct. l. 5. c. 56. & 57. Revis. l. 4. t. 14. art. 11. Mulier absque Mariti voluntate consensuque res suas sive sint in reditibus, possessionibus, sive rebus mobilibus, donare non potest: quod ideo constitutum est, quia tutor Uxoris est maritus. Virgines & Mulieres, quæ sunt extra matrimonium, res quidem suas abalienant,

pupillorum actioni magis sit obnoxius.

35. De virginum & mulierum tutoribus in litem dandis.

36. An mulier sine tutoris auctoritate res suas donare possit?

nant, ſine tutorum conſenſu, ſcilicet cum ad ætatem ſuam pervenerint, hæredes autem earum alienationi contradicere poſſunt, uti Jure conſtitutum eſt. Emend. l. 3. c. 21. Corr. l. 5. c. 56. Reviſ. l. 3. t. 3. §. 3.

37. De furto a minoribus commiſſo.

Quamdiu quis infra quindecim pubertatis annos conſtitutus eſt, furto vitam non committit. Furtum autem tutores ex pupilli facultatibus iis, ad quos ea res pertinet, reſtituant. Si pupillus in bonis, quod reſtitui poſſit, non habeat, virgis cædatur. Emend. l. 5. c. 68. Correct. l. 5. c. 33. Reviſ. l. 5. p. 2. t. 16. art. 6. Ubi in eo adhuc illuſtratur: Si in minore appareat, quod malitia, ætatem ſuppleat, tunc Judex pro diſcretione Judicii ſui pœnæ inflictionem decernet. l. c.

38. Si prodigat Maritus Uxoris ſuæ bona nequiter.

Mulier ſi marito malis moribus dedito nupſerit, qui facultates ejus, quas Parentes vel cognati luculentas in dotem ſuam dederunt, nequiter prodigat ludo, alea, vel ejus generis alienandi modis illicitis, quibus & ſuas & uxoris fortunas evertere properat. Mulier eam profundendi licentiam Juris manifeſti remedio detrectare poteſt, nimirum Judicem ſuum adeat, ſibique tutorem optet, qui cauſam ejus agat. Quod ſi certis indiciis Judici planum facere poterit, Maritum improbato more converſari, ſic ut ex ejus luxuria periculum ſibi fortunarum ſuarum immineat, idque teſtibus, qui rem ita ſe habere certo ſciant, affirmate oſtenderit: Judex tutorem quem petivit ipſa, confirmato: Is tutor cum muliere ad poſſeſſiones bonorum ejus pergito eaque adminiſtrato. Si quis eam ob rem mulieri vim vel injuriam fecerit, ruptæ pacis publicæ notam incurrito. Mulier autem bona quæ matrimonii cauſa viro contulit, vel dotis nomine tradidit, occupato, & in rem ſuam adminiſtrato. Eodem utimur Jure, ſi eveniat, ut quispiam in transmarinis regionibus, quinimo alibi vel intra vel extra Pruſſiam æs alienum clam contraxerit, ac interim filiam honeſti viri in matrimonium duxerit, cum Patri & cognatis de ejus ære quo nexus erat, alieno certum non conſtitiſſet, tunc enim debita mariti, quæ ante ſponſalia contraxit, ex bonis vel dote mulieris minime exſolvuntur, ſed integrum eſt, mulieri res ſuas dotemque ſuam tueri ac uſurpare, quandoquidem Mariti for-

fortunarum particeps non fuit, ſed iniquis utique modis in fraudem illecta ſatis aperte videatur. Cæterum omne æs alienum quod conſtante matrimonio per virum & mulierem contractum eſt, ſive mercimoniis exercendis, ſive alia quapiam cauſa ſuggerente: quandoquidem Jure Flammingenſi hæreditario maritus & uxor in communione bonorum omnium pari lucro parique damno conſtituti ſunt; ex utriusque patrimonio integro, ſine ulla prærogativa dotis, vel alterius cujusvis beneficii, Jure communi ſcripto, mulieribus indulti, ut diſſolvatur & expendatur, jam pridem moribus eſt conſtitutum. Emend. l. 3. c. 62. Correct. l. 5. c. 58. Reviſ. l. 4. t. 14. art. 14. Moderamen inculpatæ tutelæ. vid. Defenſio.

USUCAPIO. Vid. Præſcriptio.

USURA.

SI quis uſuras illegitimas contra præſcriptum publicæ conſtitutionis & morem receptum, ſciens prudensque ultra quam beſſes & marcæ trientem (quod vulgo dicimus octo marcas & totidem ſcotos) exegerit, eamque ob rem in Judicium vocatus fuerit, quæſitum eſt, quantam pœnam commiſiſſet? Et Juris quidem expediti eſt, eum qui legitime convincatur, uſuras illegitimas exercuiſſe, mulctæ nomine decimam partem ſortis committere, toties quoties deliquerit, ac uſuras nihilominus quæ legem exceſſerunt, ut debitori reſtituat, compelli debere. Emend. l. 4. c. 9. Correctum, Mulctam 36. Solidorum, quotiescunque aliquis uſuras immodicas acceperit, ſtatuit. Correct. l. 3. c. 45. Reviſ. l. 4. t. 1. art. 5. Sine Juramenti religione me adſtringo de dandis alicui uſuris, ut mihi pecuniam pro oppignoratis bonis mutuo det. Ille vero pecuniam mihi ſubminiſtrare renuit, niſi compoſitis verbis ad Deum omnipotentem jurem, quod ego nunquam neque bona neque indebitas uſuras ſim judicialiter revocaturus; Ego inſuper hoc Juramentum præſtem, ille

1. Pœna uſurarum.

2 Pœna uſurarii ſecundum Jus Correct.

vero mea bona tamdiu poſſidet, usque uſuræ ipſum pretium bonorum, quo oppignorata erant, excedant; Jam quæritur: An bona mea illi relinquam, vel de repetendis eisdem judicialiter agam? Si actionem inſtituo, pecco contra conſcientiæ meæ religionem. Si vero meam conſcientiam immaculatam velim conſervare, debeo mea bona poſſidenti relinquere. Sed datur in cauſa remedium, adeundus eſt Judex Spiritualis, eidem ſtatus cauſæ & omnia merita ſunt aperienda; Is ex Officio uſurarium ad ſe vocabit & judicabit, quaſi ego actionem inſtituiſſem. Judex tenetur Uſurarium punire, ne anima periclitetur. Et ſi Judici ex rigore Juris mea bona ſunt exhibita, ille mihi reſtituere tenetur. Si ſtipulo me alicui propter mutua bona uſuras exſoluturum, ſi nondum exſoluta eſt ſumma capitalis, teneor eandem exſolvere, ſed uſuras retinere mihi eſt licitum, niſi ex nexu Juramenti me ad uſuras obligaverim, tunc ſupradicto modo mihi procedendum eſt. Si convenitur aliquis ratione exactæ uſuræ, Judex deciſionem interponere tenetur; Et ſi alicui capitalem Summam reſtituam, uſuras vero non exſolvam, Judex mihi injungere debet ne darem uſuras, & ego obedire debeo, & propter juratam ſtipulationem de uſuris dandis, meæ conſcientiæ damnum non infertur; Quia decet majorem obedientiam Deo præſtare quam hominibus. Si vero Uſuræ jam jam ſint exſolutæ, tunc autoritate Judicis per Conventum ſunt refundendæ & læſo reſtituendæ. Si Judici Spirituali obedire Conventus nolit, eum excommunicet, & ſi per ſex ſeptimanas unamque diem in excommunicatione hæſerit Secularis Judex eum proſcribere tenetur. Si hoc Judex Secularis exequi nolit, tunc Spiritualis Judex mediante cenſura Eccleſiaſtica contra eum procedet, & unum Judicium alteri brachio ſuo debet ſubſidio eſſe, ut combinatis viribus majores exiſtant effectus. Si jurem me neminem de exſolvendis meis uſuris certiorem redditurum, ejusmodi Jusjurandum me non obligat, & Epiſcopus ſive meus confeſſionarius me ab ligamento Juramenti hujus iniqui facile abſolvit; Ejusmodi enim Jusjurandum eſt contra præceptum Divinum, quod dicit: Ama Deum & Proximum

mum tuum, ut te ipſum. Propterea nemo proximi peccaminoſum errorem occultare debet, ne anima ipſius a recta via aberrando infernales ærumnas incurrat. Si in aliqua civitate publici Uſurarii vivunt, qui nihilominus ſe Chriſtianos eſſe credunt vel credi volunt, quæritur: an reliqui cives propter illos culpam ferant? Reſp. Ille plurimum eſt in culpa, ad quem Civitas illa pertinet, quia non, uti deberet, delinquentes ab ejusmodi impietatibus coërcendo revocat. Si uſuras accipiendo Sacerdos delinquat, ejus Superiores ſuper illo judicabunt, & ſi Judex Spiritualis nolit contra eum cognoſcere, tunc Judex Secularis Jurisdictionem ſuam contra eosdem exercebit. Qui uſurarium tuetur, ille cum Uſurario parili pœna afficiendus eſt. Adhortandi ſunt etiam Uſurarii, ut ab uſuris abſtineant, & quod impio modo, ſcilicet titulo Uſurarum ad eas pervenerit, reſtituant. Tribus vicibus adhortati non obedientes excommunicandi ſunt: Si etiam excommunicationem & fulmen Eccleſiaſticum paſſi impios ſuos mores haud corrigant aut jugiter uſuras exigant, Judex Secularis eos ex Civitate relegabit, bona ipſorum relicta in ſuam manum recipiet, iſtisque attribuet, qui per exſolutionem Uſurarum læſi fuerunt. Si ex bonis aliquid ſuperſit hoc in manibus Judicis permanet, & ſi Uſurarius iterum tribus vicibus admonitus, ab uſuris haud abſtineat, tam Spiritualis quam Secularis Judex a Chriſtiana Societate eum ſegregabit, ſegregatusque virgis probe eſt cædendus. Hoc uſurariorum Jus eſt, qui ſe Chriſtianos eſſe jactitant & gloriantur. Uſurarius illorum teſtimonio eſt convincendus, a quibus uſuras exegit vel per alios homines qui de hoc certe ſciant; teſtimonium vero hoc in effatis trium fide dignorum virorum conſiſtat. Correct. l. 5. c. 65. Quilibet contentus eſſe debet ſimilis ſpeciei exſolutione ſui dati mutui, neque licitum eſt deſuper emolumentum uſum vel uſuram exigere velle, aut mutuantem ad ſtipulationem uſurarum exſolvendarum cogere, niſi ſi aliquis numeratam pecuniam ab aliquo in ſuum uſum & negociationem ad certum tempus mutuo acceperit, ea conditione ut annuatim octo pro cento loco proviſionis exſol-

3. Diſpoſitio Juris Reviſi.

exſolvat, tunc capitalem ſummam cum ſtipulato Intereſſe in præfixo termino exſolvat. Reviſ. l. 4. t. 1. art. 4.

USUSFRUCTUS.

De Uſufructu bonorum Uxori legato, vid. **Uxor.** De Uſufructu, reditu pecuniario Uxori donato, ibidem.

UXOR.

1. Uxoris hæreditas poſt obitum mariti ſui.

NEc maritus in bonis Uxoris, nec uxor in bonis mariti, poſt mortem alterius, quicquam Juris amplius, Juribus tamen ejusmodi præteritis nihil nocendo ſibi vendicare, aut uſurpare poterunt, quam quod ad acta publica quæcunque authentica, legitime inſcriptum ſibi docere poterunt. Loco vero ſucceſſionis mutuæ in dimidiam partem bonorum, quæ hactenus in uſu fuit, bona ad maritum attulerit, dotemque & contra dotem a marito ſibi inſcriptam, integram habere debebit, quas ita marito inſcribere liberum erit, ne amplius tamen, quam dimidiam partem bonorum ſuorum iis oneret. Et dotis quidem proprietas ad illam, hæredesque ipſius pertinebit: Contra dote autem ad vitæ tempora utetur, fruetur; Succeſſoribus tamen defuncti, de reſtitutione poſt mortem ſuam, inſcriptione in aliqua bona libera, vel ſua vel fidejuſſorum ſufficienter poſſeſſionatorum, cavere tenebitur. Advitalitium etiam Jus mutuum in omnibus bonis liberum erit Conjugibus ſibi inſcribere. Si quæ etiam nullam dotem a marito inſcriptam habuerit, quartæ tamen partis bonorum mariti defuncti uxor ſuperſtes uſum fructum percipiet, donec ad ſecundas nuptias tranſierit. Jus Terreſt. terrar. Pruſſ. Tit. 1. §. 7. 8. 9. & 10. De donatione Viri & mulieris. Vid. **Donatio. Teſtamentum.** An mulier ſine conſenſu res ſuas donare poſſit. Vid. **Tutela.** Cum Uxor in manum Viri convenit, marito deinde mortuo mulier beneficio Juris Culmenſis ſemiſſem omnium bonorum capit, liberi vel alii, qui-

2. De uſu & Judicio familiæ herciſcundæ.

quicunque tandem sint viri, hæredes altero semisse esse patiuntur. Mulier quæ liberos habet superstites, in bonorum possessione manet, quamdiu ad secundas nuptias non convolaverit, quatenus nimirum absque liberorum fraude ac detrimento bona administrat, & quatenus liberi, qui suæ jam factæ sunt ætatis, portionem patrimonii sui non exigunt. Alioquin mulier post diem tricesimum, is enim mensis luctui datur, cum liberis & aliis mariti hæredibus divisionem inire cogitur, ut Juris ratio præscribit. Si defunctus liberos ex priori matrimonio superstites reliquit, ii semissem omnium bonorum una cum cæteris æqualiter capiunt. Idem de uxore quæ ante maritum decessit, deque liberis ejus ex anterioribus nuptiis erit intelligendum. Emend. l. 3. c. 43. Corr. l. 4. c. 23. Rev. l. 3. t. 10. art. 11. Ubi mentio fit quod per Pacta conventa seu transactiones ante nuptias huic legi possit derogari. l. c. Quilibet viduus vel vidua, priusque ad secunda vota migraverit, ante diem nuptiarum liberis vel cæteris defuncti mariti vel mulieris hæredibus, secundum religionem herciscundæ familiæ, nisi juramenti gratiam liberi vel hæredes ipsis fecerint, hæreditatis divisionem præstanto: Ni faciant juxta cujusque loci plebiscitum vel consvetudinem puniuntor. Si cum minoribus instituatur divisio, ea in Consulatus & Judiciorum libros publicos, ob rei gestæ testimonium rite referuntur. Quod in quibusdam locis terrarum Prussiæ receptum est, ut parentes superstites minorennium liberorum portiones in usu possessioneque retineant, quoad illi in tutelam suam pervenerint, si parentes interim vel sua ipsorum culpa, vel ad vim majorem DEO connivente facultatibus labi ceperint, id absque liberorum fraude dispendioque esto. Minores in bonis Parentum tacitam hypothecam habento, ejusque Jure cæteris creditoribus omnibus præferuntor. Emend. l. 3. c. 44. Rev. l. 3. t. 10. art. 12. Cum mulier prodiga, vel quæ suæ mentis non sit, quatenus talem eam esse publice constet, absque mariti scitu consensuve mutuam pecuniam accipit, maritus eo debito non tenetur, nec ejus illud damno contrahitur. Si quid autem ad ipsum pervenit, vel adhuc penes maritum residet,

3. De divisione ante secundas nuptias.

4. Si uxor sit prodiga.

resîdet, creditori non sine ratione restituitur; Si consumtum sit, non autem in rem mariti, siquidem juratus testetur, versum esse, nullum periculum sustinebit. Emend. l. 4. c. 40. Corr. l. 3.
5. Si Maritus fiat Monach9. c. 102. Rev. l. 4. t. 15. art. 5. Uxor Maritum occidens. Vid. Proscriptio. Vulnus. Homicidium. Vid. plura Census. Si aliquis Vir in matrimonio vivat & sine consensu suæ Uxoris Monachus fiat. Si Uxor eum de debita cohabitatione in Jus vocet, Maritus se sistere debet, & copula matrimonii manet salva. Corr. l. 5. c. 51. Vid. plura Tutor.

VADIUM. Vid. Mulcta.

VALETUDO.

Valetudinarii a tutela sunt exemti. Rev. l. 4. t. 14. art. 12. Valetudo impedimentum Legale. Vid. Impedimentum.

VAPULATIO. Vid. Verberatio. Percussio.

VARMIA.

Privilegium

CAPITULI VARMIENSIS,

Super electione Episcoporum Varmien. Et gratitudine personæ eligendæ, & quod ex electis Rex nominare non debeat, nisi vero Terrarum Prussiæ Indigenam.

IN Nomine Domini Amen. Ad perpetuam rei memoriam. Nos SIGISMUNDUS Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, nec non Terrarum Cracoviæ, Sandomiriæ, Siradiæ, Cujaviæ, Russiæ, Prussiæ ac Culmen. Elbingen. Pomeraniæque &c. Dominus & Hæres. Significamus tenore præsentium, quibus expedit, universis & singulis, præsentibus & futuris,

futuris, harum notitiam habituris. Quod cum defuncto bonæ memoriæ olim Reverendo in Christo Patre D. LUCA Episc. Varmien. ejusdem Ecclesiæ Prælati & Canonici ad electionem novi Episc. & Pastoris processissent, fuissetque orta aliqualis controversia super eadem electione, quæ videbatur Nobis facta non observato tenore cujusdam articuli inter olim Serenissimum Principem Dominum CASIMIRUM Regem Poloniæ, Genitorem nostrum Charissimum & Reverend. Patrem NICOLAUM Episcopum Varmien. & ejus Capitulum per quandam inscriptionem facti, in quo cavetur, quod iidem Prælati & Canonici Ecclesiæ Varmien. defuncto eorum Episcopo, personam gratam Regibus Poloniæ eligere teneantur. Cumque ejusdem articuli, de eligenda grata Regibus persona, interpretatio in dubium hinc inde traheretur. Nos prospicere cupientes, ne qua post hac controversiæ occasio inter Nos vel Successores Nostros Reges & Dominum Episcopum ac ejus Capitulum dictæ Ecclesiæ Varmien. super electione Episcoporum, & gratitudine personæ eligendæ, exoriri possit, ad tollendam omnem ejusdem articuli in posterum ambiguitatem matura deliberatione, & Consultatione, cum Consiliariis Nostris Spiritualibus & Secularibus, habita: Cum Reverendo Patre Dom. FABIANO Episcopo Varmiense moderno, ac ejus Ecclesiæ Capitulo in hunc, qui sequitur, modum devenimus. Quod cum contigerit vacare Ecclesiam Varmien. Prælati & Canonici ejusdem Ecclesiæ tempestive & ante Electionem novi Episcopi mittere tenebuntur de Gremio Sui Nuncios ad Nos & Successores Nostros legitimos, Reges Poloniæ, si fuerimus, aut iidem Successores Nostri fuerint in Polonia, non tamen in terris Prussiæ, aut Magno Ducatu Lithuaniæ, usque Vilnam & non ulterius, & significare per eosdem Nuncios suos obitum sui Episcopi, & diem electioni novi Pastoris præfinitum. Et præterea dicere tenebuntur nomina omnium Prælatorum & Canonicorum Ecclesiæ suæ, præsentium & absentium ab Ecclesia, ac declarare pro eorum Judicio fideliter ac veraciter, vitam, mores, dignitatem, genus & omnem conditionem status uniuscujusque. Quod si forsan

pro eo tempore Nos aut Noſtri Succeſſores non eſſemus, ſeu non eſſent in Polonia, ſed in terris Ruſſiæ aut ultra eſſemus, ſeu Succeſſores Noſtri eſſent in Magno Ducatu Lithuaniæ ultra Vilnam, tunc iidem Prælati & Canonici, ne forte Electio nimis tardetur & Eccleſia præfata alicui periculo aut incommodo ſubjiciatur, obligati erunt per ſuos Nuncios omnia ſuperius deſcripta Reverendiſſimo Domino Archi-Epiſcopo Gneſnen. pro tempore exiſtenti, aut ejus Paternitate extra ſuam Provinciam exiſtente, Wladislavien. aut Plocen. Epiſcopo ſignificare; Qui quidem Dominus Archi-Epiſcopus, ſive alter ex ſupra dictis Epiſcopis, illo abſente, ſine omni mora per ſuum tabellarium ſive nuncium de illis omnibus, quæ ſic ſignificabuntur, Nos & Succeſſores Noſtros curabit reddere certiores. Ex quibus quidem Prælatis & Canonicis ejusdem Eccleſiæ nos quatuor pro arbitrio Noſtro nominabimus, non alios tamen, quam qui ſint veri Terrarum Pruſſiæ Indigenæ, ac per ſpecialem Nuncium noſtrum ſeu literas clauſas ſignificabimus, ipſi Capitulo, quos judicaverimus ad illius Culmen dignitatis & locum in Conſilio noſtro magis idoneos & Nobis gratos. Ipſi vero Prælati & Canonici prædicti unum ex illis quatuor, quam voluerint aut judicaverint meliorem & utiliorem, deligere in Epiſcopum tenebuntur, & erunt aſtricti. Et quia ex longa mora electionis aliqua difficultas vel impedimentum evenire poterit; Itaque poſt acceptum de morte Epiſcopi a Capitulo Nuncium, ſupra dictos nominare vellemus, qui prius eſſet de Gremio Capituli Eccleſiæ prædictæ, id in Noſtro & Succeſſorum Noſtrorum Regum Poloniæ arbitrio & poteſtate erit, ac ſi idem filius vel frater Terrarum Pruſſiæ Indigena eſſet. Cum autem dicti Prælati & Canonici, ſic ut præfertur, unum ex iisdem quatuor nominatis elegerint, intimare debebunt Nobis & Succeſſoribus Noſtris, novum electum, & cum eo ſupplicare, ut illum Noſtris literis Sedi Apoſtolicæ & Sanctiſſimo Domino commendemus, ut Electionem de eo factam cum gratia confirmare dignetur. Qua quidem confirmatione & proviſione ſecuta, idem Electus, juxta tenorem & inſcriptionem, cum ſuperius nominato olim Domino NICO-

NICOLAO Epiſcopo Varmienſi, & ejus Capitulo factam, præſtabit juramentum Nobis & Succeſſoribus Noſtris, prout in eadem inſcriptione latius continetur. Reliqua vero, quæ in eisdem articulis cum ſupra dicto Domino NICOLAO Epiſcopo Varmien. habitis continentur, ſalva & integra permamanere debent, in perpetuum & inviolabiter obſervanda. Ea vero, quæ his literis continentur, ipſe Dominus FABIANUS Epiſcopus Varmien. prædictus, cum Capitulo Eccleſiæ firmiter, illæſe & in concuſſe tenere, exequi & inviolabiter, perpetuo obſervare debebit, & ejus Succeſſores debebunt. In quorum omnium & ſingulorum fidem & teſtimonium præmiſſorum præſentes literas ſcribi fecimus & Sigillo Noſtro communiri. Actum in Conventione Generali Piotrkovien. Die Martis ſeptima Menſis Decembris, alias in Vigilia Conceptionis Beatiſſimæ Virginis Mariæ, Anno Domini Milleſimo quingenteſimo duodecimo, Regni vero Noſtri ſexto. Præſentibus Reverendiſſimo & Reverendis in Chriſto Patribus Dominis Joanne Archi-Epiſcopo, Gneſnen. & Primate, Joanne Cracov. Joanne Poſnanien. Eraſmo Plocen. Fabiano Varmien. Matthia Præmislien. & Regni Noſtri Cancellario, Jacobo Camenecen. Eccleſiarum Epiſcopis; nec non Magnificis, Venerabilibus, Generoſis & Nobilibus Nicolao de Camienyoz Cracovienſ. & Campiductore Regni Noſtri Generali, Nicolao de Ludbrancz Poſnanien. & Capitaneo Lancicien. Joanne de Tarnow Sandomirienſe, Jaroslav de Lasko Siradien. Joanne Jarandi de Brudzew Lancicien. Nicolao de Gretkow Breſtenſe, Joanne Odrowanſch de Sprowa, Ruſſiæ Terrarum Generali, Otha de Chodecz Podoliæ, Nicolao Firley de Dambrowicza Lublinen. Georgio de Bayſen, Mariemburgenſi, Nicolao de Pilcza Belzenſe, Andrea de Radzicowcza Plocenſe & Ravenſe Capitaneo, Prandola de Zelaſna Ravenſe, Palatinis, Luca de Gorka Poſnanienſe & Capitaneo Majoris Poloniæ generali, Chriſtophoro de Schidlowicz Sandomirien. & Regni Noſtri Vice-Cancellario, nec non Siradienſe, Sochaczovien. & Goſtinenſe Capitaneo, Stanislao de Oſtrorog Caliſſienſe, Januſſio Latalski Gneſnenſe, Joanne de Przeremb Siradienſe,

Alberto de Gladczianow Lancicienſe, Nicolao de Schiedlowicz Radomienſe, & Succamerario Cracovienſe, Règnique Noſtri Inciſore, Nicolao Jerdan de Zacliczin Vislicien. Andrea de Oporow Breſtenſe, Jeronymo de Cobilani Koſperienſe, Andrea de Tanczin Bicenſe, & Cauſarum Curiæ Noſtræ Referendario, Georgio Krupski de Orchow Belozenſe, Stanislao de Pothulice Miedzirzcenſe, Jaraslao Sokolowski de Wrancza Landenſe, Petro Gorski Naklenſe, Joanne de Bochothnicza Malegoſtenſe, Stanislao de Sprowa Zarnovienſe, Martino Skemitzki de Bogoria Zawichoſten. Stanislao Kuropathva de Lazuchow Chelmen. Caſtellanis, Stanislao de Chodetz Marſchalco & Capitaneo Leopolienſi, Andrea de Coſzieletz Theſaurario Scepuſienſeque Oſwiczemenſe, Sandecenſe, Juniwladislavienſe, & Bidgoſtienſe Capitaneo nec non Zuppario & Magno Procuratore Generali Cracovienſe, Regni Noſtri, Andrea de Klecz cuſtode & Joanne Sculteti Sacræ Theologiæ Profeſſore ac Archi-Diacono Varmien. Joanne Latalski Gneſnenſe, Cracovienſe & Lancicienſe Præpoſito. Petro Thomiczki Decretorum Doctore, Archi-Diacono, Joanne Carnkowski Canonico, Cracovien. Stanislao Goretzki Præpoſito, Caliſchien. Eccleſiarum, Secretario Noſtro; Stanislao Jaroczki Marſchalco Curiæ noſtræ Raphaele de Leſchno Capitaneo Szlochovienſi, Henrico Itfeld Proconſule Thorunen. Ambroſio Storm. Nuncio & Notario Gedanen. Civitatum Noſtrarum. Adamo de Drzewicza Sandomirien. Stanislao Lasloczbi Poſnanien. Terrarum Succamerariis, Nicolao Oczieski Capitaneo Coſtenſe, & Magiſtro agaſonum Curiæ Noſtræ, & aliis quamplurimis Dignitariis, Officialibus & Curien. Noſtris, circa præmiſſa teſtibus fide dignis, ſincere & fidelibus Noſtris dilectis. Datum per manus præfati Reverendiſſimi Chriſto Patris Domini, Matthiæ Epiſcopi Præmislien. & Regni Noſtri Cancellarii, ſincere Nobis dilecti. Matthias Dominus Epiſcopus & Cancellarius ſſpt. Relatio ejusdem Reverendi in Chriſto Patris Domini Matthiæ Epiſcopi Præmislien. & Regni Poloniæ Cancellarii.

Epiſco-

Episcopus Varmiensis NICOLAUS cum suo Capitulo facit obedientiam CASIMIRO Regi Poloniæ, Successoresque suos ad eam faciendam Regibus Poloniæ pro tempore existentibus adstringit, & obligatos facit. Juramentorum modum, formamque per eos ipsos Successores Suos Episcopos, Prælatos & Canonicos ac quamcunque personam Ecclesiasticam beneficiatam Ecclesiæ Diœcesf. Varmiensf. circa receptionem beneficii cujuslibet faciendorum, dat & inscribit, contentaque omnia in inscriptione pacis perpetuæ facere promittit.

IN Nomine Domini Amen ! Ad perpetuam rei memoriam. Nos NICOLAUS, Dei & Apostolicæ Sedis Gratia Episcopus Varmiensis: Significamus tenore præsentium, quibus expedit, universis, præsentibus & futuris, harum notitiam habituris. Quomodo destructioni bonorum Subditorumq; Ecclesiæ Nostræ Varmiensis, quæ per armorum gentes facta est: fitque usq; eo, condolentes: ac ipsos Subditos Nostros paci reddere optatæ cupientes: Recensentes Episcopatum Nostrum & Ecclesiam vigore perpetuæ pacis, medio Reverendissimi in Christo Patris, Domini Rudolffi, Dei Gratia nunc Vratislaviensi, tunc vero Lavantini Episcopi, Sacrosanctæ Sedis Apostolicæ Legati, inter Serenissimum Principem & Dominum Dominum CASIMIRUM, Dei Gratia Poloniæ Regem Illustrissimum, Magnum Ducem Lithuaniæ, Russiæ Prussiæque Dominum & Hæredem &c. Dominum Nostrum Gratiosissimum ex una, nec non Magnificum & Venerabilem Dominum Magistrum generalem, Ordinis Beatæ Mariæ Virginis domus Theutonicorum Hierosolimitan. in Prussia partibus ex altera initæ, ordinatæ, factæ, dispositæ & celebratæ, literisque ac sigillis atque Juramentis corporalibus hinc inde per partem utramque munitæ & obfirmatæ, de corpore inclyti Regni Poloniæ existere: cui huc usque restitimus propositum Nostrum revocantes. Præfatum Serenissimum Dominum Regem Poloniæ, ac suæ Serenitatis Successores Reges Poloniæ futuros, pro Nobis & Successoribus Nostris, cum Venerabili Capitulo Ecclesiæ No-

ſtræ prædictæ vigore mandati in certas perſonas hoc plenarie per ipſum Capitulum dati & conceſſi, quod in manibus præmemorati Sereniſſimi Domini Regis & Suæ Serenitatis Conſiliariorum reliquimus, recognovimus, recognoſcimus præſentibus eſſe Dominum & Protectorem Eccleſiæ Noſtræ, cum Caſtris, Civitatibus ac Vaſallis Noſtris, Gratiaque a Sua Serenitate conquiſita, innitendo præfatæ pacis perpetuæ diſpoſitioni & ordinationi, & ab ipſa in nullo deſcendendo. Nos Eccleſiam, Capitulum Subditosque Noſtros tam Spirituales quam Seculares ad corpus & unionem præmemorati inclyti Poloniæ Regni revocamus & reducimus, ſub articulis infra ſcriptis. Ad quorum obſervationem firmiorem Nos, Eccleſiam, Capitulum & Subditos Noſtros ac etiam Succeſſores obligamus: eosdem articulos perpetuo ſervaturos. Quorum quidem articulorum tenor de verbo ad verbum ſequitur, & eſt talis:

Imprimis quod quilibet Epiſcopus Varmienſis Succeſſor Noſter futurus, ſeu alii omnes pro tempore exiſtentes, in perpetuum infra tres menſes a die receptionis literarum Apoſtolicarum Proviſionis Eccleſiæ Varmienſis tenebitur, ſeu tenebuntur perſonaliter venire ad præſentiam Regiæ Majeſtatis & Suorum Succeſſorum dummodo in terris Pruſſiæ eſſent conſtituti, aut in illorum abſentia in Caſtrum Marienburgenſe, & ibidem in manibus Epiſcopi & non alterius, quem ad hoc Sua Celſitudo deſignaverit, in Eccleſia Majori ad altare ſummum ſub præſentia Palatini Marienburgenſis & Capitanei, ac etiam Magiſtrorum Civium de Thorun, Elbing & Gdansk præſentium & in futurum, exiſtentium, teneantur Juramentum facere. Quod & Nos Nicolaus fecimus, ſub ea quæ ſequitur forma, & in Caſtrum præfatum deſcendere ſub tempore præſcripto aviſati. Caſu vero quo unus vel plures deſcriptorum intereſſe impediretur: nihilominus in manibus dicti Epiſcopi coram præſentibus qui convenirent, Epiſcopus ſeu Epiſcopi in futurum exiſtentes Varmienſes jurare tenebuntur in hæc verba:

Ego N. Epiſcopus Varmienſis promitto & juro, quod ex nunc & in antea fidelis ero Sereniſſimo Domino meo Caſimiro

miro Regi Poloniæ Ejusque Succeſſoribus Regibus & Regno Poloniæ, tanquam Domino & Protectori Eccleſiæ meæ, ac etiam Capituli. Suæ Serenitati & Regno aſſiſtam: nec non ejus Succeſſoribus, uti Suæ Serenitatis Conſiliarius, contra quemlibet inimicum. Cum quo nullos tractatus, fœdera aut inducias faciam ſine Suæ Majeſtatis conſenſu. Inſcriptionemque pacis perpetuæ in omnibus capitulis & punctis, ac etiam inſcriptionem per meum Anteceſſorem, Nicolaum, Epiſcopum Varmienſem cum conſenſu Capituli factam inviolabiliter tenebo. Conſilium mihi creditum ad Suæ Serenitatis damnum non revelabo: omnem machinationem, quam practicari ſubodoravero, in præjudicium & & incommodum Regiæ Majeſtatis Succeſſorum, aut Regni terrarumque & Civitatum Pruſſiæ de corpore inclyti Regni Poloniæ exiſtentium, pro quibus fideliter conſulam, præcuſtodiam tempeſtive & aviſabo. Sic me Deus adjuvet & hæc Sancta Dei Evangelia.

Caſu autem quo aliquis Epiſcopus Varmienſis pro tempore exiſtens Juramentum fidelitatis juxta formam & tempus præſcriptum præſtare non curaret: ex tunc Vaſallis & Subditis prædictæ Eccleſiæ Varmienſis licebit cum honore & impune ab obedientia dicti Epiſcopi vi Juramenti firmata reſilire & R. M. usque quo juraverit adhærere.

Item quod hinc & in perpetuum Vaſalli & Subditi Eccleſiæ Varmienſis, cujuscunque ſtatus & conditionis exiſtant de terris & Civitatibus, tam Noſtri Epiſcopales, quam Capitulares, de decennio in decennium, Juramentum fidelitatis Regiæ Majeſtati, Succeſſoribusque & Regno Poloniæ, ac etiam de obſervanda pace perpetua atque articulis, in præſenti inſcriptione contentis, renovare tenebuntur, in manibus Conſiliariorum Regiæ Majeſtatis ad hoc deputandorum temporibus perpetuis & æviternis. Cujus quidem decennii initium incipiet & tranſibit a die præſtationis juramenti per præfatos Vaſallos, & cæteros ſubditos Eccleſiæ præſcriptæ in proximo faciendi.

Præterea ſubmittimus & præſentibus obligamus, Nos & Succeſſores Noſtros, cum Capitulo Eccleſiæ Noſtræ Varmienſis,

ſis, quod in futuris electionibus pro tempore exiſtentibus, ſive poſtulationibus Epiſcoporum dictæ Eccleſiæ Varmienſis, Capitulares ejusdem Regiæ Majeſtati & Suis Succeſſoribus perſonam gratam eligere tenebuntur.

Item quod quilibet Prælatus & Canonicus dictæ Eccleſiæ Varmienſis infra unum menſem a die receptionis ſuæ ſive repræſentationis in Eccleſia, alias dummodo poſſeſſionem fuerit conſecutus, jurare ſimiliter tenebuntur fidelitatem ſuæ Serenitati, & obſervantiam perpetuæ pacis, juxta tenorem inferius deſcriptum in manibus Epiſcopi & Capituli Varmienſis, qui per ſuas patentes literas de cujuslibet Canonici ſeu Prælati juramento ſupremo Dignitario Regiæ Majeſtatis in Pruſſia plenam fidem facere tenebuntur: Cujus quidem juramenti tenor ſequitur in hæc verba:

Ego N. Prælatus vel Canonicus. Eccleſiæ Varmienſis, juro & promitto, quod ex nunc & in antea fidelis ero Sereniſſimo Domino meo, Domino Caſimiro Poloniæ Regi Illuſtriſſimo, Ejusque Succeſſoribus Regibus & Regno, tanquam Domino & Protectori Eccleſiæ Varmienſis, inſcriptionemque pacis perpetuæ, ac Capitulorum pet Dominum Nicolaum, Epiſcopum Varmienſem, de conſenſu Capituli deſcriptorum inviolabiliter tenebo. Sic me DEus adjuvet &c.

Item quod tam Dominus Epiſcopus, quam Capitulum pro tempore exiſtentes, Advocatum, quoties præficere aut immutare Dominus Epiſcopus velit, ſive Capitulum, aut Adminiſtrator Sede vacante, non alium deputent, niſi pro parte Subditorum Regiæ Majeſtatis, eorum etiam, qui ſub ditione Eccleſiæ Varmienſis conſiſtunt. Qui ſic deputatus jurare ſimiliter tenebitur Regiæ Majeſtati, modo ſuperius expreſſo, dum talis hoc ipſum prius non juraſſet. Item caſu, quo Magiſter Generalis nullo facto juraret, ſive cum Regia Serenitate hinc diſſideret, & ad arma Eum & Ordinem jam ex nunc, vel in futuris temporibus veniretur, aut cum aliis quibuscunque hoſtibus. Ex tunc Nos Nicolaus Epiſcopus tenebimur, & Noſtri Succeſſores tenebuntur eſſe auxilio & conſilio Suæ Serenitati, toties quoties opus fuerit, ſicut Conſiliarius

Suæ

Suæ Serenitatis, cum Caſtro, Civitatibus & Vaſallis, tam Noſtris Epiſcopalibus, quam Capituli: Ita videlicet, quod ſine omni contradictione Caſtra & Civitates Eccleſiæ prædictæ, gentibus Regiis pateant & aperiantur, & ſingulis Nos ſubmittemus periculis, Noſtrique Succeſſores Se ſubmittent cum Sua Serenitate: nec tractatus fœdera vel ligas aut ullas inducias cum hoſtibus faciemus, ac Noſtri Succeſſores facient absque ſcitu & conſenſu Regiæ Majeſtatis & Succeſſorum ejus.

Item, quoties beneficia cum cura vel ſine cura in Diœceſi Noſtra Varmienſi vacare contigerit: Ex tunc circa inſtitutionem beneficiati Nos Nicolaus Epiſcopus, & Noſtri Succeſſores, aut Noſter, & ipſorum Succeſſorum Noſtrorum Vicarius, tenebimur ſeu tenebuntur, ſive tenebitur, recipere Juramentum a quolibet eorum de obſervanda pace perpetua & tenenda fidelitate Regiæ Majeſtati & Regno Poloniæ.

Poſtremo & finaliter præſentibus adjicimus, Nosque & Succeſſores Noſtros obligamus; quod Subditis tam Noſtris Epiſcopalibus quam Capitularibus, omnibus & ſingulis liceat in cauſis militaribus, Feudalibus, Civilibus & Criminalibus, ſive quibuscunque aliis Secularibus ad Regiam Majeſtatem provocare, in cauſa gravaminis, & defectu Juſtitiæ, querulari & appellare, ad Suosque Succeſſores Reges Poloniæ temporibus perpetuis. Obſervato tamen prius ordine provocationis in cauſis Civitatenſibus ad Jus Culmenſe, Lubecenſe, Magdeburgenſe, & cæteris quibus gaudent, in quibus eis non præjudicabitur. Hoc tamen ſpecialiter expreſſo, quod quoties aliquem ad Regiam Majeſtatem provocare contingeret, ex tunc coram Nobis Epiſcopo, & Succeſſoribus Noſtris cautionem faciet, quatenus, caſu, quo appellationem non fuerit proſecutus infra tempus, per Nos Nicolaum Epiſcopum, & Noſtros Succeſſores, juxta cauſæ & circumſtantiarum qualitatem limitandum, aut ſi cauſa ſuccubuerit, pœnam amiſſionis cauſæ, & ſolutionis expenſarum parti adverſæ incurrat. Quæ omnia & ſingula ſcilicet ſcripta, Nos Nicolaus Epiſcopus Varmienſis, præfatus cum Capitulo, Vaſallis & omnibus Subditis Noſtris, firmiter, illæſe & inconcuſſe tene-

re, exequi & inviolabiliter perpetuo observare promittimus: Ac Nos Successoresque Nostros, & Capitulum Nostrum prædictum cum Vasallis & Subditis Ecclesiæ Nostræ generaliter universis, tenore præsentium, obligamus. In quorum omnium fidem & evidens testimonium præmissorum, præsentes literas Nostro atque Capituli Nostri Sigillis jussimus & fecimus communiri. Datum in Conventione Petricoviensi generali, die Jovis quinta decima Mensis Julii, alias ipso Festo Divisionis Apostolorum. Anno Domini 1479.

VASALLUS.

1. Ecclesiasticis non licitum est Ecclesiis bona terrestria adscribere

NOn licitum Ecclesiasticis bona terrestria Ecclesiis adscribere, appropriare sive incorporare absque speciali consensu Nostro, amodo non nisi a suis vasallis emant, ne obsequia Nobis ex ipsis debita intereant; Pro se vero privatim illa emere possunt, quæ si in vita sua non alienaverint, aut cuipiam non donaverint, ad eorum propinquos & consangvineos devolvantur. Constitut. Terrarum. Pruss. D. Sigismundi Regis ab Anno 1538. art. 19.

2. Nobiles possunt emere bona Civilia, & cives vice versa terrestria.

Civibus bona Terrestria & Nobilibus Civilia bona liberum sit deinceps emere, ita tamen, quod ad paria onera utrinque ferenda sint obligati, quod scilicet Cives, ratione bonorum terrestrium, omnia Nobilitatis onera, & Nobiles ratione civilium bonorum omnia civilia onera æquis passibus ferant. l. c. art. 20.

3. Possessor tuendus.

Statuimus si qua forte quæstio contra aliquem de bonis suis orta fuerit, rem taliter se habere & testimonium justæ possessionis habuerit, potius debeat obtinere bona illa, quam is, qui eum impetit, ab ipso eadem bona alienet.

4. Diversæ immunitates.

Absolvimus autem prædictos Cives Culmenses ab omnibus collectis injustis & hospitationibus coactivis, aliisque exactionibus indebitis, ad omnia bona eis attinentia hanc gratiam extendentes.

5. Jura circa Feuda secundum Privilegium Crucigerorum.

Porro eisdem Civibus Nostris vendidimus bona sua, quæ a Domo Nostra habere noscuntur, ad hæreditatem Flammingicalem, ipsis & eorum hæredibus utriusque sexus, ea cum omnibus proventibus in perpetuum libere possidenda, salvis tamen his, quæ domui Nostræ per totam terram duximus reti-

retinenda. Retinemus enim domui Noſtræ in bonis eorum omnes lacus, caſtores, venas ſalis, auri argentique fodinas & omne genus metalli, præter ferrum, ita ut tamen inventor auri, ſive is, in cujus bonis inventum fuerit, idem Jus habeat, quod in Terra Ducis Sleſiæ, in hujusmodi, talibus eſt conceſſum. Inventor autem argenti, ſive is, in cujus agris inventum fuerit, Jus Fribergenſe in hujusmodi inventione perpetualiter obtinebit. Quod ſi lacus aliquis ad tres tractus ſufficiens, agris alicujus prædictorum Civium, adjunctus fuerit, ſi is, cujus agri ſunt, eundem lacum loco agrorum acceptare voluerit, in ſua ponimus optione. Si vero major fuerit, quocunque inſtrumento in eo piſcari voluerit, ad commodum duntaxat menſæ ſuæ præter rete, quod Newod dicitur, habeat liberam facultatem. Item ſi rivus aliquis agros alicujus Civis attigerit, ei, cujus agri fuerint, ſolummodo molendinum ædificare liceat in eodem: Si vero idem fluvius aptus fuerit pluribus molendinis, Domus Noſtra in conſtruendis eisdem aliis tertiam partem priorem ſumptuum faciat, & percipiat perpetualiter tertiam partem uſuum de conſtructis. Volumus etiam, ut de qualibet fera, quam ipſi vel eorum homines cœperint, exceptis Urſis, porcis, & capreolis armum dextrum Domui Noſtræ reddere teneantur. Sane quod de Lacubus, molendinis ſeu feris poſuimus, ad illos tuntaxat Cives extendimus, qui a Domo Noſtra, ſicut ſupradictum eſt hæreditati eſſe noſcuntur. Ipſis etiam hanc contulimus libertatem, ut Bona ſua, quæ a Domo Noſtra poſſident, vendendi talibus ſane, qui Terræ ac Domui Noſtræ bene competant, habeant facultatem, ita ut hi, qui ea emerint, de manu Fratrum ſuſcipiant, & Domui Noſtræ ad idem Jus idemque ſervitium teneantur, quod illi Nobis exinde facere debuerunt, & Nos ea ipſis porrigere ſine ulla difficultate debemus. Licentiamus etiam, ſi forte aliquis ante dictorum Civium neceſſitatis cauſa allodium ſuum, vel X. manſos ad majus, ab aliis bonis ſuis ſeparare voluerit & vendere ſeparatim, is idem Jus idemque ſervitium Domui Noſtræ debebit facere de reliquo, quod prius de toto noſcitur debuiſſe. Is

vero qui idem allodium vel X. Manſos emerit, debet ratione ejusdem allodii, cum armatura, quæ plata vulgariter dicitur, & aliis levibus armis & uno equo, ad arma talia competente, Domui Noſtræ ad tale obſequium eſſe aſtrictus, quale inferius plenius deſcribetur, addentes, ut nullus eorum, qui nunc a Domo Noſtra hæreditati eſſe noſcuntur, hæreditatem aliquam, poſſit emere præter unam. Statuimus ſiquidem, ut quicunque XL. Manſos vel amplius a Domo Noſtra emerit, is cum plenis armis & dextrario operto & armis talibus competente, & aliis duobus ad minus equitet. Qui vero pauciores Manſos habuerit, cum plata & aliis levioribus armis & uno equo, ad arma talia competente, debet cum fratribus Noſtris in expeditionem, quoties ab eis requiſitum fuerit, pergere contra Pruthenos, qui Pomezani largo vocabulo nuncupantur, & contra omnes Terræ Culmenſis turbatores. Cum vero præfati Pomezani in Terra Culmenſi, præſtante Domino, fuerint ulterius merito non timendi, omnes Cives prædicti ab omnibus expeditionibus ſint exempti; ad defenſionem tamen Terræ, videlicet usque ad Wiſſam, Ozzam & Driwanzam cum fratribus procedere tenebuntur, ut prædictum eſt, contra Terræ quoslibet invaſores. Item ſtatuimus, ut quilibet homo, hæreditatem a Domo Noſtra habens, Fratribus Noſtris ſolvat exinde unum nummum Colonienſem, vel pro eo quinque Culmenſes & pondus duarum marcarum ceræ, in recognitionem dominii, & in ſignum, quod eadem bona ſua habet a Domo Noſtra, & Noſtræ debeat Jurisdictioni ſubeſſe, & Nos eum favorabiliter confovendo contra eos, qui injuriam intulerint, debemus, in quantum poſſumus Noſtrum præſidium impertiri. Prædictum autem cenſum ſingulis annis in die Beati Martini vel ab ipſo ad XV. dies dare debent. Quicunque autem in prædicto termino non dederit cenſum ſuum, taliter puniatur: Poſt primos XV. dies in X. ſolidis; elapſis vero aliis XV. niſi perſolverit X. ſolidorum debito ſit aſtrictus: Item evolutis aliis XV. diebus tertio, in aliis X. ſolidis, ſi non ſolverit cenſum ſuum, puniatur, & nunc pro his XXX. ſolidis & pro cenſu ſuo tempore non

non ſoluto, ejus pignora, ſine omni contradictione accipi faciet, & habebit accepta, donec ei ſatisfaciat, Domus Noſtra. Item ſi forte aliquis debitum obſequium ſuum, quod Domui Noſtræ debere dignoſcitur, in expeditionibus peragendis, non impenderit, & abſens fuerit, Proviſor Terræ de bonis alium ſtatuat loco ſui, ſic ut Domus Noſtra Sui Juris in hac parte ſentiat nullatenus detrimentum. Item ſtatuimus, ut ſi forte aliquis ex ſupradictis civibus recedens a Terra, pactiones ſuas Domui Noſtræ non fuerit proſecutus, eidem infra XVIII. ſeptimanas tres termini cum ſententia præfigantur; Quod ſi infra easdem XVIII. ſeptimanas non ſatisfecerit, pœnæ XXX. ſolidorum Noſtræ Domui reddendorum ſubjacebit; Et ſi nec tunc emendaverit, ſingulis ſex ſeptimanis ad ſatisfactionem in totidem Culmenſis monetæ ſolidis compellatur; Si vero infra annum neglexerit emendare, Domus Noſtra Se de omnibus bonis ſuis, donec ſatisfaciat ei de omnibus, intromittat. Volumus autem, ut de bonis prædictorum Civium, de quolibet aratro Theutonicali unus modius tritici, & unus ſiliginis, in menſura Wladislavienſ. quæ vulgari nomine Scheffel dicitur, cui menſura Culmenſis eſt ædæquata, & de Polonicali aratro, quod Hacke dicitur, unus modius tritici in eadem menſura annuatim Diœceſis Epiſcopo pro Decimis perſolvatur. Si vero idem Epiſcopus prædictos homines pro aliis Decimis angariaverit, pro his Domus Noſtra tenebitur reſpondere. Item ſtatuimus, ut una moneta, Culmenſis videlicet, ſit per totam terram, & ut de puro & mundo argento denarii fabricentur, ipſi quoque denarii in tanto valore perpetualiter perſeverent, ut eorum LX. ſolidi ponderent unam Marcam, & dicta moneta non niſi ſemel in ſingulis decenniis renovetur, & quoties renovata fuerit, XII. novi nummi pro XIV. veteribus cambiantur, ut unusquisque libere emat quamcunque rem, quæ venalis in foro portari conſvevit. Item quantitatem manſorum juxta morem Flammingicalem ſtatuimus obſervari. Abſolvimus etiam totam Terram prædictam ab omni penitus telonei exactione. Privil. Culmenſ. §. 6. Incolas Terrarum Pruſſiæ ab omnibus etiam

6. Jura Feudi ex Privilegio

Casimiri Regis. etiam oneribus ac daciis inconſvetis, quibuscunque appellentur nominibus, quas Magiſtro & Ordini de bonis eorum dare cogebantur, ipſos libertamus. Abrenunciantes inſuper devolutionem bonorum hæreditariorum, quæ Nobis & Dominio Noſtro Jure Feudi cedebant & debebantur, ac ab eadem recedentes, ſucceſſionem poſteris eorum in perpetuum donantes: Hoc duntaxat pro Nobis & Succeſſoribus Noſtris excipiendo & reſervando, quod quilibet Dignitarius & Terrigena Terrarum Pruſſiæ ad bellicam expeditionem, quotiescunque neceſſitas exoptaverit, illam per Nos & Succeſſores Noſtros indici, in armis & equis decentibus, quilibet juxta continentiam Privilegii ſui tenorem; alias qui careret Privilegio, ſecundum facultatem bonorum ſuorum, ſervire erit & obligatus & obſtrictus, prout & aliæ Incolæ Regni Noſtri ad hoc ipſum obligantur ſervitium. Præterea volumus ut omnes & ſinguli præfati ſubditi Noſtri in recognitionem Dominii, prout etiam prius ſolitum erat, pro quolibet feſto S. Martini, cum uno talento ceræ albæ Nobis & Succeſſoribus Noſtris ac Officialibus ad exigendum per Nos deputatis, dent, ſolvant & conſignent. Inſuper volumus, quod nullus Dignitariorum aut Terrigenarum in lacubus habeat, præter quod antiquitus habuit, tempore Magiſtri & Ordinis, neque etiam de illis lacubus ſe intromittat, quorum Piſcatura ad Magiſtrum & Ordinem pertinebat; Eſto quod Lacus prædicti hæreditates aliquorum contingant vel eis contineantur. Harum quibus Sigillum Noſtrum eſt ſubappenſum &c. Vid. Privil. D. Caſimiri Regis ex Caſtro Mariæburgenſi datum Feria ſexta proxima poſt Feſtum S. Jacobi Apoſtoli Anno 1476. Ubi Princeps Vaſallos ſuos conveniat. Vid. Actio, Forum.

VENATIO.

1. Venatio ruſticis interdicta. Ruſticis non licitum eſt feras in nemoribus venari, nec laqueos in ſylvis & agris ponere, canes aut retia venatoria habere: Alioqui in poteſtate Dominorum ſit, bombardas, canes & retia hujusmodi auferre, & pro qualitate exceſ-

excessus mandatum prævaricantes, in decem Marcis Domino fundi applicandis toties quoties punire. Exceptis fossis pro Luporum captura, quas sine tamen cujusvis præjudicio, quilibet cum consensu Dominorum suorum habere potest. Vid. Constitut. Terrarum Prussiæ D. Sigismundi Primi ab Anno 1538. §. 21. Simili modo nec Palatini, Capitanei aut Nobiles alter in alterius fundo, absque voluntate Domini fundi, venari, nec in sylvis feras domare aut cicurare debet, quod Klupffen vocant sub amissione rerum, equorum & curruum. l. c. §. 22. Bombardis autem nemo omnino nec in propriis nec in alienis sylvis sub pœna centum florenorum Hungaricalium irremissibiliter solvendorum, amodo utatur, cujus mulctæ medietas Nobis, altera Ærario publico Terrarum Prussiæ proveniat. l. c. §. 23. Et præterea, ne rustici cum bombardis, cuspidibus, lanceis, gladiis aut similibus armis, publice aut privatim incedant, eaque deferant, nisi ad Venationem aut publicam pacem tuendam, a Dominis & Potestatibus suis evocati fuerint: Sultetis etiam exceptis, quibus ob publicam functionem armatis esse liceat. l. c. §. 25. Vid. plura. Fera.

2. Nemo in alterius territorio venabitur.

3. Rusticis inter venandum arma conceduntur.

VENDITIO. Vid. Emptio.

VENDETEREUS.

VEndeterei in minoribus Civitatibus non sunt tolerandi sub amissione mercium. Revis. l. 4. t. 5. art. 2. in fin.

VENEFICIUM.

QUicunque cujusque sexus veneficiis & præstigiis operam dederint, adhibuerintve, quique improbatas artes callent atque exercent, quibus malos dæmones accersent, alia pessimorum geniorum opera patrent, flammis exuruntor: atque istud illis capitale supplicium esto, quoniam a DEO seces-

1. Pœna veneficii.

ſeceſſionem fecerunt, & dæmonibus ſeſe malo more manciparunt. Quicunque ejusmodi maleficiorum conſcii fuerint, eaque celaverint, vel opem vel auxilium addiderint, quod vel confeſſo vel teſtato conſtet, capite mulctantor. Emend. l. 5. c. 61. Correct. l. 5. c. 67. Reviſ. l. 5. p. 2. t. 2. art. 1. Ubi additur quod veneficiorum libri & inſtrumenta ſimul ſint cremanda. l. c. Si etiam aliquis absque ejusmodi pacto hominibus, pecudibus aliisque rebus per magiam aut veneficium damnum inferat, ille etiam ut ſupradictum eſt vita puniendus eſt. l. c. art. 2. Omnes illi qui audent arte dæmonica vaticinari, augurari vel per Chryſtallum aut alio modo cum diabolo communicationem ſeu ſermones habere, & ex eo de futuris exquirunt, pœnam gladii incurrunt. l. c. art. 3. Si etiam aliquis inveniatur qui præſtigiis aut magia utatur, nemini vero per eum detrimentum ſit illatum, ille relegatione aut alias ſecundum qualitatem cauſæ & perſonæ arbitrarie a Judice coërcendus eſt. l. c. art. 4.

2. Pœna hariolorum.

3. De his qui faſcinatione utuntur, nemini vero damnum inferunt.

VERBERATIO.

1. De fuſtium ictu ſeu verberatione.

SI quis alterum ex propoſito fuſtibus, bacillis, clava lignea, palo vel radice crebro verberaverit, vel verberari mandaverit, ſic ut in corpore vulnera ſangvinolenta, & carnis rupturæ, nec non tumores lividi appareant, quatenus criminaliter agatur, in reum pro qualitate perſonæ & delicti animadvertitur. Si plagæ ſint mortiferæ, ſic ut verberatus inde mortem contrahat, capitali ſupplicio reus afficitur. Emend. l. 5. c. 39. Correct. l. 3. c. 14. & 19. Alapæ, percuſſiones, ruptura crinium & id genus alia, quæ absque vulnere carnali fiunt ſunt injuriæ reales. Qui hoc committit mulctam & æſtimationem ſolvit, quam Judex pro qualitate cauſæ augere & minuere poteſt. Reviſ. l. 5. p. 2. t. 20. art. 4.

2. Pœna injuriarum realium ſecund. Jus Reviſ.

VERBUM.

Verborum obligatio. Vid. Stipulatio, Sponſio, Obligatio, Chirographus.

VESPER.

NUllus contractus emptionis venditionis aut commutationis ratione immobilium, vespertino tempore fieri debet, & si vespertino tempore sit consumatus, infirmatur, nisi matutino tempore reassumatur, aut de novo recognoscatur. Revis. l. 4. t. 5. art. 14.

VIA.

STatuimus, ut nullus Capitaneus, Nobilis, Civis aut quivis alius, cujuscunque conditionis existat, personis, castris, domibus aut possessionibus alicujus ullam violentiam inferre, iucursiones facere, in publicis stratis insidias ponere, præsumat: super his convictus, juxta antiquum Plebiscitum Terræ Culmensis Capitali pœna puniatur. Vid. Constitut. Terrar. Pruss. D. Sigismundi Regis ab Anno 1538. §. 14.* Interpretamur Constitutionem, quæ in violentos olim lata fuit: Statuimus, ut si quis in domum vel possessionem alterius invaserit, in publicis viis insidias posuerit, vim armata manu alicui intulerit, vulneraverit vel occiderit, ad Palatini cognitionem vis ea pertineat. Jus Terrest. Terrar. Pruss. t. 5. §. 28. Vid. plura Fovea, Jaculatio, Thesaurus, Inventio, Insidiæ, Pax.

1. Securitas viarum.

2. Forum turbatoris viæ publicæ.

VINDICATIO.

UNusquisque qui in proprietatem alicujus rei acquisivit, potestate fruitur, eandem, sive sit mobilis sive sit immobilis, non solum coram Judicio tuendi, sed etiam si contra suam voluntatem e sua possessione & proprietate venerit, in Jure condicendi & vindicandi, nec quisquam eidem eapropter contradicet. Si vero cum consensu & voluntate Domini accidat, e. g. quando bona sua alicui mutuo dat, oppignorat, vel deponit, & alicui administrationem concedit, ille vero alicui alteri ea oppignoret, vel alio modo

1. Qui Jus vindicandi habeat?

alienet, tunc Dominus a nemine alio rem ſuam poteſt repetere, niſi ab his perſonis, quibus mutuo dedit, oppignoravit vel depoſuit; & illi ſi male in cauſa geſſerit, de damno reſpondere tenentur. Vid. Reviſ. l. 3. t. 5. art. 1.

2. De rapina Jure vindicanda.

Si quis conveniatur ob rapinam, qua rem alienam in poteſtatem redegit, ſic ut recens facinus probari poſſit, ac violentiæ clamore Judex in rem præſentem vocetur, Judex actorem e veſtigio ſequitor, ac in factum recens Jus dicito, adverſus raptorem & ejus facinoris ſocios, deinde rei poſſeſſionem actori reſtituito, niſi Conventus Jure actionem & crimen a ſe removerit. Qui præſens in Judicio convenitur, quatenus ex Jure profugerit, actione, qua agitur convictus habetor. Emend. l. 5. c. 71.

3. An furtiva res contra vindicationem uſucapiatur?

Qui rem furto vel rapina ablatam bona fide emit, eamque ultra diem annuam ſine interpellatione poſſedit, quæſitum eſt, an eam uſu ceperit, nec ne? Reſp. Ex Juris inſtituto, quod ea res furto vel rapinæ nihilominus maneat obnoxia, quantumvis diu Jus poſſederit. Proinde quandocunque rei Dominus, vel eo defuncto, hæres ejus, rem vindicaverit, poſſeſſori defendendi neceſſitas incumbit. Si Actor Jure planum fecerit, rem ſuam eſſe, furtoque ſibi vel rapina ſublatam, res eadem bonitate, uti tum eſt, reſtitui debebit. Si pecudes interim absque poſſeſſoris culpa mortuæ fuerint, petitori ne luuntor. Si quis futo vel rapina rem amiſſam apud quempiam deprehenderit, furti vel rapinæ quidem erit actio, reus autem ad evictorem ſuum recurrendi Jus habet ſatis manifeſtum. Emend. l. 3. c. 11. Correct. l. 5. c. 53.

4. De vindicatione quando conductor profugerit.

Si quis veſtem Sartori faciendam ſarciendamque dederit, vel equum vel aliud animal alteri locaverit, atque conductor interim profugerit, re locata domi ſuæ, vel ubi habitaverit, relicta, dominus veſtis vel animalis rem ſuam recte vendicabit & obtinebit, nec profugi creditores pro debito ſuo veſtem, ſive animal locatum ullo Juris nexu poterunt detinere. Em. l. 4. c. 5. Correct. l. 5. c. 4. Reviſ. l. 3. t. 5. art. 5.

5. Probationibus res vindicanda eſt.

Qui rem vendicare volet, cujuscunque ſit generis vel ſpeciei, quam prætendit, a furibus vel raptoribus ablatam, rei geſtæ fides vendicationem tribuet, ſic ut Jure probet, rem ſuam fuiſſe

fuisse & nunc esse, eamque furto vel rapina sibi ablatam ereptamque. Emend. l. 4. c. 29. Revis. l. 3. t. 5. art. 2. Cum duo singulatim monile aureum vel argenteum facere curaverint unius formæ & speciei, sic ut alterum ab altero dignoscere facile non sit, alter si suum perdat, & alter quasi suum vendicare velit, possessoris potior est conditio rem suam retinendi, quam petitoris rem alienam appetentis. Probabit autem rem suam esse suo sumtu fabrefactam. Emend. l. 4. c. 30. Correct. l. c. 108. Revis. l. c. art. 4. De homine in servitutem vindicando. Vid. Libertas. De vindicatione equi. Vid. Equus. Qui rem sibi mobilem sive immobilem vendicat, ut Juris ordine constitutum est, nullam Judici mulctam committit. Emend. l. 4. c. 32.

6. De rebus ejusdem formæ vindicandis.

7. Vindicatio non fert mulctam.

VIOLENTIA. Vid. Via & Vis.

VIRGO.

CUm Virgo vel Mulier vi rapta, se nolente & repugnante, in alienam domum pertracta fuerit, ibique exclamaverit, nec illi quispiam hominum auxilio venire possit, si quidem illi, qui tum in domo erant, eorum testimonio, qui clamorem audierant, rite coarguantur, quod facinus celaverint, nec prohibuerint, ita Judicium in illos constituitur, ut una cum autore ipsius facinoris capite plectantur. Si is qui facinus fecit, deprehendi potest, absque Judice capitor, & in Judicium pertrahitor; Si telo se defenderit, quo minus se captivum sistat, impune occiditor. Vis enim pudicitiæ violenter illatæ eodem Jure cum proscriptionis rigore censetur. Emend. l. 5. c. 55. Correct. l. 5. c. 39. Revis. l. 5. p. 2. t. 10. art. 2. Vid. plura. Stuprum. Adulterium. Vis. Virgines possunt alienare. Vid. Donatio. Vid. plura Raptus Virginis. Tutela.

1. De raptu Virginum.

VIS.

1 De vi publica & privata.

NEmo alterum turbet in Judicio. Vid. Judicium. De Vi publica & privata, de ſtupro violento, deque cæteris maleficiis, quæ ad capitis animadverſionem pertinent, ne quis cognitionem uſurpato, præter Judicem & Scabinos cum ejus conſenſu, qui vices Principis gerit, vel qui ſuperioris Judicii poteſtatem habet, ſecundum cujusvis loci morem & conditionem. Cum ſigna adſunt, quibus Domus per vim introita doceri poſſit, ut puta vulnera, res capta vel cæſæ, vel alia ejus generis indicia, quæ fidem faciant, idque Judex & illi, qui clamorem audierant, conteſtentur, potior is eſt, cui vis facta dicitur, his teſtibus reum convincendi, quam ut reus ad crimen aliis teſtibus diluendum admittatur. Si quis in alterius domum irruperit, noctu vel interdiu atque vim fecerit, cum Judicem prius non adiſſet: vel ſi quis mulierem aut virginem per vim ſtupraverit, & in recenti facinore comprehenſus, ac in Judicium cum clamoris teſtificatione pertractus fuerit, quatenus teſtes adſint qui clamorem illatæ violentiæ audierant, & vis facta Juris ordine probetur, reus capite luito. Sin accuſatio noctis interſtitio comperendinata ſit, Judex & Scabini cum Magiſtratus ſuperioris ſcitu cognitionem, uti ſupra dictum eſt, interponunt. Ubi recens factum demonſtrari non queat, magis probandum eſt, ut reus accuſationem evadat, quam ut facinoris convinci poſſit. Emend. l. 5. c. 7. Corr. lib. 2. c. 23.

2. Ne cui vis fiat ob debitum quodvis extra Jus.

Ne quis alterum violenter ob quodvis debitum impedito, neve per vim in Judicium pertrahito, ſine Judicis permiſſu ac ſine miniſterialium ope, qui in Judicii functionem jurati ſunt. Qui ſecus fecerit, vel ſibimet ipſi Jus dixerit, æſtimationem injuriæ læſo, mulctam Judici dato. Judicis autem erit arbitrium pro conditione perſonarum, & cauſæ mulctam & injuriæ æſtimationem augendi, eo ſolum excepto, ſi debitor ex fuga retrahatur. Emend. lib. 2. c. 28. Vid. plura Creditor. Violenta effractio Carceris. Vid. Carcer.

3. Quid ſit vis publica & pœna ejus?

Vis publica dicitur quando aliquis in ſua domo aut prædio armata manu invaditur, & damnum aut Vim in ſua perſona bonisque

nisque patitur; Qui ejusmodi vim infert, delictum sua vita eluit & capite plectendus est. Rev. l. 5. p. 2. t. 5. art. 1. Qui in via publica insidias struit, iter facientium bona occupat, violento modo captivat, abducit, concutit aut alio modo violento aliquem lædit, ense puniendus est. l. c. art. 2. Qui Magistratui in suo Officio, quando executiones expedit, violenter repugnat, sive manus suas, pedellis aut aliis, qui ex Officio ad peragendum quid missi sunt, injicit, ille pro qualitate & atrocitate delicti, relegatione, incarceratione, aut corpore & vita puniendus est. Revis. l. 2. Qui arresto innodatum Virum vi eximit, aut tunc quando cum Assistentia ad Judicium vel a Judicio trahitur, violenter eripit & secum abducit, ille arrestati pœnam, quam propter suum delictum erat meritus, de Jure subit & perfert. l. c. art. 4. Vid. plura Defensio, Moderamen inculpatæ tutelæ, Violentia, Via, Invasio.

4. Aliæ species vis publicæ & pœna earum.

5. De vi quæ pro captivis fit.

VISTULA. Vid. Wisla.

VOLUNTAS.

QUacunque ratione Testamentum quis condiderit, vel testibus nimirum adhibitis, vel apud Acta aliqua publica insinuaverit, toties quoties visum ei fuerit, ante mortem voluntatem suam revocare, mutare, in universumque, ex lubitu addere, detrahere, minuere & vel integrum Testamentum reducere, abolereve, vel parti ejus derogare, integrum ei erit, ita ut ad mortem cujusque voluntas ambulatoria & libera sit, semperque novissima quæque voluntas rata habeatur. Jus Terrest. Tit. 1. §. 5. De Donationibus & Testamentis.

1. Voluntas hominis mutabilis.

VULNUS.

SI Scholasticus Laicus, qui sacris non initiatus est, ab alio Scholastico vulneretur, actionem læsus coram Civili Judice

1. De foro Scholastici Laici ratione vulnerum.

dice loci ejusdem attentato, nec ad Eccleſiaſticum forum pertrahendi reum Jus habeto. Civilis autem Judex vulnerationis cauſa ſecundum Juris ordinem Jus dicito. Emend. l. 2. c. 37. Corr. l. 3. c. 77

2. De vulnerationibus. Qui in territorio Civitatis vulneratur, ac vulnus clamore teſtatum fecit, ſi percuſſor in facto recenti captus ad Judicem pertrahatur, ac vulneratus copiam habeat teſtium, qui clamorem audierant, potior erit conditionis ad convincendum percuſſorem, quam ut alter innocentiæ colorem prætendere debeat. Ob vulnus ita alte adactum, ut in profundo ungvem, in longo digiti membrum extremum adæquet, mutilatio manus eſto: manum æſtimatione marcarum duodecim redimendi Jus eſto: Ob cædem factam capitale ſupplicium eſto, niſi Juris ordine pœnam declinaverit. Emend. l. 5. c. 14.

3. De vulnerationibus comperendinatis. Qui in territorio Civitatis vulneratur, neque Judicem adit ante noctis interventum, ſic ut actio comperendinetur, dies illi dicitur, quanto citius Judicium ſolenniter ac ordine celebrandum erit. Sin reus intra noctis decurſum Judicem adierit ſui purgandi cauſa teſtibus fide dignis, actionem perimit. Actor cum poſtulare ceperit, & reus tribus conſtituti Judicii vicibus in Jus non venerit, quarta vice reum actor Proſcriptioni ſubjugato. Si quis ita vulneretur, ne vulnus atrox ſit, ad proximum conſtituti Judicii diem actio prorogator. Sin vulnus autem atrox ſit, e veſtigio Judex datur: qui de recenti facinore cognoſcat. Emend. l. 5. c. 15. Corr. l. 3. c. 2. 29.

4. De pluribus vulneribus ſimul ingeſtis. Si quis alteri duo vel plura vulnera, quæ contigua ſint, uno ictu inflixerit, non amplius quam ad mutilationem manus convenitur: eam autem per Decretum Judicis duodecim Marcarum mulcta redimit. Emend. l 5. c. 16.

5. Si vulneratus in continenti agere nolit. Si quis atrociter vulneratus, recenti adhuc facto litem movere noluerit, ſuo arbitrio facito. Si poſtea volet agere, tribus ordinarii Judicii diebus Judicem & Scabinos in Jure adeat, ac Judicem imploret, ut injuriam irrogatam ſibi liceat clamore conteſtari ea conteſtatio per cognitionem decernenda eſt: is vero qui vulnus vel cicatricem, vel membri impotentiam ex vulnere contractam, reus peragitur, iisdem judicii conſtituti vicibus innocentiam ſuam ex Juris præſcripto demonſtrare

ſtrare poterit. Sin autem in Jus ſui defendendi cauſa non venerit, proſcriptionem incurret. Emend. l. 5. c. 17. Corr. lib. 3. c. 28. Si tam alte vulnus deſcenderit, ut atrocis numero cenſeatur, vel ex quo membra ad uſum a natura inſtitutum fiunt inepta, & vulneratus deinde priusque percuſſorem in Jus vocet, ab incidenti morbo mortem contraxerit, hæredibus ejus poſt deceſſum illius nomine nulla competit actio. Emend. l. 5. c. 18. Corr. l. 3. c. 17. 32. Evenit, ut quis alium vulneret, haud in Jure conventum in via Regia, vulneratus & ipſe arma nanciſcitur, & eum qui noxam corpori fecerat, repente e veſtigio viciſſim vulnerat, ac vociferatione vim ſibi fieri conteſtatur, ſi quidem hic in Jus venire nequeat, de corporis imbecillitate teſtato conqueratur. Quod ſi is, qui prior temere vim intulerat, prius Judicem adierit & actionem præoccupaverit, alter autem poſterius venerit, die tamen eodem, & factum recens in Judicium deduxerit, vim factam oſtenderit, & bonorum virorum affirmatione manifeſtum fecerit, priorem illum prius vim admiſiſſe & turbæ auctorem ſe præbuiſſe: quatenus hæc uſitato legum more comprobantur; hoc ordine, poſterior ad agendum prius admittitur, atque hunc actionem præceptam habere dicimus. Sin nox interceſſerit, priusquam Judicem adeat, adverſario non æque præjudicabit. Emend. l. 5. c. 19. Corr. l. 3. c. 3. Si duo inter ſe per vices alter alterum æque vulneraverint, ſic ut alter unum vel plura acceperit vulnera, quæ atrocitatis ſpeciem præ ſe ferant, alter autem ejus generis laboret vulnere, quod membri cujusvis impotentiam adferat, uter eorum cum ſolenni clamore ad Tribunalis Cancellos prior convolaverit, & actionem prior inſtituerit; Judex ejus rei auctor erit, ac quatenus ille honeſtorum hominum teſtimonio juvabitur, non inique ſtatuemus, quod actionis præjudicio adverſarium anteverterit. Emend. l. 5. c. 20. Corr. l. 3. c. 9. 16. Rev. l. 5. p. 1. t. 4. art. 7. Si duo qui invicem ſimul in ſe vulnera congeſſerant, ſimul in Jus venerint, ſimul actionem intentaverint, ac cognitione per decretum in ampliorem diem prolata, interim alter in rebus humanis eſſe deſierit, alter ad diem

6. De eo qui poſt vulnus acceptum moritur.

8. De actione præcipienda.

8. Si per vices vulnerantium una eademque cauſa ſit?

9. Si vulnerator alteruter ante Judicium finitum deceſſerit.

diem condictum in Jus venerit, ac hæredibus interfecti adversum se Jure experiundi potestatem fecerit, facilius dicemus admittendum ut testibus isthac semet actione expediat, quam ut hæredum quispiam illum testato convincere valeat. His facti speciebus, si cui testium in præsenti copia non sit, dies in sesquimensem, donec Judicium tunc ex ordine habebitur, prorogandus erit, ut de testibus producendis iterum dispiciat, quandoquidem in Jus ex improviso fuerit pertractus. Emend. l. 5. c. 21. Corr. l. 3. c. 17. Rev. l. 5. p. 1. t. 4. art. 9.

10. Si plures simul ob vulnerationem conveniantur

Cum vulneratus vim sibi intra civitatis terminos irrogatam clamore contestatus est, neque sui copiam facit, siquidem vulneratus testes vociferationis ob vim edictæ paratos habeat, quot accepit vulnera, tot reos peragere potest. Si se Judicio sistant illi, quos reos facit, quinque vulnerum auctores sunt, Jus erit ipsi duello eos provocandi, hoc est actionem criminalem illis intentandi, modo vulnera sint ejus atrocitatis, ut in criminalem actionem vocari debeant. Si plures reos egit quam acceperat vulnera, consilii, opis vel affectationis causa quicunq; crimini affines non sunt, actiones evitabunt suo Jure, hoc est Jurisjurandi religione. Emend. l. 5. c. 22. Correct. l. 3. c. 13 Revis. l. 5. p. 1. t. 4. art. 8.

11. De modo mulctarum quæ vulnerationibus præscriptæ sunt.

Qui ob noxam corpori illatam, qua membrum quodvis propter impotentiam, naturalis actionis usum perdit, vel ob vulnerationes atroces, vel ob vulnus quod in carne insedit, vel ob cicatricis deformitatem, quæ omnia uno eodemque modo censentur, in Judicio convenitur, siquidem criminaliter agatur, & reus factum non neget, vel alioquin perspicuis documentis facti convincatur, pœna reo sancita est manus præcidendæ, nec insuper alia dicitur mulcta: liberum tamen erit condemnato, dimidio æstimationis pretio manum redimere. Sin civiliter agatur, reus in mulctam eam, quæ duodecim marcis æstimari solet, condemnatur. Si quis autem ob simplex vulnus convenitur, quod non atrox sit, quantumvis ex proposito & præmeditato noxa corpori fuerit inflicta, vel ob verborum contumelias, quibus manifesto tenetur, actori solidos triginta, Judici octo luat, atque vulneratus quantumvis plagæ livorem contraxerint,

rint, vel sangvis super cutem coitus, percussionis vestigia retinuerit, non ideo criminaliter agere potest, sed sufficit mulctam exsolvi. Animadvertendum tamen est mulctam & æstimationem damni crescere minuive solere, prout delictum majoris vel minoris momenti habeatur. Emend. l. 5. c. 23. Correct. l. 3. c. 12. Qui in summa capitis parte vulneratur, punctim vel cæsim vel teli jactu, quo cranium lædatur, sic ut intra cutem & calvarium vulnus descendat, & satis alte inflictum appareat, vulnus hujus generis atrox censetur, & duodecim Marcis æstimatur. Cum Cranium ictu attritum vel perforatum est, ut oculis id appareat, vulneris Jure censetur. Emend. l. 5. c. 24. Correct. l. 3. c. 7. Si cui auriculæ vel totæ vel ex parte media præcidantur, ad vulnerationis atrocitatem noxa refertur, & semissem æstimationis, quæ duodecim Maris censetur, in mulctam reus committit. Si cui cæsim auris dissecta sit, atroci plagæ, quæ capillis prominentibus non contegatur, ejus generis vulnus est, quod duodecim Marcis æstimato compensatur. Sin auricularum aliqua pars amputetur, deformitatem notat, & duodecim Marcis æstimatur. Emend. l. 5. c. 25. Si quis transversum oculos vulneretur, sic ut pilis vulnus non tegatur, ac inde cicatricem in facie deformem consequatur, deformitas ea duodecim Marcis æstimatur. Idem Juris & ejusdem æstimationis est, si cui supercilium præcidatur ex quo faciei deformitas nasceretur. Item si oculus ictu, punctura vel jactu eruatur, eandem æstimationis & vulneris rationem habebimus. Em. l. 5. c. 26. Si maxillæ vulnerentur ictu, jactu vel punctura, seu recto seu transverso vulnere, sic ut macula deformis ex plagæ vestigio remaneat: vulnus istud propter deformitatem quam humanæ faciei confert, Marcis duodecim compensabitur. Emend. l. 5. c. 27. Si cui Nasi pars anterior usque ad os, vel nasus totus amputatur, pro atroci vulnere ac membri deformitate noxam accipimus. Emend. l. 5. c. 28. Correct. l. 3. c. 15. Si cujus Os ita vulneratum vel attritum fuerit, ut ex cicatrice os distortum relinquatur, membri impotentiam intelligimus. Si dentes duo vel plures, sive pri-

12. De vulneribus capitis.

13. De vulneribus aurium.

14. De vulneribus oculorum.

15. Vulnus maxillarum.

16. Vulnus nasi.

17. Vulnus oris & dentium.

mores ſive intimi ſunt, uno ac eodem ictu, jactu vel punctura ſimul & ſemel frangantur, impotentis membri mulcta eſt æſtimatio. Si dens unus vel pars dentis punctura vel jactu frangatur, ad impotentiam non refertur, ſed ſangvinolenti vulneris nomine venit, & Judex quatuor ſolidorum mulctam lucratur. Si quis ex anteriorioribus dentibus frangatur, ſic ut vulneratus inde loquendi vitium contraheret, ad impotentiam, qua membri uſus fit deterior, vulnus hoc erit referendum. Emend. l. 5. c. 29. Correct. l. 3. c. 5.

18. Vulnus menti. Si cui mentum vel menti particula præcidatur, quatenus ex vulnere deformitas in facie reſideat, duodecim Marcarum mulcta eſt æſtimatio. Emend. l. 5. c. 30.

19. Vulnus colli. Si quis in collo punctim vel cæſim ita vulneretur, ut læſis nervorum juncturis collum obtortum maneat, membrum, quo minus officium fungatur, deſtructum intelligimus & ad æſtimationem duodecim Marcarum noxam revocamus. Emend. l. 5. c. 31.

20. Vulnus humerorum. Cum in humero vulnus tam graviter incidit, ut brachium ad Caput usque protendendi facultas non ſit, membri impotentiæ adſcribitur, & ejusdem æſtimatione cenſetur. Emend. l. 5. c. 32.

21. Vulnus corporis. Si quis punctim in corpore vulneretur, ut vulnus ad interiora penetret, quanquam duplex vulnus cenſeri poſſit, partis tam interioris quam exterioris, unius tamen vulneris mulcta eſt. Emend. l. 5. c. 33.

22. Vulnus brachii vel cruris. Si brachium vel crus ictu per tranſverſum diſcindatur, rumpatur vel frangatur, ſic ut vulnus in carnem altius non deſcendat, impotentiam membri notat, ac Marcarum duodecim mulctæ determinatur. Emend. lib. 5. c. 34.

23. Vulnus cubiti. Si quis in cubito vulneretur, inferius vel ſuperius, ſic ut digitorum impotentia contrahatur, noxæ digitorum ipſius vulneris rationem ſequuntur, nec amplius ea noxa quam vulneris æſtimatione cenſebitur. Emend. l. 5. c. 35.

24. De vulneratione manus & digitorum. Idem Juris eſt, ſi quis in manu vulneretur, & inde digitorum impotentia naſcatur, ea enim vulnus ſequitur, & vulneris æſtimatione cenſetur. Si quis in manu ita vulneratur, ut ipſa manus cum omnibus digitis manca ſit, & viribus ſuis deſtituta, minores noxæ majorem ſequuntur, & impotentis membri mulcta & æſtimatio conſtituitur. Si manus vel digitus ita vulneretur vel

vel frangatur, ut distortionem vel impotentiam secum ferat, eadem erit estimatio. Si quis in manu vulneretur sangvinolento saltem vulnere, ac inde digito vel articulo torpor concilietur, vulnus sangvinolentum impotentiam membri sequitur, & justæ æstimationis, quam Wergeldum vocant, partem decimam mulctæ nomine importat. Si digitus plane amputetur, abscissione digiti damnum erit censendum. Membrum digiti præcisum ad impotentiam refertur, & decimam ejus, quam diximus mulctæ partem irrogat. Membrum penitus a digito detruncatum, impotentiam ejus & vulneris atrocitatem demonstrat. Si cui digitus unus vel plures uno ictu præcidantur, unum sane damnum est, decima justæ æstimationis parte sarciendum. Quilibet digitus vel manus vel pedis mulctam peculiarem habet, hoc est justæ æstimationis, partem decimam. Unguis a digito præcisus vulnus sanguinolentum notat, triginta solidorum mulcta æstimatum. Emend. l. 5. c. 36. Si cui membrum penitus amputetur, cujus æstimationem jam antea in Judicio acceperat, triginta solidis noxa pensatur, & mulcta Judici solvitur. Emend. l. 5. c. 37. Vulnus tormento factum, vel punctim inflictum gladio, telo, pugione, vel alio armorum genere, ad cædem accommodato, quod justam unguis altitudinem adæquat, quamvis in longum non protendatur, nec enim in vulnere punctim dato longitudinem spectamus, atrocis vulneris, cui nomen duellari vulgus fecit, Jure censetur, quod percussori capitale est, nisi integro æstimationis pretio, quod viginti quatuor marcis circumscribitur, se se redemerit. Etenim ejus generis arma, quæ diximus ad cædem & necem furtive ac proditorie comparata creduntur. Sin autem autem vulnus atrox cæsim vel scissim inflictum sit, mortifero armorum genere, percussor ad manus mutilationem convenitur, nisi eam marcis duodecim redemerit. Duo vel plura vulnera atrocia uno simul ictu cæsim inflicta, non pluris quam duodecim marcis æstimantur. Emend. l. 5. c. 38. Corr. l. 3. c. 11. 12. Si quis occisum in Judicium deferat & in ejus corpore Scabini neque vulnera neque plagas, nec alia cædis signa deprehendere possint, ex quibus

25. De membro jam antea læso.

26. De qualitate vulnerum æstimanda.

27. Si in corpore occisi nulla signa appareant.

bus indicium ſit, eum cæde conſumtum fuiſſe, atque poſt Scabinorum teſtimonium proximus agnatus virum integræ famæ in ipſo facinore non deprehenſum, ejus cædis reum facere velit, & nuda quidem accuſatione, probabilius dicitur, reum jurejurando ſuo accuſationem elidere. Sin autem teſtibus actori adſtipulantibus accuſatur, & cædes clamore violentiæ in teſtatum venit, itidem teſtibus innocentiam ejus defendendi Jure conſtitutum eſt. Emend. l. 5. c. 42. Si mulier in recenti facinore cædis aut vulnerationis deprehendatur, majoris eſt rationis, ut actor eam teſtimonio fide dignorum hominum convincere poſſit, quam innocentiam illa prætendere, quominus Judicium patiatur. Si mulier accuſetur ob cædem vel vulnerationem, cujus Judicium eodem die factum ſit, quatenus illa de parendo Juri vadimonium conſtituit, potior erit ad probandam teſtibus fide dignis innocentiam ſuam, quam ut in accuſationis periculum conjici debeat. Si mulier conveniatur ob maleficium comperendinatum, ejus Jus jurandum ad elidendam actionem illi ſubſerviet, ne quod amplius periculum ſit expectandum. Emend. l. 5. c. 44. Corr. l. 3. c. 10.

28. Si mulier ob cædem aut vulnerationem accuſetur.

35. Inter pubertatis annos minores nihil intelliguntur delinquere, quo vitam vel caput committant. Si minor quempiam occiderit, vel corporis noxam intulerit, tutor æſtimationem damni præſtabit, uti pro cæſi vel vulnerati conditione ſancitum eſt, ſi modo minor facinoris rite convincatur. Quodcunque etiam damnum minor injuria dederit, ex ejus bonis æſtimationem tutor exſolvet. Si quis adultus caſu, non ex animi ſui propoſito minorem interfecerit, noxam æſtimatam juxta conditionem occiſi integre præſtabit. Si quis minorem percuſſerit vel capillo traxerit, vel virgis ceciderit, ob id, quod male fecerat, non erit culpæ adſcribendum, quatenus jurejurando probaverit, ſe non injuriæ cauſa ſed emendandi animo malitiam coercuiſſe. Emend. l. 5. c. 47. Corr. l 3. c. 34. Si quis vulneratus agere noluerit nec vulnera ſua teſtato comprobaverit, eum Judex ad agendum cogere non poteſt, niſi vulneratus clamore ſolenni fuiſſet injuriam conteſtatus. Is enim clamor actionis eſt initium, quo facto cauſam

29. De minori vulnerante cædente vel cæſo & de minorum coercitione.

ſam jure proſequi cogetur, nec absque Judicis voluntate ſilentio ſupprimere debebit. Emend. l. 2. c. 28. Corr. l. 2. c. 49. Qui aliquem in via aut platea publica ex propoſito & nequitia, absque omni cauſa vulnerat, ille tanquam fractor pacis publicæ amittit manum aut perpetuo relegatur. Læſo vero expenſas chirurgicas & æſtimationem dolorum ſolvere tenetur. Rev. l. 5. p. 2. t. 21. art. 1. Si ex odio, rixa & iracundia aliquis in tantum movetur, ut utraque pars ad plagas deſcendat, unusque alterum vulneret, tunc vulnerans pro qualitate vulneris cicatricis & membri factam imbecillitatem puniendus eſt, Judex tamen pro æquo ſuo viſu pœnam exacerbare aut molire poteſt. l. c. art. 2. Quando Judex vulneranti meritam pœnam per Decretum indixerit, tunc parti læſæ nihilominus licitum eſt, pro doloribus, expenſis chirurgicis, damnis, lucro ceſſante, & quod ſuis membris mutilatis in poſterum ad ſuſtentationem ſui corporis & vitæ haud uti queat, ut & quod ea propter ignominiam paſſus ſit, compenſationem ex legali æſtimatione poſcere. l. c. art. 3. Vid. plura **Concuſſio, Verberatio.**

30. De vulneribus in platea publica.

31. De vulneribus ex rixa.

32. De damnis ex vulneribus & mutilationibus ſcatentibus.

WERGELDUM.

UT frivolæ & temerariæ Appellationes non nihil cohibeantur, quisquis in Judicio Terreſtri ad Conventum generalem appellaverit, tres Marcas in Judicium reponat; Si vero a Conventu generali ad Nos appellatum fuerit, ſex floreni par triginta groſſos deponantur. Et ſi appellans coram Judice appellato ſuccubuerit, in uſum publicum Judicii, in quo erant repoſiti, cedant; alioquin parti reſtituantur. Vid. Conſtitut. D. Sigismundi Reg. Terrar. Pruſſiæ. 1538. Rev. l. 2. t. 22. art. 5. Ubi additur: quod Wergeldum appellationis in Civitatibus conſiſtat in novem Marcis. l. c. Quisquis a Judicio Terreſtri appellaverit tres Marcas Judicio deponere tenebitur: Si vero a Conventu generali Terrarum Pruſſiæ, tres Florenos per triginta groſſos, qui, ſi Appellans in

1. Appellans deponat Wergeldum.

2. Wergeldum Judicii Terr.

in ſuperiori Judicio ſuccubuerit, in uſum Judicii cedant; ſi cauſam obtinuerit, ei reſtituantur ſub pœna. Jus Terreſt. Terrar. Pruſſ. Tit. 6. §. 46. De Proceſſu Civili. Wergeldum vulgari vocabulo nuncupant mulctam vel æſtimationem, qua quis actione ſe liberat vel exſolvit, quæ alioquin adverſus ipſum commiſſi facinoris cauſa Jure competebat. Oritur autem hæc multa ex delicto civiliter intentato, quod enim actionem civilem non habet, in hujus æſtimationis rationem non deducitur, e. g. ſi quis alium non præmeditato ſed caſu vel imprudentia occiderit, velut cum furioſus vel mente captus vel infans quem interfecerit, vel cum quis hominem fortuito lapidis vel teli jactu percuſſerit, dum aliquid aliud eo jactu petit, vel cum in exſtruenda domo lapis, vel qua alia materia caſu deciderit, qua periret homo, vel cum quis ob tutelam corporis ſui quempiam ad mortem adegerit: his caſibus mulctam ſolvendo, qua cæſi dignitas vel natales æſtimantur actione criminali, quis ſemet exonerat. Verum ob homicidium, vulnus atrox, deformitatem ex læſione contractam, impotentiam membrorum, vel aliud delictum, quod ex propoſito & animo deliberato committitur, quodque pœna capitis, vel manu ſancitum eſt, civili mulcta nemo delictum exonerat, ſiquidem actio criminaliter intentetur, & reus ſua confeſſione vel aliis modis legitime convincatur. Si quis autem ob homicidium factum civiliter accuſetur, quodque utique propinquis occiſi ſolet, quatenus plenæ probationes fortaſſis deficiunt, & nihilominus actores quidam præſumptionum adminiculis utuntur. Hoc caſu cum reus delictum fatetur, vel Jure convincitur, mulctam ſolvit, quæ ex æſtimato defuncti perſonæ debetur, Marcas nimirum viginti quatuor, (hæc æſtimationis integra mulcta eſt) vicenos groſſos, quorum ſinguli denarios octodecim in uſu & foro verſantes conſtituunt, in Marcam Prutenicalem computando. Judicis autem mulcta hisce facti ſpeciebus ſecundum Privilegium & libertatem Culmenſem eſt triginta ſolidorum, qui monetæ Prutenicalis quatuor Marcas conficiunt, atque hanc maxi-

3. Definitio Wergeldi.

maximam Judicis mulctam legislatores constituerunt. Hinc illud nobis intelligendum erit, quod tres, hujus generis mulctæ semissem æstimationis ejus, quam Wergeldi nomine vulgo censeri, diximus; hoc est: duodecim Marcas Prutenicas adæquare consveverint. Omnes in universum mulctæ in diem eum luuntor, qui judiciali decreto dictus est, ejus scilicet speciei nummis, qui usus & pretii functionem recipiunt, pœna æstimationis & damnorum actori, mulcta Judici datur, nec enim refert, superior sit, an inferior, secundum municipii consvetudinem, expenditor. Si dies adjecta non sit, pœna actori, mulcta Judici, intra diem quartum decimum, æstimatio vero cædis aut damni, & injuriæ intra mensem tertium exsolvuntor, ejusmodi scilicet nummis, qui in ejusdem fori usu pretioque publice versantur. Emend. l. 2. c. 19. Correct. lib. 2. c. 28. Revis. lib. 5. p. 2. tt. 26. Vid. plura **Mulcta. Appellatio.**

WISSLA.

1. Jus Civitatis Thoruniensis & Culmensis in Vistulam.

FLumen Wissam a Villa quadam quæ dicitur Topulna, per descensum, usque ad Lacum, qui Rensehe vocatur, cum omni utilitate, exceptis Insulis & Castoribus, ad communes usus piscandi, Culmensibus Civibus & peregrinis duximus assignandum. Civitati vero Thorun. idem Flumen in longitudine ac terminis Domini Cujaviensis Episcopi ad unum milliare descendendo, & in terra in latitudine circa Wissam circumquaque per dimidium milliare, cum omni utilitate, exceptis Insulis & Castoribus ad communes usus Civium & peregrinorum duximus assignandum. Privil. Culmense §. 2.

2. Thoruniium & Culma renunciant suo Juri in Vistulam.

Dicti Cives ac Feudales earundem Civitatum de communi consensu cesserunt, de Jure, quod in Wissa super Navigio hactenus habuerunt, ipsum cum omni utilitate Domui Nostræ liberè resignando; Hac tamen conditione præmissa, quod Nos dictum Navigium pro summa, quanta volumus & possu-

possumus, locare seu vendere debeamus hominibus, quibus voluerimus, qui in Civitatibus, Culmensi videlicet & Thorunensi, residentes Justitiam exhibeant unicuique & accipiant coram Civitatum Judicibus earundem, & naulum usque ad præsens consvetum debeamus absque augmento aliquo deinceps observare. Hyemali vero tempore, cum fuerit glacies, Fratres de consilio Judicum & Consulum earundem Civitatum naulum statuant, ut eorum discretioni videbitur expedire. Statuimus etiam, ut omnes Clerici & viri Religiosi, de quacunque religione exstiterint, absque omni naulo perpetualiter cum rebus eorum, quas secum habuerint, traducantur. Quod si quis ex ductoribus navium ex prædictis aliquem traducere ausu temerario contradixerit, leviori culpæ subjaceat, quali scilicet quatuor solidorum pœna consvevit adscribi. l. c. §. 3.

FINIS.







